Jus Primatiale


ARMACANUM,

IN

Omnes Archiepiſcopos,
Epiſcopos, et Univerſum Clerum,
totius Regni HIBERNIÆ.

Aſſertum Per.

* H. A. M. T. H. P.



* Hugo Armacanus Macmahon Totius Hiberniæ Primas.

Anno Dom. 1728.

BENEVOLO LECTORI.

MEMINI tunc Puerulus conteſtationis inter Archiepiſcopos Armacanum, et Dublinienſem *Oliverum Plunkettum*, et *Petrum Talbotum*, Anno 1670. De potiori loco, ſeu primâ Subſcriptione *Dublinij*, quâ de re Librum edidit Armacanus, Anno 1672. Alter a Dublinienſi editus in contrarium, prodiit Anno 1674. Primum ab annis aliquot accuratè pervolvi continentem Succinctè quidem et ſummariè Argumenta, ac Documenta quibus, (meo judicio) Sinceris mentibus, et partium Studio non abductis de præeminentiâ, et prærogativis ſedis Armacanæ ſuper cœteras hujus Inſulæ Eccleſias luculenter conſtare poteſt. Idcercò Talboti Librum videre ſummoperè cupiebam, quo quicquid ille ex adverſo objiciebat, me minimè lateret: cujus copiam diu conquiſitam non niſi nuperrimè aſſecutus ſum.

In illo opere non tantum prætenſam exemptionem a juriſdictione Armacanâ, (quod nonnulli ipſius prædeceſſores, irrito licet conatu moliti fuerunt) vindicare arrogavit Author, verum etiam Prœſules Dublinienſes abſolutos, et ſummos Totius Regni Primates effinxit. ut autem novum hoc, inopinatumquè attentatum ſuo probet, ac ſuffulciat modo, imaginarios conceptus, cervelotico jure excogitatas definitiones, palpabiles Errores, manifeſtas Contradictiones, Adulteratos Textus a propria Significatione in alienum, et contrarium ſenſum detortos, mancos et truncatos canones coacervat, et profert in medium.

Accedunt quoque Scommata, atquè dicteria quibus omnes caſſis ſuis rationibus, ſeu verius cavillationibus refragantes Scriptores tum Sacros, tum profanos atrocitèr proſcindit, indigniſſimè carpens etiam Proregem Straffordum, et Regios in Supremo Senatu Conſiliarios, quod et in ipſum quoque Regem redundare nemo non videt.

A tam enormi igitur ac prodigioſâ moralium principiorum Everſione (nec enim aliis innititur fundamentis) non aliundè monſtroſum Primatum Dublinienſem procedere oportuit; etenim ſicut in Naturalibus, et artefactis, ita et in Moralibus portentoſi ejuſmodi non rarò conſpiciuntur partus.

Mirandum Summoperè nonnullos reperiri ita ſuis irretitos præventionibus in gratiam novæ Uſurpationis, et nudæ aſſertioni Petri Dublinienſis (ſic enim ſe inſcribit) adeò adhærentes, quaſi teſtis in propriâ cauſâ foret irrefragabilis, ut operam nullam ulteriorem, diligentiamve in evolvendis Monumentis (quæ corruptè paſſim allegat) aut conſulendis Authoribus ab ipſo citatis, et vitiatis adhibere velint; ſed affectatò oculos occludant perſpicuis Teſtimoniis, quibus veluti fulgentibus radiis omnes prærogativis Armacanis offuſæ nebulæ diſpellerentur.

Fateor quidem hujusmodi, qui præjudiciis ſe ſeduci pàtiuntur, et eruditione infimos eſſe, et numero longè pauciores: quippe Doctiores, ac moderatiores inter ipſos etiam Dublinienſes (licet prætenſæ ſuæ exemptioni plus æquo quidam reperiantur addicti) Intemperantiores ſui Antiſtitis in Scribendo aculeos, et arrogantem cum Armacanis de Primatu competitionem improbant.

Jam verò ad iſtiuſmodi Uſurpationem repellendam, ac imperitorum in hâc cauſâ, atquè a vero aberrantium Inſtructionem (ſapientibus enim, et inſipientibus debitores Sumus) nec non ad inconcuſſa Armacanæ Cathedræ jura vindicanda hanc ſuſcepi provinciam: quamvis non tantum Sciolis, aut dyſcolis obvia quæquè indiſcriminatim carpentibus, ſed etiam Senſatis, ac limati judicij viris occurret forſitan in hoc negotio quod objicient, et vitio vertant, idque ob ſequentes potiſſimùm rationes.

Primò Regionem incolimus ſubditam omnino profitentibus diverſam a nobis Religionem, ubi Catholicæ Communionis Præſulibus, et cunctis dignitate præditis ſub graviſſimâ pœna carceris, et exilij inhibetur ullibi in Regno comparêre, nedum permittitur ullam exercêre Eccleſiaſticam juriſdictionem, ac proindè in præſenti rerum ſtatu

parum

parum referre, nihilquè ferè ad Catholicorum publicam ultilitatem conducere videtur utra alteri præferenda ſit Authoritate Sedes Armacana, an Dublinjenſis.

2. Antiſtites, cæteroſquè eccleſiæ Miniſtros Magiſterium, ſeu præeminentiam ambire, aut de eiſdem inter ſe contendere minimè decet: ſed humilitate potius, ac modeſtiâ omnibus prælucere, ſibi invicem miniſtrare, non miniſtrari, mutuo ſeſe honore prævenire, Chriſti in hoc, et Apoſtolorum exempla, ac documenta Sequentes. Hanc porro Viris Eccleſiaſticis optimam eſſe viam, quâ Sublatis e medio intempeſtivis, ac tumidam ambitionem redolentibus diſceptationibus Scandala vitare. Gregem ædificare, et Bonum ſibi nomen conciliare Studeant.

Æquum eſt utriquè Argumento Separatim reſpondere, et quoad primum. Veriſimile non apparet Legumlatores noſtros, aut Supremum Magiſtratum ægrè laturos defenſionem eorum jurium, quæ ipſi illibata conſervant in Perſonis Primatum Proteſtantium contra omnes Dublinjenſium, aliorumve invadentium inſultus juxta decretum Regis Proteſtantis *Caroli* primi, ſicut anteá a Reginâ *Mariâ*, illiuſquè Anteceſſoribus (de quibus patebit inferius) Sancitum fuerat. Sperandum potius æqui, boniquè conſulturos; quod *Romani Catholici* in aliis multis Articulis diſcrepantes ab illis, in hoc conſentiant: maximè cum Regno, vel publicæ Tranquilitati nullam pacis detrimentum emanare poſſit ex adducendis Argumentis, aut documentis, et pleraque ſunt eadem quibus Rex, et Supremi Conſiliarij innixi in litigio Uſſerum inter et Buckleum (de quo agetur ſuo loco) Sedi Armacanæ cauſam adjudicarunt.

Et quoniam nullum tempus non opportunum Snbveniendi oppreſſis (quod ex officio competit Superioribus impertiendo recurrentibus patrocinium) vel Saltem indicandi legitimum Tribunal pro ſublevandis gravaminibus, potiſſimùm cum Statuat Apoſtolorum Canon 33. quod *cujuſquè gentis Epiſcopos oporteat Scire quinam inter ipſos primus ſit, habereque ipſum pro capite.* Ita æquum non eſt ut iniquis machinationibus quorundam Supprimentium veritatem, aut decurſu diuturni temporis ob non uſum juriſdictionis Primatialis in cæteras provincias, vetantibus Legibus pænalibus, rectæ atqué cannonicæ Subordinationis notitia excideret memoriæ Cleri noſtri, vel populi, Si quandoqué toleratio illa Sub aliis Regibus conceſſa, et adhuc non immeritò Speranda a lenitate Magiſtratuum reviviſceret, præſertim dum incolarum pacificá, et ab omni prorſùs remotá offendiculo, et tumultu

excitando inſpectâ indole quam patienter, ac ſubmiſſé tot adverſa ad ſui probationem (ita ſtatuente divinâ providentiâ) a pluribus annis ſuſtinent, aliquatenus perpendere dignabuntur.

Præterea non ingratam hanc diſſertationem Apoſtolicæ Sedi futuram Speramus, quatenùs deſerviat refrænandæ licentiæ, et uſurpationi eorum, qui Spretis inſtitutionibus Pontificiis, juriſdictionem Primatialem eccleſiæ Armacanæ in univerſam hanc inſulam evertere, vel labefactare moliuntur, quæ ab ipſo *Hiberniæ* proto-apoſtolo S. *Patricio* apoſtolicâ authoritate fundata, totque poſtea Succedentium Romanorum Pontificum diplomatibus confirmata fuit, ut infra manifeſtabitur.

Alteram objectionem tum Solidam, tum rationi conſonam ultrò fatemur, quatenus eos, qui eccleſiaſticâ præſunt dignitate, humilitatem Sinceram colere, ſuas qualeſcunquè dotes parvi pendere, alienas Suſpicere, cæteros in miniſterio confratres honore, et æſtimatione longe ſe digniores arbitrari meritò inculcat. Pace tamen objicientium non inde rectè concluditur, quod traditam ſibi poteſtatem, juriſdictionem, et officij, Sediſve prærogativas (quæ omnia ad Succeſſores integra, et illibata tranſmittenda ſunt) imminui, aut deprimi patiantur. Sic enim proditionis, et ignaviæ maculam, ac poſterorum cenſuras nullatenùs evaderent, cavendum utique monente S. *Gregorio*, *ne dum nimia Servatur humilitas, regendi frangatur authoritas.*

Porrò non ſolum poteſtates Sæculares, verum etiam Præſules pietate, et Sanctitate illuſtres ab ipſis eccleſiæ primordiis ad officiorum, ac dignitatum ſuarum jura, et privilegia, Sartatecta conſervanda adverſus invaſores, et oppugnatores quoſcunquè reperimus paſſim vigilantiſſimos, de hujuſmodi enim altercationibus tam in ſynodis generalibus, quam Nationalibus plurima exempla Suppeditant hiſtoriæ eccleſiaſticæ: et quantum inſudaverint Patres Tridentini in componendis ejuſmodi diſſidiis fuſé indicat Cardinalis Pallavicinus, ut neceſſe fuerit declarari ex qualicunque ſedendi, ſeu ferendi ſuffragij formâ nihil cuique juris acceſſurum, aut detractum iri. Et cum adhuc recrudeſceret diſceptatio, oportuit diplomate Pontificio in plenâ ſynodo coram Patribus producto curantibus Legatis exprimi ſpecialiùs jura, ac præeminentias Patriarcharum (adeoque Primatum, qui diverſorum ſunt nominum, ſed ejuſdem officij diſt 99. in princip) illæſa omninò perſiſtere. Nec tantum altioris gradús Antiſtites hujuſmodi de prærogativis contentionem Suſcitabant, ſed Abbates

bates quoquè, ac etiam Regularium ordinum moderatores, quæ pleniùs exhibet idem Pallavicinus in apparatu, ac lib. xi. cap. 15. lib. 15. cap. 13. lib. 18. cap. 2. lib. 19. cap. 2. lib. 20. cap. 10. et lib. 21. cap. 2.

Inter acerrimos jurium ſuorum Vindices eminent S. *Baſilius* Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus contra Antimium Archiepiſcopum Tyanenſem: Patriarchæ duo Bernardinus Antiochenus, et Gibelinus Hieroſolimitanus: Archiepiſcopi Arelatenſes, et Viennenſes in Gallia: S. *Anſelmus*, et Lanfrancus Archiepiſcopi Cantu-arienſes adverſus duos *Thomas Eboracenſes* Archipræſules, quorum alter ſe parem poteſtate aſſerebat, alter fidei profeſſionem in manibus Cantuarienſis emittere detrectabat, et propterea a S. *Anſelmo* excommunicatione mulctatus fuit: Archiepiſcopi Toletani, et Compoſtellani cum aliis in *Hiſpania*.

Tandem omiſſis brevitatis cauſâ centenis hujuſmodi exemplis, non prætereundus ſilentio qui in Concilio Tridentino, ac alibi effulſit præſtantiſſimarum virtutum ornamento conſpicuus *Bartholomeus* de martyribus Archiepiſcopus Braccarenſis in Luſitania e Sacrâ Prædicatorum familiâ invitus, et præ humilitate reluctans An 1558. ad illam dignitatem evectus, quam poſtea eâdem impellente humilitate abdicavit, et reverſus ad cœnobiticæ vitæ auſteritatem intra anguſtias regularis cellulæ vitam feliciter cum morte commutavit clarus miraculis, ut refert in illius actis Pater Ludovicus a Souſa. dum tamen præeſſet Metropoli Braccarenſi, illius eccleſiæ juribus, et præeminentiis conſervandis, ac propugnandis (ne latum unguem deciderent) ſtrenuiſſimè incubuit:

Et adeo ſuæ ſedis negotium Tridenti promovit, ut ſibi tanquam Luſitaniæ, univerſæque Hiſpaniæ Primati jus tribueret præcedendi cunctos reliquos archiepiſcopos, tametſi priùs infulas adeptos, et quanquam objecta illi fuiſſent exempla concilij ſub Paulo 3. jam habiti, ubi Gothiæ, *Hiberniæ*, aliarumque Regionum Primates demiſſius inter Archiepiſcopos pacis gratiâ ſe gerebant, adhuc ille contendebat non potuiſſe ab illis pauçis inferri detrimentum univerſo Primatum ordini, quibus non minus tribuenda eſſet ſedes ſuperior meris Archiepiſcopis quam tribuenda ſit Patriarchis. At quamvis Papa Pius quartus, ac Legati in illius poſtulata propenderent, optato tamen Succeſſu caruit, quia inſtituto examine innotuit univerſæ Hiſpaniæ Primatem eſſe Præſulem Toletanum, non Braccarenſem, cujus primatum ne in Luſitaniâ quidem recipi probabatur. Conſulatur Baronius

ronius Epit Spond ad annos 44, 371, 397, 610, 1071, 1072, 1088. et 1108. Auguſtinus Barboſa de offic, et poteſt: Epiſc part 1, tit 3. cap. 8, et Pallavicinus lib. 15. cap, 13.

Quæ omnia (ut piè credendum eſt, et Semper fieri debet) abſque læſione charitatis, et cum moderamine inculpatæ tutelæ tranſacta ſunt, afferentibus Prælatis diſceptantibus motiva, ac rationes ſaltem coloratas, quæ factum, vel penitùs excuſarent, vel errorem ex bona fide procedentem aliquatenùs extenuarent, at quantum vel tenuiſſimis adminiculis, aut veriſimilibus etiam conjecturis deſtituatur prætenſio Petri Dublinienſis, ex ſequentibus patebit.

Quis ergo jure Succenſeat Armacanis, aut cenſuræ notam inurat, ſi quæ ad prærogativas ſuæ eccleſiæ ſtabiliendas, et evincendas conferunt, palam faciant, non alium ob finem, niſi ut inflatorum hominum res novas molientium repreſſis inſultibus, a Cathedrâ ſuâ Primatiali uſurpationem omnem repellant, violatæ fidei infamiam prepulſent, depoſitum ſibi commiſſum fideliter conſervent, apertam prævaricationis maculam in ſucceſſorum detrimentum ſedulò devitent, ne dignitatem primariam, et principalem proſtituere videantur, non ſine juſtâ ſuccedentium ætatum indignatione, ſi ſupinâ ſegnitie abſorpti Venerabilis illius eccleſiæ Matricis jura, ac privilegia pro virili defendendo remiſſos, et oſcitantes ſeſe exhiberent, poſtquam ab Anteceſſoribus per tot annorum centurias integra, et intaminata ad poſtrema hæc tempora pervenerunt.

Cum non ſolum Legibus quibuſcunque permiſſum ſit, quod noſtrum eſt tueri, atque ab invaſoribus vindicare, verum etiam Sancitum, ne quis quod noſtri juris eſt, vel injuſtè rapiat, vel violenter uſurpare præſumat. Si quid autem detrimenti, ultra quam autumamus, ex hâc diſceptatione fortè promanaret, in eos meritò rejiciendum, qui pro inſolitâ ſuâ licentiâ Hierarchicum Regimen a S. *Patricio* in hoc Regno authoritate Apoſtolicâ inſtitutum, et rectæ Subordinationis diſciplinam convellere Satagentes, ad intempeſtivam hanc, juſtam tamen, ac neceſſariam defenſionem compellunt.

Hiſce motus rationibus otio licet competenti, et firmâ valetudine deſtitutus, antiqua ac recentiora monumenta, Annales vetuſtate celebres, Scriptores tum domeſticos, tum extraneos diverſorum temporum, et nationum nominatiſſimos, quorum plures inter cælites relati, alij Sanctitate inſignes claruerunt, Sanctorum noſtratium acta, Summorum Pontificum, Regumque diplomata non exiguo labore, et induſtriâ

duſtriâ evolvi : Quæ omnia antiquiſſimæ traditioni conſona indubitatam eccleſiæ Armacanæ in Spirituali totius Regni *Heberniæ* Regimine authoritatem evincunt. Perpauca, fateor, a viris fide dignis accepi, quæ illi pariter fide optimâ (ut in ipſis Autographis apparebit) ex iis monumentis, et authoribus excerpta ad me tranſmiſerunt, quos vel obvios habere, vel etiam adhibitâ diligentiâ in his partibus reperire non potui.

Opuſculum in tres partes diſtribui. Prima complectitur probationes, et Argumenta, quibus aſtruitur juriſdictio Primatialis Armacana per totum Regnum. Secunda continet ea omnia quæ Petrus Dublinienſis allegat pro prætenſa exemptione, et imaginario Suo Primatu. Tertia exhibet ejus objectiones, ſeu veriùs cavillationes contra Armacanos, quæ omnia propriis ipſius verbis in medium profero, quamvis non eodem ordine (contextu, et diſpoſitione operis id aliter poſtulantibus) abſque ullâ diſſimulatione, aut reticentiâ eorum, quæ adduxit, et in quibus repetendis, ac refutandis plus forſitan temporis inſumptum fuit, quam tot nugatoriæ captiunculæ merebantur ; nam ut rectè monet in apparatu ad hiſtor concil Trident cap. 5. Cardinalis Pallavicinus : *quemadmodum non quæcunque vera tanti ſunt ponderis, ut mereantur poſterorum memoriæ commendari, ita neque falſa quælibet tanti ſunt momenti, ut operæ pretium ſit eadem e poſterorum fide depellere.*

Et obiter hic afferuerim in nullum me unquam incidiſſe ullius Catholici Præſulis Serium opus, quod tantâ confidentiâ, et oſtentatione proponitur (veluti totidem demonſtrationes, vel fidei proximos articulos contineret) et inſimul tam ab omni apparentiâ veri, imo ab vel etiam tenuiſſimæ probabilitatis Specie, magis remotum, quam iſtud *Petri* Dublinjenſis tot corruptelis, totque impoſturis refertum &c. quamvis in Epiſtolâ ad Creveum, (de quâ inferiùs Num. 30) Armacanum ſe abundè refutaſſe, illumque, et Suum Libellum famoſum (hoc enim infamiæ Epitheto Armacani Librum parum urbanè deturpat) ridiculos effeciſſe Gloriatur. Ridiculum Sane facinus contigit, ſed cuinam imputandum facile expendet æquus, ac prudens rerum æſtimator. Et Sincerè fateor nunquam me inducendum ut crederem tot palpabilium errorum, deluſionumque cumulum adſcribendum tam celebris Memoriæ Præſuli, niſi et illius nomen præferret, et ipſe inſultans, ac jactabundus de imaginario trophæo contra Armacanos ſe Authorem oſtentaret in memorata epiſtolâ ad Creveum.

Eruſtra:

Fruſtra tandem in hoc tractatulo quis lepores quærat, exornatam ſtyli elegantiam, Sententiarumvè floſculos. Solidiora, (ut arbitror) et vocationi, ac provinciæ meæ magis congrua per annos hoſce Quadraginta Sectatus Sum, quam quæ ex Aldi Manutij, cæterorumquè latinæ Linguæ peritiſſimorum deauratis phraſibus expiſcari poſſem. Nuda, ac Simplex rerum veritas ſuis inſitis, domeſticiſque veſtita coloribus, venuſtior, gratiorque apparebit, quam ſi ejuſmodi fucatis Ornamentis, ſeu verborum lenociniis depingeretur. Etenim (ut cenſet S *Auguſtinus* Tract 2 in Joan) *non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem Solidam, et certiorem perveniamus.*

Abſit a me procul ut cogitem omnia conducentia ad Sedis Armacanæ per Univerſum Regnum Dignitatem Primatialem demonſtrandam ſolo hoc opuſculo plenè, ac integrè contineri, præterquam enim quod non omnium quæ extant Monumentorum potui habere copiam ob temporum Anguſtias, et rationes, quas norunt fideles, pleraquè Inſtrumenta publica, pervetuſta antiquitatis documenta a ferociſſimis omnique litteraturæ infeſtiſſimis Danis conſumpta fuere: plurima alia Inſtrumenta, Tabulæ, varia Eccleſiarum noſtrarum Regeſta, Chartæ, et Annales (ut obſervant Iocelimus cap. 186. Uſſerus de primord pag. 912. Wareus in præfat lib. de Præſul: *Willielmus Molineux*, pag. 39. aliique) partim per Archiotarum incuriam, partim per Subſequentium continuâ ferè ſerie bellorum rabiem perierunt, præſertim tribus ultimis Bellis, dum utriuſque hoſtis inſultibus, ac direptionibus pateret Armachia cum Univerſâ Provinciâ. Confido tamen fore, ut quæ hic impræſentiarum delibavi, curioſo, et candido Lectori, nec non quibuſlibet Sinceris veri cultoribus aliquatenùs faciant ſatis, aliorumque, quibus per otium licebit abundantiús, quique ingenio, et eruditione longè præcellunt, ſtudium excitent, ac Induſtriam ad pleniorem indaginem, remque penitús perficiendam.

Deniquè ſi quid a me humanitùs delictum ſit (quod plerumquè noſtra fert fragilis conditio) gratum erit, ſi ubi erratum denotabitur, benignè me quis admoneat paratum itidem emendare quicquid contra fidem, Charitatem, Veritatem, vel juſtitiam dictum a me factumve reperietur, omnia judicio. S. *Matris* Eccleſiæ Subjiciendo ita Sincerè Teſtor.

H. A.

Approbatio

Approbatio Doctorum.

LEgi Librum cui Titulus *JUS PRIMATIALE ARMACANUM IN OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ET UNIVERSUM CLERUM TOTIUS REGNI HIBERNIÆ*: Opus ſanè ſummâ elaboratum induſtriâ, in quo Author Metropolis Armacanæ præeminentiam, et Primatialem Super univerſas *Hiberniæ* Eccleſias juriſdictionem irrefragabilibus probat documentis, Simulquè adverſæ Partis Argumenta dilucidè ſolvit, ac in nihilum redigit, nec quidquam in eo deprehendi, quod puritati fidei, aut morum probitati adverſetur, multa verò quæ legentis animum mirificè oblectent, atque ædificent, quapropter dignum cenſeo qui in lucem edatur, ac omnium manibus teratur, ut veritas adeo certa, et indubitata cunctis innoteſcat. Ita Teſtor 24 *Decembris*, 1724.

B——s C——s.

ATtentè pervolvi Librum inſcriptum, *JUS PRIMATIALE ARMACANUM, &c.* in quo exploratam Metropolis Armacanæ Primatialem juriſdictionem ſuper cunctas *Hiberniæ* eccleſias dilucidis argumentis cumulatè aſſertam, omneſque adverſantium cavillationes penitùs dirutas deprehendi : Et cum nihil contineat fidei, aut moribus contrarium, multum expedire arbitror, ut juris publici fiat, quo tam conſpicuâ veritate palam elucente nubeculæ a quibuſdam Primatui offuſæ protinùs diſſipentur, et frivolis hujuſmodi, ac vanis argutiolis omnis impoſterum prætextus adimatur. Sic cenſeo Die 30 *Decembris*, 1724.

Th——s A——s.

Perlegi

PErlegi rogatus Librum cui Titulus, *JUS PRIMATIALE ARMACANUM IN OMNES ARCHIEPISCOPOS, &c.* in quo nihil fidei orthodoxæ, vel bonis moribus diſſonum reperire eſt: atque argumenta ex Summorum Pontificum Decretis, Sacrorum canonum Placitis, authenticis venerandæ antiquitatis monumentis, optimæque notæ Scriptoribus deprompta, tam palmaria, et ſolida videntur, ut mirari ſatis nequeam venerabilem Authorem magnâ utpote, continuâque negotiorum mole, et adverſâ plerumque valetudine prægravatum, hoc tam accuratum opus ad umbilicum ducere valuiſſe: cum præter dicta etiam incommoda, locum (ob rationes quas norunt fideles) ſæpius mutare, ac in diverſis, diſſitiſque ſedibus pervagari neceſſe habuerit. Nullus igitur futurus eſt (opinor) æquus rerum Arbiter, qui attentis ejuſmodi moleſtiis, et excitantibus inſimul motivis, eximij cauſæ Armacanæ Patroni in tuendis Primatialibus Privilegiis (quibus vel renunciare ſine perjurij, ſummæque injuſtitiæ notâ, vel de iis quidquam relaxare abſque ſupinæ oſcitantiæ labe haud licuit illi, cui ex officio eorum incumbit defenſio) Zelum vitio vertet, ut eum potius ſummis præconiis exornandum æſtimaverit, præſertim cum non oſtentandæ Armacanæ Eccleſiæ præeminentiæ cauſâ, ſed adverſantium uſurpatione, et inſultibus laceſſitus, provocatuſque hanc juſtæ defenſionis ſuſceperit provinciam. Faxit itaque Deus pacis, ut intempeſtivis diſſidiis, vaniſque cavillis evulgatione hujus Libelli opportunè eo conſilio in lucem editi, omnis deinceps præcludatur aditus, ſuaque antiqua permaneant illibata jura Armachiæ, quam vel eo ſolo nomine cuncti Hibernigenæ, propriis eccleſiis quantumvis addicti, ſingulari Venerationis ſtudio Majorum more proſequi deberent, ejuſque adſtipulari, nedum refragari prærogativis, quod illam ſibi, et ſucceſſoribus delegerit ſedem, nec non totius Inſulæ principem, ac Primatialem Metropolim Authoritate Romani Pontificis conſtituerit Gentis noſtræ Apoſtolus Divus Patricius, qui in Chriſto Jeſu per Evangelium nos genuit, ſic voveo, et Sentio,

Michael Reily Juris utriuſq;
Doctor, et *Vs. Gs. Ks.*

Jus

Jus Primatiale
ARMACANUM;
In Omnes Archiepiſcopos Epiſcopos, et Univerſum clerum totius Regni HIBERNIÆ.

ARMACANAM Eccleſiam indubitatam Apoſtoli noſtri S. *Patricij* Sedem omnes conveniunt, illamque ab eo erectam, atquè conſtitutam totius Inſulæ Metropolim aſſerunt in ejus vitâ ipſius Diſcipuli S. *Fiecus Sleptenſis* primus Lagenienſium Archiepiſcopus Artic 22. et 25. S. *Benignus* cap. 22. et fuſius Author Sexti Sæculi S. *Evinus* Abbas de *Roſſmacrune* nunc *Roſs* Diæceſis Fernenſis in Lageniâ, et Provinciâ *Dublinienſi* part. 3. cap. 67. docens *jubente Angelo ut ſe conferret Armachiam, Cathedralem Eccleſiam, Regnique Metropolim ibi conſtrueret*, feciſſe Servum Dei quod mandatum erat.

" Et cap. 78. Sanctiſſimus Antiſtes metatus eſt locum, et jecit " fundamenta Eccleſiæ Armacanæ juxta formam, et modum ab An- " gelo præſcriptum .... factâ Proceſſione ad metas deſignandas pro- " ceſſerunt, Patricio cum Baculo JESU in manu totum Clerum, " et Angelo Dei tanquam Ductore, et directore Patricium præce- " dente. et cap. 81. Apparuit ei Angelus Domini admonens inſtare " diem quo Romæ Reliquiæ Apoſtolorum oſtenderentur .... unde " poſtquam S. *Patricius vices ſuas in Archiepiſcopatu Armacano, et* " *Primatu Hiberniæ commiſiſſet Sancto Secundino*.... venit Romam.

" 2 Et cap. 82. Placuit Altiſſimo ut hujus Sacræ Inſulæ, ex quâ " plurimi Gentium prodituri erant Apoſtoli, et innumeri verbi Dei " præcones pro fide propagandâ Sanguinem fuſuri, *Metropolis* et ve- " lut altera Roma, Ardmachia Sacris Apoſtolorum, et Martyrum " conſecraretur cineribus, nec ſolum pretioſa, ſed et numeroſa erant " hæc Spolia, ſeu Reliquiæ.... inter quas principem locum obtine- " bat Linteamen Sacratiſſimo Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine " cruentatum, et pars capillorum Virginis Matris. Inter eas etiam " erant Sanctorum *Petri*, et *Pauli* Apoſtolorum, Sanctorumque " *Stephani*, et *Laurentij* Martyrum, et aliæ Similes Rellquiæ, quas " Angelo Suadente, et Sacro *Hiberniæ* Senatu applaudente in ſedis " Armacanæ Sacrario conſtituit S. *Patricius*.

" Et cap. 101. Statuit ex finibus Ulidiæ, in quâ tunc erat verſus " *Armachiam Metropolim ſuam* greſſus maturare.... Sed Victor " Angelus ipſi in itinere conſtituto apparens ait, *Patrici* revertere " ad Monaſterium Sabalenſe, unde veneras: ibi et non Armachiæ ad " Dominum migrabis. Dominus tamen ultimæ tuæ voluntatis, et " meritorum intuitu *Armachiam his ditabit honoribus, quod in eâ* " *Regni Metropolis fixa, Supremaque Eccleſiæ Hiberniæ adminiſtratio,* " *publicaque Authoritas conſiſtent, non ſecus, ac ipſe vivens continuò* " *ibi degeres.*

De ſanctis his tribus geſtorum S. *Patricij* Authoribus tractat Warreus de Scriptor Hiber Lib. 1. cap. 1. et cap. 3. ac in vetuſtiſſimo opere tripartito de actis S. *Patricij* hæc habentur. " Beatus " Patricius magnam civitatem. quæ dicitur *Armacha* inſtituit *in* " *quâ eſt omnis Archiepiſcopatus Hiberniæ* quam valde dilexit S. " *Patricius*, et in quâ conſtituit *Summum ſuum honorem per Sæcula*: " in ipſâ jam civitate *Summum Studium litterale manet Semper.* Et

" apud

" apud Probum vit S. *Patric* lib. 2. cap. 7. Civitas eſt Armachia
" nominata, ubi *Sedes Epiſcopatûs, et Regiminis eſt Hiberniæ.*

3. Quod plenius ita refert cap. 165. Iocelinus: " Civitatem egre-
" giam ſitu, formâ, Quantitate, ambitu, angelicis indiciis deſignatam
" fundavit Patricius, et extruxit divinitûs adjutus ad unguem per-
" duxit.... *Cathedram Archiepiſcopalem in eâdem urbe collocavit, et*
" *ut Sedes illa totius Hiberniæ eſſet primaria Metropolis et Magiſtra*
" *ſtatuit animo.* Ut autem illius propoſitum ratum, et inconvulſum
" permaneret impoſterum, pectori ejus ſedit Apoſtolicam Sedem adire,
" ejuſque Privilegiis authenticis illud Communire.

" Et cap 166. Angelus Domini S. *Patricio* apparens itineris ar-
" ripiendi propoſitum approbavit.... Angelico fultus ducamine
" profectus eſt Romam: Dum in ſummi Pontificis præſentiâ ſui
" adventûs expoſuiſſet cauſam, in oculis ejus ſummam invenit gratiam;
" imprimis ergo illum ut *Hiberniæ* Apoſtolum amplexans, ac pro-
" nuncians, *Pallio decoravit*, illi vices ſuas committens, atque Lega-
" tum ſuum conſtituens, quæcunque in *Hibernià* geſſerat, conſtituerat,
" diſpoſuerat, Authoritatis ſuæ munimine confirmavit, exenia etiam
" plurima, et pretioſa munera, quæ ad decorem, imo robur Eccleſiæ
" ſpectant, ei contulit, inter quæ erant Reliquiæ Apoſtolorum *Petri*,
" et *Pauli*, et *Stephani* protomartyris, et aliorum plurimorum
" Martyrum.... his Sacro-Sanctis eulogiis ſanctus in Hiberniam
" reverſus *Armachiam Metropolitanam Eccleſiam* ad animarum ſalutem,
" et Urbis Patriæquè tutelam munivit.

4. Et Gyraldus Cambrenſis Hibern. " Topograph diſt 3 cap. 16.
" Baptizatis catervatim populis, et totâ Inſulâ ad fidem converſâ
" apud Armachiam ſibi ſedem elegit (Patricius) *quam Metropolim*
" *conſtituit, et proinde totius Hiberniæ Primatis locum.*" et Bolandus
tom 2 de actis Martij commentario prævio de S. *Patricio Apoſtolo, et*
Primate Hiberniæ §. 5. num. 32. " Anno (inquit) 454. *Armachia in*
" *Motropolim erigenda fundatur*.... An. 455, vel 456. Romam An-
" gelico juſſu iterum adiit Patricius, Reliquiaſque, et *Metropolis a*
" *ſe conſtitutæ confirmationem refert.* Et eod. tom §. 2 *appendice de*
" *primatu Armacano* pag. 582. condita eſt igitur *Armacana Metropo-*
" *lis* an Chriſti 454, ſed probabiliter tertio poſt anno (cum Romam
" Angelico monitu profectus eſſet Patricius, fractaſque ætate vires
" nequicquam excuſans) *Pontificio decreto plenè ſtabilita.*

5. Et

5. Et vetus officium S. *Patricij* denuò impreſſum Pariſiis Ann. 1622. lect 6 ita refert: " *In civitate Armacanà totius Inſulæ ſedem primam,* " *et Metropolim conſtituit* (Patricius) quod ut ſedis Apoſtolicæ au- " thoritate confirmaretur, Romam denuò (apparente ei Angelo, et " hoc ejus propoſitum approbante) profectus eſt: ubi *obtentâ, quam* " *petivit, confirmatione,* reverſus cum ampliſſimâ poteſtate in Hiber- " niam cæpit concilia ſolemniter celebrare, *&c.* Id tandem invictiſ- ſimè probat, et omnem tollit cavillandi prætextum ſummi Pontificis, SS congregationis, adeoque totius Eccleſiæ irrefragabilis authoritas officio canonico ab omnibus eccleſiaſticis recitando de præcepto die 17 Martij inſerens hæc verba: *Armacanam ſedem Romani Pontificis authoritate totius Iuſulæ Principem Metropolim conſtituit.* Hæc pauca pro Primatiali Prærogativâ, et poteſtate Præſulum Armacanorum ſuper omnem clerum hujus Regni ſufficerent ad obſtruenda ora contrariantium, et affectatâ præventione claudentium oculos ad ſolem meridianum. Placet tamen ex abundanti idem aſſerentes audire primæ, maximæque notæ Authores.

6. Imprimis copioſiſſimus eſt S. *Bernardus* qui vitæ S. *Malachiæ* cap. 6. ait: " Malachiâ nolente aſſentiri ut Pontifex fieret .... " accedente ad vim faciendam mandato Magiſtri ſui, nec non et " *Metropolitani* (Celſi) conſecratus eſt Epiſcopus. Et cap. 7. dum " hæc ita aguntur, contigit infirmari *Archiepiſcopum Celſum* (ipſe eſt " qui Malachiam in Diaconum, Presbyterum, Epiſcopumque ordi- " navit) et cognoſcens quia moreretur fecit quaſi teſtamentum qua- " tenus Malachias deberet ſuccedere ſibi, quod nullus videretur dig- " nior qui epiſcoparetur in *Sede primâ.* Hoc præſentibus indixit, " hoc mandavit abſentibus, hoc ſpecialiter ambobus Momoniæ Regi- " bus, et Majoribus Terræ S. *Patricij* authoritate præcepit, cujus " reverentiâ, et honore tanquam Apoſtoli illius Gentis, qui totam " Patriam convertiſſet ad fidem, Sedes illa, in quâ vivens præfuit, " et mortuus requieſcit in tantâ ab initio cunctis veneratione habetur, " ut non modo Epiſcopi, et ſacerdotes, et qui de clero ſunt, ſed " etiam Regum, ac Principum Univerſitas *Subjecta ſit Metropolitano* " *in omni obedientiâ, et unus ipſe omnibus præſit.*

Et ibidem deſcribens oppreſſionem Eccleſiæ Armacanæ ſub Tyrannico jugo Diabolicâ ambitione Potentum Sedem Sanctam veluti hæreditariâ Succeſſione obtinentium, unde tota per univerſam Hiberniam diſſolutio eccleſiaſticæ diſciplinæ, cenſuræ enervatio, *&c.* addit:

Nec

Nec mirum, nam quomodò tam morbidi capitis membra valerent? Caput ergo universæ Hiberniæ, etsi morbidum ex contagione usurpantium, Armachia, et reliquæ Ecclesiæ membra ejus (Teste S. *Bernardo*) haud secus ac si humanum caput febri, vertigine, aliove morbo correptum non desinit esse caput, vel reliquis membris præeminere. Quod si attentè, et sedato animo perpenderent obloquentes, multum sibi, aliisque parcerent laboris, nec tam facilè Hierarchicum tot sæculis firmatum regimen evertere niterentur.

7. Et cap. 9. " *Malachias intravit Armachiam Pontifex, et Me-*
" *tropolitanus totius Hiberniæ*, ac cap. xi. *erat et altera Metropolitica*
" *Sedes, quam de novo constituerat Celsus primæ tamen sedi, et illius*
" *Archiepiscopo subdita tanquam Primati*, et huic quoque optabat
" Pallium Malachias, confirmarique authoritate sedis Apostolicæ præ-
" rogativam quam Beneficio Celsi adipisci meruerat. Et cap. 12 asserit illam novam Metropolim sic subditam primæ sedi, et Primati confirmatam a Papâ Innocentio secundo, patetque fuisse Cassellensem ex vitâ S. Christiani Lismorensis, sedis Apostolicæ Legati in actis Sanctorum Hiberniæ die 18 Martij, et ex numerosâ synodo, cui in loco Usnach præfuit S. *Celsus* an 1112. Nam qui adfuit Milerus O Dunan, juxta annales Conacienses, et Wareum de Præsul fol. 12. *Archiepiscopus Cassellensis* nuncupatur.

8. Ex his S. *Bernardi* testimoniis luce clarius (ni fallor) apparet, quanta fuerit a primâ erectione Dignitas, et Præeminentia Ecclesiæ Armacanæ, quam vocat *Sedem primam*, Et *caput*, ejusque Antistitem *Archiepiscopum*, et *Metropolitanum totius Hiberniæ*, cui non minus Archiepiscopus de novo constitutus, quam reliqui Præsules et cuncti de clero, sicut Reges, et Principes subditi erant, illumque *Suum Primatem in omni obedientiâ* venerabantur. Quæ subjectio perseveravit sine obice, aut interruptione tam ante, quam post adventum Cardinalis Paparonij (de quo plura inferius) per integros octingentos, et amplius annos, donec circa medium sæculi decimi tertij rectæ Subordinationis ordinem pervertere quidam attentarunt prætextu infra discutiendo, innotescit etiam quomodo Celsus vir sanctus (quippe sanctorum albo adscriptus in martyrologio Romano die sextâ Aprilis) sui muneris esse judicaverit, non tantum Episcopos inaugurare, et transferre, quod Metropolitanis seu Primatibus tantum, et non inferioribus Prælatis tunc temporis indulgebat Ecclesia, sed etiam de novo Metropolitanum constituere authoritate Primatiali, quam citra

dispendium

diſpendium Sanctitatis non uſurparet humilitatis, et diſciplinæ devotus cultor, et acerrimus vindex, Si verè non competeret ; his adjunge, Si placet, quæ proponuntur obſervanda inferiùs num. 243)

9. S. *Bernardo* concordat Cardinalis Baronius ad An. 1124 pronuncians *Armachiam primariam Eccleſiam, et totius Inſulæ Metropolim*, et, ad An. 1137. " Cum Innocentius (inquit) Papa Romæ conſiſte-
" ret, contigit mirifici illius S. *Malachiæ Archiepiſcopi Armachiæ to-*
" *tius Hiberniæ Metropolitani* Romam ad eum adventus tum pro
" pallio tam Suæ quam *alterius ſub ipſâ conſtitutæ in eâdem Inſulâ*
" *Metropolitanæ Eccleſiæ*. Epit ſpond ad dict. an : et Barboſa de offic, et poteſt Epiſc part. 1. tit. 1. cap. 7, obſervans quod *Dublinium* ſuo tempore eſſet Metropolis Regni quoad temporalia, profert ; quod illius Archiepiſcopus ex privilegio ſe Primatem Regni faciat : *Qui titulus* (ait) *Armacano ex antiquitate, et primâ fundatione competit.* Ubi ſatis clare indicat Primatum Dublinienſem non ab alio inſtitutum, ſed ab ipſis Dublinienſibus factum, ſeu veriùs uſurpatum prætextu privilegij, cujus nec minima probabilis conjectura ullibi reperitur. Idem Barboſa ibidem tit. 3. cap. 7. Agens de Patriarchis minoribus, ſeu Primatibus num. 19. ita proſequitur : " In Occidente
" abſque ullo dubio, et contentione Primates appellantur, in Poloniâ
" Gneſnenſis, in Hungariâ Strigonienſis, in Hiberniâ Armacanus, in
" Africâ, Carthaginenſis, *&c.* Cui aſtipulatur Illmus. Rodericus Acunha hiſtor Eccles Epiſc Portugal, p. 1 cap. *6* fol. 73.

Et iterum de jur. eccles. Univerſ Lib. 1. cap. *6.* accuratiùs, et ex profeſſo Barboſa de Patriarchis ac Primatibus pag. 94. " Plu-
" res (inquit) ſunt Primates, unuſquiſque reſpectu Provinciæ ſeu
" Regni ubi eſt conſtitutus: *Hibernis igitur eſt Primas Armacanus*
" *Archiepiſcopus*, Angliæ Cantuarienſis, Africæ, Carthaginenſis, Hun-
" gariæ, Strigonienſis, Poloniæ, Gneſnenſis. Scotiæ Archiepiſcopus S. *Andreæ*, ubi nulla mentio fictitij Primatûs Dublinienſis. Et *Joannes* Azorius Occidentis Primates, pariter recenſens, part 2. inſtitut Moral Lib. 3. cap. 35. ait: " in Provinciis occidentalibus ſunt Pri-
" mates, totius quidem Hiſpaniæ Primas eſt Toletanus Antiſtes.
" Hiberniæ Armacanus, Angliæ, Cantuarienſis, Africæ, Carthagi-
" nenſis, Hungariæ, Strigonienſis, *&c.* Ubi etiam altum Silentium de commento Dublinienſi. Ac Catalogus totius orbis Præſulum in Archivis Cancellariæ Apoſtolicæ, undè omnia illibatè dimanant, enumerans

merans quatuor Hiberniæ Archiepiſcopos, Armacanum duntaxát *Primatem* nominat.

10. Et Spondanus in continuatione Baronij ad an 1357. referens propoſitiones *Richardi* Armacani in conſiſtorio Avenione coram Papâ Innocentio Sexto, et Cardinalibus hæc habet: " *Richardus Fitz-*
" *ralphius*, ſeu filius *Radulphi* homo Hibernus, primò Oxonienſis A-
" cademiæ Cancellarius, deinde Archidiaconus *Lichfildienſis*, ac de-
" mum Armacanus in Patriâ ſuâ Archiepiſcopus, et *totius Inſulæ*
" *Primas*, Theologuſque doctiſſimus, *&c.* pari de *Primate Richardo* refert Lib. de Scriptor. Eccles. *Joannes* Tritemius. Et in vitâ S. *Laurentij* Dublinienſis Archiepiſcopi defuncti Anno 1180. cap. 10. a Synchrono Authore Monacho Augenſi editâ, et apud Surium. 4. *Novembris* Gelaſius Armacanus *totius Hiberniæ Primas* nuncupatur. Ac iterum ad. an. 1546. Spondanus (quem citat, et ſequitur Cardinalis Pallavicinus Lib. 6. Hiſtor. Concil. Trident. cap. 5.) agens de *Roberto* Venantio Archiepiſcopo Armacano qui concilio Tridentino interfuit, illam Eccleſiam *primam* aſſerit, et *Metropolim totius Hiberniæ.* Et Lib. 15. cap. 13. idem Pallavicinus tradit in diſceptatione de prærogativis Primatialibus commotâ ab Archiepiſcopo Braccarenſi Patres Tridentinos objectaſſe exemplum *Primatis Hiberniæ*, Scilicet Venantij.

Concinit Renatus Chopinus Lib. 2: Tit. 4. pag. 272. dicens: Hibernis ſuus pariter non deeſt Archi-flamen Armacanus, qui præcipuâ Sacrorum Authoritate obtinet *totius Hiberniæ principatum.* Ac *Edmundus* Campianus in ſuâ Hiberniæ Hiſtoriâ pag 4. Scribens. " Spiritualis juriſdictio diviſa eſt in quatuor Provincias, quarum
" Primatus ob reverentiam S. *Patricij* eorum Apoſtoli Semper Ar-
" chiepiſcopo Armacano delatus fuit; quod etiam confirmavit Eu-
" genius tertius, qui inſuper tres alios Archipræſules Dublinij u-
" num, alterum Caſſeliæ, tertium Tuamiæ collocandos mandavit, his
" jure ſubſunt ſuffraganei Viginti novem *omnes ſubditi Armachiæ*
" *Primati.* Addit. Fol. 38. a Papa Cæleſtino. S. Patricium conſtitutum *Archiepiſcopum, et totius Inſulæ Primatem.* Plures alios omitto extraneos è re natâ fortè infrá enumerandos.

11. Ex tot domeſticis Scriptoribus palmam, et authoritatem aſſerentibus Armacano ſuper omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, et Univerſum Clerum hujus Inſulæ, ne prolixior ſim, paucos ſeligam non Ultonienſes, ut omnis adverſariis præripiatur cavillandi prætextus.

Gratianus *Lucius* ſive *Joannes Lynch* Galvienſis ex remotâ parte Conaciæ Archidiaconus Tuamenſis in ſuo elaborato Libro inſcripto Cambrenſis everſus pag. 150. ait. *Archiepiſcopus, et Primas Armacanus univerſam Hiberniam Suâ poteſtate complectitur .... certè Hiberniam olim a Primatibus creberrimè obitam Annales noſtri re-efrunt.* et. pag. 328 propius rem attingens proſequitur in hæc verba. " Armacanorum Præſulum et *Hiberniæ Primatum* album exhi-" bebo, non integrum illum quidem, ſed eorum duntaxat qui poſt " S. *Patricium* ad Danos Hiberniam aggreſſos Sancti titulum retu-" lerunt, ut *capitis Eccleſiæ Hibernicæ* conditione propoſitâ ejus ſi-" militudinem membra moribus retuliſſe nemo non judicet.

Et enumeratis Viginti Septem Archiepiſcopis Armacanis uſque ad Ann. 1020. inter Sanctos relatis : " Quantâ (inquit) ſedulitate " Suſcepto miniſterio functi fuerint, vel hinc perſpici poteſt, quod " præter Diæceſis Armacanæ limites pro uſitato Epiſcopis viſitandi " more quotannis obitos, accuratè cæteras etiam Hiberniæ Provincias " magnis itineribus creberrimè percurrerint, *Nam Solicitudo omnium* " *Eccleſiarum illos pungebat* ne (ut ſpeculatores domui Iſrael in Hi-" berniâ dati) populi ſanguis de eorum manu requireretur.

12. " In illis itaque peregrinationibus Sacrorum, et profanorum " hominum mores acriùs perſcrutati ad vitia evellenda, et virtutes in-" ferendas gnaviter incubuerunt ; ſic Artrygius Momoniam An. 822. " Conaciam, 824. Incolarum probis ritibus expoliendorum gratiâ " peragravit .... Dermitius Armacanus, An. 835. Conaciam adiit " Leges illic S. *Patricij* ſtabiliendi cauſâ, nimirum ut ad rectè vi-" vendi normam, a S. *Patricio* inſtitutam, amplectendam, et vitæ ſuæ " imitatione referendam, Incolas adduceret. Meliſa *Primas Arma-canus* Momoniam Anno 1068. Peragravit. Donaldus Armacanius, Anno 1092. Kennoloniam, Anno. " Sequenti Momoniam univerſam " accuratè luſtravit, Anno autem 1096. De cleri totius Hiberniæ " conſilio, ea jejunia, et pia opera Hiberniæ Incolis injunxit, ut illius " imperata hi facientes graviſſima imminentia pericula averterint. " Anno deinde 1101. Regulum Ulidiæ vinculis, et inimicitiâ Reguli " Atlechenſis liberavit, ac utrumque icto fœdere conciliavit. Anno " proximè ſecuto diſſidia Regum Aquilonaris, et Auſtralis Hiber-" niæ pace unius anni inter utrumque conſtitutâ ſedavit.

" S. *Celſus* An. 1106. per Ultoniam, et anno ſequenti per Momo-" niam iter habuit. An. 1111. Synodo Uſnagenſi a Quinquaginta

" Epiſco-

" Episcopis, trecentis Presbyteris, &c. Frequentatæ præfuit, in quâ " Leges ad Clerum, et populum probis institutis informandum ido- " neæ latæ sunt, idem An. 1116. Conaciam secunda vice obiit, et ad " Hiberniam, An. 1126. Bellorum tumultibus maximè agitatam " pacandam, Annum, et mensem extra suæ diœcesis fines egit, nego- " tium tandem ita transigens, ut dissidentes Principes ad concordiam, " Clerum, et populum ad præstantiorem disciplinam adduxerit. " Anno denique 1128. Conacienses, et Momonienses discordiâ di- " vulsos, pacis vinculo conjunxit.

13. Addit: " qui fuerunt in simili operâ S. *Malachiæ* conatus, " supra exposui, (scilicet pag. 151. et sequentibus a curioso Lectore " pervolvendis,) quem sicut in Archiepiscopatu S. *Gelasius* decessorem " habuit, sic incolendæ Hiberniæ laborem obeundo ejus vestigiis in- " hæsit, nam Ann. 1139. itinere per Momoniam ex animi Sententiâ " perfunctus, alio itinere Conaciam Ann. 1140. permensus utrobi- " que Religionis, pietatisque scita propagavit. Anno, 1144. Discor- " diam inter Theodoricum Conaciæ et Murchardum Midiæ Regem " exortam compescuit, Ann. 1148. Indictâ synodo disciplinam ec- " clesiasticam novis Legibus sufflaminavit, Ann. 1152. Ad Eccleſiam " Hibernicam multo splendore decorandam non modicam operam " contulit, Ann. 1162. Expoliendæ disciplinæ ecclesiasticæ, et politicæ " in numerosâ synodo rursus incubuit. Hæc est proculdubio synodus (cum annus conveniat) de quâ retulit idem Lucius pag. 160, viginti Septem Episcopos ab *Armacano Primate Gelasio*, Ann. 1162. (Incidente in annum decimum post appulsum Cardinalis Paparonij cum quatuor Palliis) Cloaniam in lageniâ cum Abbatibus, aliisque de Clero accitos pro ecclesiastica disciplina, et moribus in melius mutandis.

Cloania autem nunc Clean sita est ad Liffium fluvium in Comitatu, et Diœcesi Kildarienſi, ac Dublinienſi Provinciâ, non procul ab ipsâ Urbe Metropolitana, ne quis ex inadvertentia confundat cum Clunardâ olim celeberrimâ in Comitatu, et Diœcesi Midensi ad sinistram ripam fluminis Boyn. utramque enim denotant, et distinguunt Wareus de antiquit cap. 26. ac Lucius pag. 326. Et manifestum facit sequens Textus Appendicis quartæ ad vitam S. *Brigidæ*, cap. 16. *Templum S.* Brigidæ *ecclesia Parochialis diœcesis Kildarienſis in decanatu de Cloanab.* Vid Triad. Thaumaturg, fol. 265. Nec a præcedenti synodo distinguenda videtur, quam commemorat Lucius, pag. 169.

Sed eandem fuiſſe colligimus ex Wareo de Præſul, fol. 15. In quâ communibus ſuffragiis Epiſcoporum, plurimorum Abbatum aliorumque Clericorum *Gelaſio Primate præſidente*, " Sancitum fuit, ne " ullus deinceps ad theologiam publicè prælegendam admitteretur, " niſi qui, Academiæ Armacanæ fuerat alumnus. Idem. S. *Gelaſius* aliud Nationale Concilium convocavit, Ann. 1167. Et (ut in ejus vita 27 Aprilis, cap. 28. Ex actis Sanctorum Hiberniæ his verbis refertur) in eo Conventu comparuerunt *Gelaſius Hiberniæ Primas*, Laurentius o Tuahile Lagenienſium *Archiepiſcopus*. Deinde An. 1170. Aliam Gelaſius indixit Armachiæ totius Cleri ſynodum Nationalem, de qua tractat Giraldus Cambrenſis expugnat. Hibern. Lib. 1. cap. 18. Et Lucius, pag. 161.

14. Eadem de viſitationibus, et ſynodis, in Artrigio, Meliſa, Donaldo, Celſo, et Gelaſio refert, et aſſerit de præſul, fol. 11, 12, 13, et 15. Dublinij natus, ibique conſtitutus Regius Auditor generalis Eques auratus *Jacobus* Wareus in rebus Hibernicis (fatente, et quidem merito Illmo. Talboto) optimè verſatus, qui præmiſit, fol. 7. Noadum *Armacanum Archipræſulem*, Ann. 810. Progreſſum in Conaciam ibidem abuſus nonnullos Eccleſiarum reformaſſe. Et cap. 24 De antiquit ad Ann. 1106. tradit Donaldum *Archiepiſcopum Armacanum* profectum Dublinium, ut pacem inter Muriertachum Regem. Hiberniæ, et Donaldum Macloghlin procuraret. Quod Major non occurrat notitia eorum quæ S. *Patricij* Succeſſores in Primatu Armacano egerint per alias Provincias a primis noſtræ Eccleſiæ Sæculis ad hæc tempora adſcribendum eſt Paganico Danorum furori, cruentis ſubſequentibus Bellis, præſertim tribus ultimis, aliiſque caſibus ſupra commemoratis in præfatione. Ex illis autem monumentis quæ auſpicatò ſuperſunt communi, direptioni conſtat Joannem Bole, Archiepiſcopum Armacanum, Ann. 1461. Viſitaſſe authoritate Primatiali Provincias Caſſelienſem, et Tuamenſem, hanc per ſeipſum, illam per ſuum Commiſſarium Delegatum Magonium Macdonachy canonicum Elfinenſem. vid. infra, Num. 365.

His tamen paucis, quibus ſuffragantur alii Hiſtorici hujus Regni convincuntur erroris Recentiores quidam Scioli comminiſcentes Primatialem Armacanam juriſdictionem initium ſumpſiſſe a Tyrannide Uxoratorum, qui diabolica ambitione ſæculo decimo ſedem ſanctam uſurparunt. Liquet etiam tempore illius tyrannidis non defuiſſe veros, et ritè conſecratos Epiſcopos ſibi invicem ſuccedentes, qui etſi

excluſi

excluſi eccleſiâ, et Redditibus Armacanis, vices ſuas Authoritate Primatiali (quantum per oppreſſores, et temporum anguſtias licuit) explebant per totam Hiberniam, ſic viſum eſt noſtro, et præcedenti ſæculo (cum Eccleſias, et eccleſiaſtica Emolumenta poſſiderent Neoterici proſcriptis Lege Municipali Præſulibus orthodoxis) repertos fuiſſe Epiſcopos fideles, ac Zelo animarum œſtuantes, qui in timore, et tremore periculis, et perſecutionibus obnoxij ſuo Gregi invigilarent. Nec illos quantumvis anguſtiatos, et inopes, Potentiorum authoritate oppreſſos, de ſerie Epiſcoporum illarum ſedium, ad quas deſtinati ſunt, ullus Catholicus expunget.

15. Accedit David Rotheus Oſſorienſis Epiſcopus in Lageniâ, et Suffraganeus Archiepiſcopi Dublinienſis, cujus proinde tuendæ Præeminentiæ ſtudio magis afficeretur, niſi vis veritatis adigeret in contrarium. hic Rmus Præſul eruditione, et pietate ipſis acatholicis venerabilis, in libro cui Titulus Analecta de rebus Catholicorum in Hiberniâ artic, 6 pag. 228. ita effatur: " Jure, et uſu olim recep-
" tiſſimo Archiepiſcopus Armacanus quolibet ſeptennio viſitabat to-
" tum Regnum, cæteroſque Metropolitanos ad ſuum Tribunal avo-
" cabat, judicabat, et lites, cauſaſque graviores devolutione, Appella-
" tione, aliiſque juris præeminentiis, aut facti remediis terminabat
" *Primatiali authoritate*: Unde et ipſe quemadmodum *Metropolita-*
" *norum Primas* ita *Metropolitanus totius Hiberniæ*, a Divo Bernardo
" dictus eſt .... ut appareat quam longè recedant minores a veſti-
" giis ſuorum Majorum, Armacana Eccleſia beati Patricij ſedes, in
" quâ et vivens ſedebat, et mortuus requieſcebat (teſte S. *Bernardo*)
" ipſa cum ſit proprius totius Primatiæ locus (ita loquitur Giral-
" dus) nunc velis, et remis quam ſtrenuiſſimè laboratur ut primæva
" illius dignitas Supplantetur.

Et Severinus Ketinus SS Theologiæ Doctor Momonienſis magnæ æſtimationis Chronologus, et accuratus Antiquitatum noſtrarum Indagator, lib. 2 pag. 5. Docet *Archiepiſcopum Armacanum a S. Patricio conſtitutum totius Hiberniæ Primatem, plenam per univerſum Regnum exercuiſſe juriſdictionem.* Quod iterum confirmat pag. 100.

16. Et ne putentur tres Archiepiſcopi conſtituti Caſſelienſis a S. *Celſo*, Dublinienſis, et Tuamenſis a Cardinale Paparonio, per pallium aſſecuti exemptionem a Primatibus, cum inde potiùs eluceret juriſdictio Primatialis, cui ſubjici debent Archiepiſcopi, ſicut illis Epiſcopi ſuffraganei, quemadmodùm decernitur diſt 99 in principio: *Debent*

ergo

ergo obedientiam Primatibus Archiepiſcopi in omnibus quæ ſibi ab iis juſtè fuerint imperata. Idem colligitur ex can 17 concil. Calcedon, aliiſq; occurrentibus inferius. Et vidimus num. 10. ex Campiano Eugenium tertium in erectione reliquorum Archiepiſcopatuum confirmaſſe ſuper illos Primatum Armacanum: Ac pleniùs ex Annalibus Eccleſiæ de Clunenagh S. *Finani* abbatiæ olim celeberrimæ in Leciâ, nunc Comitatu Reginæ in Lageniâ, et Dublinienſi Provinciâ, refert jam laudatus Ketinus Annal. Hibern. lib. 2. pag. 56. his verbis.

" Anno biſſextili, et emboliſmali ab incarnatione Domini, 1152.
" nobile concilium in vernali tempore ad Dominicam Lætare *Jeru-*
" *ſalem*, apud Kennanaus celebratum fuit, in quo præſidens D. Joan-
" nes Cardinalis Presbyter Beati Laurentij in Damaſo inter viginti
" duos Epiſcopos, ac quinque electos, et inter tot Abbates, ac Pri-
" ores ex parte Beatorum Apoſtolorum *Petri*, et *Pauli*, et Domini
" Apoſtolici Eugenij, Simoniam, et uſuras omnibus modis extirpavit,
" et damnavit, Decimas dandas authoritate Apoſtolicâ præcepit:
" Quatuor Pallia Quatuor Archiepiſcopis Hiberniæ, Dublinienſi,
" Caſſelienſi Tuamenſi, et Armacano tradidit; inſuper *Armacanum*
" *Archiepiſcopum in Primatem ſuper omnes alios, prout decuit, ordi-*
" *navit.*

17. Ita Ketinus adjungens multum diſpliicuiſſe Hibernis quod plura allata fuerint Pallia, quam duo, ſicut antea expetierat S. *Malachias.* Et conformiter ad hæc S. *Gelaſius* Primas (ut viſum eſt num. 13, et 14) poſtmodum more Majorum Ann. 1162, 1163, 1167, et 1170, aliiſque concilia nationalia indixit, iiſque præſedit in Lagenia, et alibi. Nec quidquam confert prætenſioni recentiorum Dublinienſium de tradito ſibi primo pallio (uti pauci perperam obtrudunt) quod hic primo loco nominetur Dublinienſis.

Siquidem author rem geſtam narrat non obſervans ordinem geſtorum, quod quandoque etiam ipſis contingit Agiographis, ut videre eſt *Marci* 14 *vers* 23 *ad Galat* 2 *vers* 9, et in argumento *cap conſtitutis de Appellat*, &c. Ac omnem deſuper depellit caliginem, et anſam cavillandi ad Ann. 1151. Cardinalis Baronius, qui pervolvit geſta in Hiberniâ Cardinalis Paparonij extantia (ut aſſerit) præfixo ſpeciali titulo in vaticano, et loquens de Quatuor Palliis, et Archiepiſcopatibus Hiberniæ. *Primum* dicit conſtitutum apud Armagh, ſecundum apud *Caſſel*, Tertium apud *Dublin*, Quartum apud *Conaght*, et tam Wareus quam Ketinus referentes ordinem conſeſſûs in concilio

lio Kennaunenſi, poſt Cardinalem Paparonium collocant Chriſtianum Legatum Apoſtolicum, Gelaſium Armacanum *Primatem Hiberniæ*, ſubſequentibus aliis tribus Archiepiſcopis, et Epiſcopis ſuo loco.

18. Sed ut de Seſſione Præſulum in illâ Synodo propriis verbis audiatur Wareus antiquit, cap. 16. " Primus (inquit) Giolla Chri-
" oſta ſive Chriſtianus o Conarchy Epiſcopus Liſmorenſis Legatus,
" Gillamacliah alias Gelaſius *Primas Hiberniæ*, Domnaldus o Lo-
" norgain Archiepiſcopus Momonienſium *i. e.* Caſſelienſis, Eda o
" Hoiſſin Archiepiſcopus Connaghenſium *i. e.* Tuamenſis. Greri,
" ſive Gregorius Epiſcopus Athliath *i. e.* Dublinienſis, *&c* Et Giraldus Cambrenſis lib. de expugnat. Hibern. cap. 3. referens ſynodum Nationalem ab Henrico 2. Habitam. An. 1172, cui interfuerunt *Donaldus Caſſelienſis*, et *Laurentius Dublinienſis* ſubdit *Armachienſem Primatem* ob corporis imbecillitatem et grandævitatem præſentem non fuiſſe. Unde habes non niſi poſt Caſſelienſes Archiepiſcopos Pallium, et Seſſionem in ſynodis obtinuiſſe Præſules Dublinenſes.

Nec mirum, cum tot annis conſtitutus a S. *Celſo*, Archiepiſcopatus Caſſelienſis præceſſerit erectionem Metropolis Dublinienſis, quæ antè uſurpationem Danorum, imo et ſub ipſâ non fuit niſi ſimplex *Parochia* Diæceſis Glandelacenſis, ut agnoſcunt ipſi Dani Dublinienſes epiſt. ad Radulphum Cantuarienſem, quæ eſt ſyllog. Uſſer. Quadrageſima: " Idcirco veſtra ſuffragia ſupplices petimus, quatenus Grego-
" rium ad ſacrum ordinem Epiſcopatûs promoveatis, ſi ampliùs illam
" *Parochiam*, quam multo tempore vobis reſervavimus, retinere vo-
" lueritis. Hanc denominationem *Parochiæ* reticet, præcedentia recenſens Illmus. Talbotus in ſuo Libello, de quo plura inferius.

19. Et ut prærogativa Armacanæ ſedis præ Dublinienſi dignoſceretur etiam ex partitione Provinciarum factâ in Concilio ſub Cardinale Paparonio, provide cautum fuit, ut Armacanus Archiepiſcopus, et Primas haberet Subjectas immediatè decem Diæceſes ſuffraganeas, cum Dublinienſis Antiſtes quatuor tantum ſortitus fuerit. Præter notata, Num. 13, et 17. De ſynodis Nationalibus indictis a S. *Gelaſio* poſt concilium Kennaunenſe ita de eo loquitur Pag. 329. Gratianus Lucius (ac de viſitationibus peractis) Anno Domini, 1172. (qui fuit vigeſimus a diſceſſu Cardinalis Paparonij) " Capularis, et propè
" jam effætus S. *Gelaſius* Conaciam quartâ vice non ſegniter obivit,
" et eccleſiarum negotiis ritè peractis per Ultoniam iter proſecutus
" in ea quoquè ut Res eccleſiaſticæ rectè conſtituerentur, curavit, *&c.*

Nec

Nec erat (si excitatas quibusdam in locis turbas sub adventu Anglorum Ann. 1169. excipias) qui ejus, aut Successorum resisteret ordinationi Primatiali per centum Subsequentes annos. Primus reperitur movisse difficultatem Archiepiscopus Tuamensis, nescio quo prætextu detrectans visitationem, et jurisdictionem Armacanam in Provinciam Tuamensem: De quâ contentione differens in continuatione Baronij Odericus Raynaldus ad Ann. 1255. Num. 40. ait: " In " Hiberniâ contendentibus de Primatu Archiepiscopo Armacano, et " Tuamensi, controversiaque apud subsellia Apostolica disceptatâ Ar- " macano in Tuamensem Provinciam ab Alexandro quarto authori- " tas adjudicata est.

20. *Authoritate Apostolicâ de fratrum nostrorum consilio taliter providemus, quod præfatus Archiepiscopus Armacanus, et singuli sui successores possint se vocare, vel appellare, si voluerint, Primates Provinciæ Tuamensis, et facere deferri ante se crucem pertotam ipsam Provinciam quantumcunquè, et quotiescunque ipsos transire contigerit per eandem. Possint etiam dictam Provinciam de quinquennio in quinquennium visitare, ac per dies Viginti Septem duntaxant visitationis officio immorari .... Datum Ananiæ idib, octobris an* 1. Ita Alexander Quartus inhærens vestigiis Innocentij secundi, qui constitutam a S. *Celso* Metropolim Casselienſem *primæ Sedi* (Armacanæ) et *illius Archiepiscopo subditam tanquam Primati* authoritate Apostolicâ confirmavit, teste S. *Bernardo* ubi supra, Num. 7. Hic advertendum in Tuamensem Provinciam assertam potestatem Armacano, non quia Archiepiscopus erat, nam talis fuit etiam Tuamensis, et Par in parem non habet potestatem, *cap innuit de Elect.* Eo igitur Solo nomine quod ex primævâ institutione, Primatiali (quæ Archiepiscopali major est) dignitate præful geret, quæ ratio æquè militat in aliasProvincias.

Hinc est quod cum circa idem tempus Lucas Archiepiscopus Dublinienſis simili ausu contendens de Primatu, subtrahere se attentaret jurisdictioni Armacanæ, qui proximè Alexandrum in Pontificatu excepit Urbanus quartus ejusmodi præsumptionibus viam imposterum præclusurus, Patricio o Scanlan a Sede Rapotensi ad Metropolitanam Armacanam translato An. Dom. 1261. Bullam concesserit hujus tenoris. *Primatiam totius Hiberniæ quam Prædecessores tui usque ad hæc tempora inconcussè habuisse noscuntur, ad exemplar Cælestini Papæ Prædecessoris nostri tibi, tuisque Successoribus authoritate Apostolicâ confirmamus statuentes ut Hiberniæ Archiepiscopi, Episcopi,*

et

et alij Prælati tibi et Succeſſoribus tuis tanquam Primati obedientiam, ac Reverentiam omni tempore debeant exhibere.

21. Conforme præcedentibus eſt Reſcriptum Joannis. 22. ad. Nicolaum Armacanum, quod aſſervatur in ipſis Archivis Dublinienſibus Libro Nigro, ſeu ut vulgo vocant, *The Black Book*, et quia prolixum; referemus tantum quæ faciunt ad rem præſentem, et ſunt ſequentia. " *Joannes Epiſcopus* ſervus ſervorum Dei ad futuram rei " memoriam: promptæ fidei, et pronæ devotionis affectus quem Ve- " nerabilis frater noſter Nicolaus Archiepiſcopus Armacanus *Hiber-* " *niæ Primas* erga nos, et Romanam Eccleſiam in effectu laudabiliter " exhibet, promeretur, ut eum gratioſâ benevolentiâ proſequentes " quæ digna a nobis poſtulat ad exauditionis gratiam admittamus. .... *Quod cum in partibus Hiberniæ ad ſedem Apoſtolicam ex quâ eunquè cauſâ hactenùs appellari contingit, ſeu appellatur de præſenti, hujuſmodi Appellantes ad eandem Sedem directè, nec non ad Archiepiſcopalem Curiam Armacanam tutoriè appellarunt, et appellant, potiſſimè illâ de cauſâ ne in præjudicium pendentiæ hujuſmodi Appellationum in Romanâ Curiâ, et extra eam, atque appellantium præfatorum per appellatos, ſeu alios quidquam temerè attentetur, aut innovetur*, &c.

Hic obſervandum non loqui ſummum Pontificem de Appellationibus in unâ vel alterâ parte, ſed indefinitè in *partibus Hiberniæ*, et qui nullam excipit, omnes includit, præſertim in iis, quæ a jure non exorbitant, argumento *can. ſi Romanorum vers. Decretales, diſt. 19. et can. ut oſtenderet de conſecrat, diſt. 4. ac. cap. Quoniam in fin, ubi gloſs. in ver. generali de conjug. lepros.* Quærendum hic occurrit (ponderando illa verba: Ad *Archiepiſcopalem Curiam Armacanam tutoriè appellant*) quam tutelam præſtarent Appellantibus ex aliis locis, ſeu Provinciis Armacani Præſules, niſi aliorum Archiepiſcoporum ſuperiores eſſent, et judices in cauſis præſertim Appellatione devolutis Appellatio enim eſt Provocatio a minori judice ad Majorem, et Superiorem. *Can. Anteriorum. 2. quæſt. 6. Cap. non putamus de conſuetud. in 6.* et ibi Abbas: *Gloſs unic. in can. liceat. 2. quæſt. 6. L. perfecti ff. de Minor.* Unde meritò miraberis quomodo tam temerarius auſus inciderit uni, vel alteri Archiepiſcopo Dublinienſi, ut contenderet cum Armacano Dublinij, aut alibi de Præcedentiâ, aliiſve prærogativis ſpectantibus ad jus Primatiale.

22. His tamen obſtrepuerunt, quandoque vehementiori elationis, quam rationis ſpiritu agitante pauci Dublinienſes (de quibus infra)

irrito tamen conatu. Siquidem Armacani, quoties occaſio obtulit, Primatiali ſua poteſtate functi ſunt in Dublinienſes, et alios, et quamvis non omnia ſcriptis mandata reperiantur incuriâ grapheorum, vel potius temporum, ac bellorum injuriâ (ut ſupra monuimus) quædam tamen ſuperſunt patentia teſtimonia. Imprimis ex Regiſtro Armacano refertur a Dudleo Loſto utriuſque juris Doctore, et Magiſtro Regiæ Cancellariæ lib. de cauſa Ware, et Sherly, fol. 80. Caſus mulieris nomine Alſona ſive Aliſiæ Knight, quæ Anno, 1462. in diſſidio Matrimoniali cum Simone Abreo a ſententiâ Curiæ Metropolitanæ Dublinienſis provocavit ad Primatialem Armacanam; Joannes Bole tunc Primas cauſam diſcutiendam demandavit Jacobo Leach canonico Armacano, qui auditis Partibus apud Termonfeccan prope Pontanam Curiæ Dublinienſis ſententiam caſſavit, et irritam declaravit (vid infra, num. 369.)

23. Pariter, An. 1493. exortâ contentione inter Epiſcopum Leighlinienſem Nicolaum Maguire (ob eruditionem eâ ætate non vulgarem in ſumma apud Hibernos veneratione, ut teſtatur Wareus de Præſul, fol. 156.) et Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, recurrerunt Canonici ad Conſiſtorium Metropolitanum Dublinienſe, ſed ibi conquerentes de gravamine denuo appellarunt ad Curiam Primatialem Pontanæ, vulgò Drogheda, ubi ventilatâ cauſâ Primas Octavianus a Pallatio inhibuit Epiſcopo ne quidquam attentaret in præjudicium quotidianarum diſtributionum dictæ Cathedralis, citavitque partes ad ſuum Tribunal apud S. *Laurentium* prope Pontanam, ut videri poteſt in Annalibus compilatis a Monacho ordinis Ciſtertienſis Mandato ſui Abbatis Caroli Cavanagh in Monaſterio Duiske, ſive S. *Salvatoris* in Comitatu Kilkenniæ, quorum meminit Wareus, de Scriptor. Hibern. lib. 1. cap. 12. dicens dictos Annales inſertos Regiſtro præfatæ Abbatiæ.

Qui Annales poſt ſuppreſſionem Monaſteriorum pervenerunt ad DD Vice-comites de Galmoy, et continent hæc ipſiſſima verba. *Anno.* 1493. *Octavianus Primas Armacanus ſuper ſecundâ Appellatione Decani, et Capituli Leighlinienſis inhibuit Epiſcopo, ne quid attentaret in præjudicium quotidianarum diſtributionum dictæ Cathedralis Eccleſiæ, et citavit eos ad domum ſuam, ſive Cancellariam prope Drogheda.* Idem de hac appellatione refert, et confirmat in ſuis quoque Hiberniæ Annalibus a Wareo ubi ſupra laudatis Thaddæus Dowlin, Cancellarius Leighlinienſis, cujus autographum nondum (quod ſciam)

Typis

Typis excuſum cum aliis antiquæ memoriæ manuſcriptis conſervatur in Collegio Dublinienſi. Nullus horum, ſive Monachus, aut Abbas, ſive Cancellarius Dowlin poteſt videri ſuſpectus de veritate, aut Partium ſtudio addictus ſedi Armacanæ, cum fuerint omnes Lagenienſes, et Metropolitano Dublinienſi ſuffraganei.

24. Item, An. 1670. Appellationem Dnæ Purcell viduæ Dni. Chivers de Mountown djæceſis Dublinienſis in cauſâ Matrimoniali conquerentis per Procuratorem Suum, et juriſperitum Antonium French de gravamine illato a Rmo. Dublinienſi Archiepiſcopo Petro Talboto, admiſit, et fine debito terminavit, qui inſuper imitatus Prædeceſſores, Tribunal tenuit in ipſa Urbe Dublinienſi, Metropolitanus Armacanus totius Hiberniæ Primas Oliverus Plunkettus mitis animi, et inſignis pietatis Antiſtes, qui glorioſo Martyrio Eccleſiam noſtram illuſtravit. De utroque facto, tacito quidem Appellantis nomine convenit ipſe Illmus Talbotus in præfatione ſui Libelli de prætenſo Primatu Dublinienſi.

Similiter Plunketti Succeſſor Dominicus Maguire An. 1691. Appellantem a judicio Archiepiſcopi Tuamenſis Jacobi Lynch Doctorem Ambroſium Maddin poſteá Epiſcopum Clunfertenſem ſuo patrocinio tutatus fuit, fatente etiam ultimo Archipræſule Tuamenſi Franciſco B. idem et eodem Anno contigit in cauſâ Appellationis Abbatis Congenſis a Curiâ Tuamenſi ad Armacanam. Utriuſque Appellationis centeni etiamnum Teſtes Superſunt, et ultimam a ſe notam fatetur Venerabilis Vir Jacobus Ruſſel Ds. Dublinienſis. Tandem defuncto Maguiro Suffectus, *H. M.* pariter admiſit provocationem D. Valentini Rs. Paſtoris, et Canonici Dublinienſis pro reſtitutione Parochiæ S. Catharinæ poſt pacificam poſſeſſionem octo annorùm alteri perperam collatæ ab Ordinario. Ita inſitum eſt mentibus Hibernorum, in gravaminibus Spectantibus ad forum Eccleſiaſticum, implorare patrocinium Primatialis ſedis Armacanæ, ratis cum Rmo. Rotheo Analect, fol. 231. *veram Armachiæ honorificentiam eſſe inconcuſſam, nec videri aliter poſſe occumbere, quam cum ipſa Catholicâ Religione cum quâ et ſtetit, et reſurget.*

25. De conteſtatione quorundam Dublinienſium ne Dublinij erigeretur Crux Armacana (in quo omnis vertebatur Cardo controverſiæ, ſeu oppoſitionis Adverſariorum uſque ad ſæculum decimum Septimum prætextu exemptionis) agemus ſuo loco. Interim non prætereundum Silentio quod præeminentiam Armacanam deprimere,

et quantum potuit, penitùs evertere niſus ſit *Georgius Brunus* Archiepiſcopus Dublinienſis impetrando *Primatiam totius Hiberniæ* a Rege Edwardo Sexto, qui cum in *Hibernià* ſuppreſſâ Religione Catholicâ, novam ſectam juberet introduci, et prælegi in Eccleſiis noſtris Liturgiam Anglicanam, obſequentiſſimum habuit dictum Brunum, qui inſolentiſſimè debacchatus in ſummum Pontificem, Regis edictum avidè amplexus fuit, et ſtrenuè promovit. At totis viribus hujuſmodi innovationibus ſe oppoſuit *Georgius Dowdallus* Armacanus, tum verbis, tum Scriptis circumquaquè diffuſis, ac etiam coram Prorege *Jacobo Crofto* in Præſulum, et Procerum cætu pathetico diſcurſu monens omnes ſui officij ad conſervandam Religionem orthodoxam, et debiti obſequij erga S. *Sedem* Apoſtolicam.

Quo implacabiliter offenſus Edwardus impellente præfato Crofto, exautoratum Dowdallum relegavit in Belgium, illiuſque Dignitatem Primatialem *totius Hiberniæ* per undecim ſæcula conſtitutam Armachiæ aſſignavit Bruno, illiuſque ſucceſſoribus in Archiepiſcopatu Dublinienſi, An. 1551. Sicque in præmium deſertionis a fide Catholicâ prævaricatus Solemne votum caſtitatis in religioſâ profeſſione emiſſum ductâ uxore primus Præſulum hujus Regni (in Angliâ quidem natus, et educatus) Apoſtata Brunus affecutus eſt dono Regis Proteſtantis, quod hactenus Armacanis inviolatè Roma aſſervavit. Videatur Wareus de Præſul, fol. 25. et 119. præſertim tomo Univerſorum operum Anglicè impreſſorum part. 2. de annal. Hibern. in vitâ *Georgij Bruni*, pag. 155. et Seqq.

26. Quærendum hic occurrit, quod novum Beneficium Regis Edwardi, quæve remuneratio foret hæc adempta Armachiæ, et annexa Dublinio Dignitas Primatialis, ſi antea, et quidem per acquiſitionem primi Pallij (ut obtrudit Rmus. Talbotus) verè illam ſuper reliquos Præſules totius Regni poſſediſſent Dublinienſes Antiſtites? Dum ſolidum, et tanto authore dignum ſine fuco, ſine ambagibus expectatur reſponſum, advertet Lector quomodo oppreſſis, et ob ardentiſſimum Zelum ſuſtinendæ Catholicæ Religionis, et authoritatis Pontificiæ patientibus injuriam mox ſubvenerit larga in auguſtiis Providentia divina: Siquidem ante duos annos evecta ad ſolium glorioſiſſimæ memoriæ Regina Maria fratri Edwardo ſuccedens proſcriptum Dowdallum ex Belgio domum revocavit, illique, ac Sedi Armacanæ poſtliminio reſtituit *Primatiam totius Hiberniæ* cooperante Cardinale Polo, non minus Hiberniæ, quam Angliæ inſtituto Legato Apoſtolico,

lico, ut Diploma Philippi Regis, et Reginæ Mariæ a Clemente Reynero de Apoſt. benedict. in Anglia, pag. 233. productum teſtatur apud Lucium, fol. 228. Sicque contigit ut gravamen Regiâ poteſtate inflictum, Regali ſimul, et Apoſtolicâ authoritate tolleretur, lœſâ parte in integrum reſtitutâ. Et exautoratum Brunum juſſit Regina ad perpetuam præſumptionis, ac ambitionis infamiam malepartum privilegium abdicare in Regia Cancellaria, ut rotulas evolventibus apparebit, et aſſerit Wareus ubi ſupra, ac ſupremum Concilium Regium videndum inferius, num. 106.

Et tandem eò devenit rerum viciſſitudo ut præfatus Primas Dowdallus factâ inquiſitione dictum Georgium Brunum, quia uxoratum, et impœnitentem privaverit ipſâ etiam dignitate Archiepiſcopali, ut qui immoderatâ ambitione appetivit aliena, etiam quod habuit, auferretur ab eo. Quantum ſibi malum Ambitus! et ita reſtitutam Dowdallo *Primatiam totius Hiberniæ* ſemper hucuſquè firmam obtinuerunt Armacani Præſules ſine ulla revocatione, vel alteratione ſub Reginâ Elizabetâ, aut ſuccedentibus Regibus. *Wareus ubi ſupra, pag.* 157. Hinc rerum potiti Armacani Præſules Proteſtantes Præcedentium in hoc Catholicorum veſtigiis inhærentes non tantum Dublinio, et undequaque ex toto Regno admittunt, et decidunt cauſas, ſed in ipſâ Civitate Dublinienſi tenent auditorium, ac ita invaluit uſus apud omnes tum Catholicos tum Proteſtantes, doctos, et indoctos, nobiles, et plebeos, ut quotieſcunquè audiunt nominari *Primatem*, non alium intelligant quam Armacanum, nunquam vero Dublinienſem, quem Archiepiſcopum tantum appellant, haud ſecus ac Caſſelienſem, et Tuamenſem.

27. Dowdallo Pauli tertij conceſſione ſucceſſit in ſede Armacanâ (qui concilio Tridentino interfuit, ibique a Patribus agnitus, et declaratus hujus Regni Primas, vid ſuperius, num. 10.) Robertus Venantius, de quo P. Orlandinus ſociet Jeſu lib. 3. pag. 85. Scribit Robertum *Primatem Hiberniæ* virum inſignem ſuam Provinciam petentem obiiſſe Pariſiis. qui illum excepit *Primas* Richardus Creveus paulo poſt acceſſum deprehenſus, et ductus in Angliam paſſus ærumnas, et ſqualores carceris in Turri Londinenſi diem clauſit. Subſequens *Primas* Edmundus Gauranus ſub ipſo ingreſſu in Hiberniam a Proteſtantibus Equitibus Haſtâ trajectus victima occubuit; ita de utroque tradit Philippus O Sulivanus ex illuſtri familiâ O Sulivanorum Bera in Momoniâ oriundus tom. 2. Lib. 3. cap. 4. poſtea conſtituti Succeſſive Primates Petrus Lombardus, et Hugo

Cavellus

Cavellus ambo eruditione, et pietate conſpicui, ille in magno pretio habitus a Clemente octavo, et in Congregatione de auxiliis deputatus Commiſſarius, hic theologicâ tot annis lecturâ, ac docto in ſubtilem Doctorem Commentario eruditis ſatis notus ante egreſſum ex Urbe mortui ſunt Romæ.

Et ab initio Regni Elizabetæ vix ullus Præſul Armacanus potuit comparere, aut edictis pœnalibus ſe ſubſtrahere, nedum juriſdictionem Primatialem exercere per Provinciàs, donec, An. 1645. miſſus ab Innocentio decimo ad confœderatos Catholicos in Hibernia Nuncius Apoſtolicus Renuccini appulit Kilkenniam, quo omnes convenerunt Antiſtites hujus Regni, ibique nullo contradicente in Synodo Nationali Sedens proximus a Nuncio Primas Hugo Reilly præceſſit reliquos Archiepiſcopos, adeoque Thomam Flemingum tunc præſentem Archiepiſcopum Dublinienſem etſi Kilkennia pars eſſet Dublinienſis Provinciæ; deinde frequenti cætui Præſulum, et Clericorum Caſſeliæ occaſione induciarum cum Barone de Incequin præfuit idem Primas Reilly affidente ſecundo loco Archiepiſcopo Caſſelienſi Thomâ Valeſio, hæc palam coram toto Regno geſta ſunt, et in ſuo Libro typis edito. An. 1672. retulit Illmus. Oliverus Plunkettus, dum adhuc ſupereſſent Milleni oculares Teſtes: nec in ſuo oppoſito Libello redarguit Rmus. Talbotus, etſi pronus ad carpendum, ſed quia veriſſimum agnovit, nec erat quod cavillaretur, alto ſilentio prætermiſit. Ex præcedentia autem, ſeu prima Seſſione Dignitas Major agnoſcitur ubiquè, et ſedis Prærogativa: *Can concilia, 9. hoc. quoque, diſt.* 17: *L.* 1. *ff. de albo Scribendo affict. decis.* 1. *Belluga in ſpeculo Principum rubr. 6. num.* 24: Aliique.

28. Primus Præſulum noſtrorum (quod ſciam) Congreſſus deinde contigit Dublinij, An. 1670. ubi Archiepiſcopus Dublinienſis Petrus Talbotus nihilo demiſſior factus infauſto attentato Joannis Alani (de quo inferius) aut turpi dejectione Georgij Bruni Anteceſſorum ſuorum, de Præcedentia, et prima Subſcriptione contendit cum Archiepiſcopo Armacano Olivero Plunketto, qui ſuſtinuit ea ſibi, et S. Patricij Succeſſoribus deberi præeminentiâ Primatiali, et inconcuſſâ præcedentium Sæculorum praxi innixa tot Diplomatibus Summorum Pontificum. Ne tamen inanibus altercationibus tempus tererent, aut turbaretur Conventus, præſentium Præſulum judicio obtulit terminandam diſceptationem, renuit Talbotus diffidens cauſæ ſuæ coram expertis, maluitque diſſidium in longum protrahere mittendo ſuas rationes Romam, quo ſuas pariter miſit Plunkettus. Quibus

Quibus utrinquè æqua lance perpenſis in Sacro cætu Cardinalium SS. Congregationis de propaganda fide Secretarius Baldeſcus Archiepiſcopus Cæſareæ, poſtea Cardinalis Colonna pronunciavit *L' Armacano ſta a Cavallo*, i. e. Armacani Rationes prævalere. Aliquanto poſtutriuſque Partis iterum ventilatis accuratè Momentis, et præmiſſâ (ut conſuevit) maturâ deliberatione SS. Congregatio approbante Summo Pontifice inſeri mandavit officio S. Patricij ad. 17. diem Martij hæc ſupra relata verba : *Armacanam Sedem Romani Pontificis authoritate totius inſulæ Principem Metropolim conſtituit.*

29. Quo Eccleſiæ oraculo omnibus morigeris ejus filiis venerando penitùs diruitur potiſſimum, imo unicum fundamentum recentiorum Dublinienſium comminiſcentium Armacanam Eccleſiam, nec Primatialem, et ne quidem Metropolitanam extitiſſe ante adventum Cardinalis Paparonij cum Quatuor Palliis Sæculo duodecimo, unde Talboti Succeſſor Illmus. Patricius Ruſſel in Conventu cleri noſtri habito Dublinij, An. 1686. Sicut et alibi publicè, ac privatim primum locum ubique ceſſit Dominico Maguire Armacano: Quod pariter fecerunt in ſuis Provinciis Joannes Brinanus Caſſelienſis, et Jacobus Lynch Tuamenſis Archiepiſcopi, ille Limerici, Anno, 1691. hic Galviæ eodem anno, cujus rei innumeri adhuc inter vivos teſtes degunt.

Et cum poſt deditionem Limericenſem plures Antiſtitum noſtrorum profecti in Gallias commorarentur Pariſiis, inter quos fuerunt Archipræſules Dublinienſis, et Tuamenſis Petrus Creveus, ac præfatus Jacobus Lynch ætate, et conſecratione aliis longe provectior, quotieſcunquè ad deliberandum de rebus communibus, aut privatis conveniebant, congreſſum indicebat, et præſidebat jam memoratus Dominicus Maguire Armacanus, et primum inceſſum nullo opponente obtinuit ubique omnibus reverentibus ejus Dignitatem Primatialem. Et Memini tunc præſens in Urbe cum. An. 1687. præfatis Archiepiſcopis Maguiro Armacano, et Ruſſelo Dublinienſi per eorum Procuratores DD. Ferguſium Lea, et Michaelem Plunkettum Pallia ſimul tranſmitteret Innocentius undecimus, et officiales curiæ Apoſtolicæ prima facie putarent præferendum Ruſſelum, quia conſecratione tot annis antiquiorem juxta *can Epiſcopos diſt.* 17. *Can placuit diſt.* 18. et *cap. cum certum de majorit, et obed* : Ac decrevit S. Gregorius ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum Epiſtolâ apud Bedam Lib. 1. cap. 29. tamen re ſeriùs diſcuſſâ Maguiri Procuratorem ob præeminentiam Primatialem primo loco aſſecutum Pallium. Hæc pro

Prima-

Primatialibus Eccleſiæ Armacanæ prærogativis ſuper omnes alias hujus Regni, non quidem integra (ut ſupra monuimus) aut dignâ methodo, vel Stylo enucleata : quibus nihilominus calamitoſis hiſce temporibus, uberiora expectari vix poſſunt, quamvis nonnulla conſultò reſervemus aptius referenda inferius præſertim a num. 190.

Modo expendenda veniunt Fundamenta, ſeu potius cavillationes Adverſariorum.

30. ÆMULATUS Rmus Archiepiſcopus Dublinienſis Petrus Talbotus Armacanam Eccleſiam in Bullis Pontificiis Oliveri Plunketti, et Prædeceſſorum aſſeri *Primatialem totius Hiberniæ* acriter inſtitit tribus deſuper Litteris ad Summum Pontificem, et SS Congregationem ut ſibi pariter a ſede Apoſtolicâ concederetur Titulus Primatis, ita fatetur ipſe in Epiſtola, 24. Maij, 1672. Scriptâ ad D. Petrum Creveum tunc in Urbe Procuratorem Cleri noſtri, poſtea Epiſcopum Corkagienſem, et tandem Dublinienſem Archiepiſcopum : Quæ Epiſtola (cujus copia conformis Originali habetur in viciniis) cum aliis ſcriptis dicti Crevei relictis Patri Herrald chronologo ordinis Seraphici aſſervabatur, et veroſimiliter etiamnum videnda remanet in Archivis S. Iſidori, in quâ denuò urget Creveum ut iterum pro obtinendo Titulo Primatis moveat apud Rmum. Secretarium Baldeskum.

Cum autem talis innovatio, ac inſolens attentatum non ſine indignatione Romæ deſpiceretur, ut mærori ex repulſâ concepto lenimen aliquale afferret, aliam hactenùs inauditam iniit viam, et edito Libello non contentus quorundam Deceſſorum Suorum exemplo (uſque ad Georgium Brunum) affectare exemptionem a juriſdictione Armacanâ, ægrè ferens ulli in toto Regno ſe poſtponi, primum ſuper omnes locum vindicare præſumpſit, novam excogitando definitionem Primatûs: Scilicet *quod ſit Eccleſiaſtica juriſdictio Archiepiſcopali major*

major a Summo Pontifice conceſſa Præſuli alicujus Sedis, ac Civitatis eo præſertim nomine quod tempore illius conceſſionis ea civitas fuerit caput, ac præcipua ſedes Regni, illa vero juriſdictio non aliter quam per Collationem Pallij concederetur, ita ille fol. 1. ac inde fol. 27. (ut ait) probat a *priori* Primatum Dublinienſem; fumum feciſſet ſaltem vel etiam a *poſteriori*.

31. Sed qui loco infra videndo Num. 222. ad Logicæ trutinam dicta Patrum nimium rigoroſè perſcrutatur, hic (ni fallor regulas Logicas apertè infringit, docent enim illæ (ſi bene memini) omnem definitionem eſſe convertibilem cum definito, at nulli ex omnibus ſupra recenſitis Num. 9. a Barboſâ Azorio, aliiſque totâ Europâ Primatui convenit dicta definitio, cum reperiantur omnes conſtituti non in primariis, aut præcipuis Civitatibus, ſeu præfecturis, ſed in longè inferioribus ſedibus, quas primi Satores fidei viri Apoſtolici miſſi a Romanis Pontificibus ſibi, et Succeſſoribus delegerunt, ut enumeranti patebit.

Cujus non leve Argumentum eſt quod cum in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio tertio Archiepiſcopus Compoſtellanus vindicaret Eccleſiam Compoſtellæ. Super omnes Hiſpaniarum Eccleſias intuitu S. Jacobi, qui ibi quieſceret, et in Hiſpaniâ prædicaſſet, Roderigues Chimenes Archiepiſcopus Toletanus præſagiens quantum præjudicium immineret Eccleſiæ ſuæ, ſi Compoſtellana evinceretur ſedes Apoſtoli Hiſpaniarum, accerrimè ſe oppoſuerit, non alio quoad hoc uſus argumento, quam abſolutè negando Jacobum Apoſtolum unquam ingreſſum in Hiſpanias. Baronius Epit. Spond. ad An. 44. Ut quid hæc diſceptatio inter Prælatos in generali Concilio, et coram tanto Pontifice? Et cur non potius facta inquiſitio, utrum Toletum, an Compoſtella palliis longè antea decorata Caput eſſet, ac præcipua Sedes, ſeu Præfectura Regni, ſi allata ab Authore recenti vera fuiſſet definitio? Quæ nondum procuſa ſubtili ingenio Talboti, alliiſque omnibus incognita, tunc Patribus incidere non potuit.

32. Nullus inficiabitur fidelis, ſed cuncti conſentient Petro Dublinienſi omnes dignitates, et præeminentias Eccleſiaſticas emanare ab omnium Matrice Eccleſiâ Romanâ. Quod præter alia invictiſſima argumenta ex Sacris Scripturis, Traditione, et Patribus docet Nicolaus Papa *can omnes Diſt.* 22. " Omnes ſive Patriarchæ cujuſlibet " apices, ſive Metropoleon Primatus, aut Epiſcoporum Cathedras;

" vel Eccleſiarum cujuſlibet ordinis dignitates inſtituit Romana Ec-
" cleſia, *&c.*" Ubi non reſpicit ad primarias Urbes, ſed ad Bene-placitum Ramanorum Pontificum. Et Anicetus Papa *can Sacro Sancta, 9. prima ead diſt.* " Prima ergo ſedes eſt cæleſti Beneficio
" Romana Eccleſia, quam Beatiſſimi *Petrus* et *Paulus* ſuo Martyrio
" conſecrarunt. Secunda autem ſedes apud Alexandriam beati *Petri*
" nomine a Marco ejus diſcipulo, atque Evangeliſtâ conſecrata eſt,
" *quia et ipſe in Egypto primum verbum veritatis directus a Petro prædicavit, et Glorioſum Suſcepit* martyrium .... Tertia vero ſedes
" apud Antiochiam ejuſdem B. Petri Apoſtoli nomine habetur Ve-
" nerabilis, quia illic priuſquam Romam veniret, habitavit". Quod iterum repetitur in concilio Romano ſub. Damaſo An. 382.

33. Antiochena autem civitas tempore Apoſtolorum, et ſubſequentibus ſæculis potentiâ, et amplitudine juriſdictionis multum ſuperabat Alexandrinam: Totius quippe Orientis Metropolis fuit, et Prætorij, vel Magiſterij ſedes, cujus erat juriſdictio ſupra omnes Orientis, Aſiæ, utriuſque Syriæ, Armeniæ, Phenicіæ, Paleſtinæ, et Arabiæ Provincias, ut teſtantur Zozimus, Lib. 1. hiſtor, Strabo, Lib. 5. Pomponius Mela, Lib. 1. Cap. 4. Chriſoſtomus Cives ipſe Antiochenus homil. 3. ad popul Antioch. Hieronymus adverſus errores Joannis Hieroſolimitani. Et illius Patriarchæ (qui Catholicus dictus fuit apud Procopium, Lib. 1. De Bello Perſico, alioſque ſtatim citandos, ſicuti qui Prætorio ejus præfuit, nominabatur Catholicus) omnes Orientis Subjectæ fuerunt Eccleſiæ ab Helleſponto uſque ad Evphraten, et ultra uſque ad Indos, ac enumerabantur Centum Triginta tres Cathedrales (longè plures recenſet Platina in Urbano Secundo pag. 785) Archiepiſcopales autem tredecim, Lib. provin Eccles: Gullielmus Tyrius, Lib. 4. belli Sacri Cap. 12. Gregorius Toloſanus Syntag. jur. Lib. 15. Cap. 7. ac Joannes Morinus in exercitationibus Eccleſiaſticis, *&c.* cum Patriarcha Alexandrinus ex concilio Nicæno *can mos antiquus diſt.* 65. non niſi Egypto ſeu Libiæ et Pentapoli (i. e. Quinque Civitatibus, ut ait Plinius, Lib. 5.) præeſſet.

Et Innocentius primus Epiſt. 20. ad Alexandrum Antiochenum, *Tradit eam Urbem haud ceſſuram Romanæ ſedi, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet, unde videas,* (inquit Baronius iſta referens ad An. 448. vid etiam, Epit. Spond, ad An. 439.) *Sedem Antiochenam nullâ ratione poſthabitam*

Alexan-

Alexandrinæ, niſi quod ita primum viſum Petro fuerit, Et Bellarminus, Lib. 1. de Roman Pontif. Cap. 24. differens de dignitate, et ordine trium primarum Patriarchalium ſedium ait: *Ratio ordinis eſt, quia cum omnes tres ſint ſedes Petri, tamen Romanam per ſe uſque ad mortem adminiſtravit. Alexandrinam per Marcum Evangeleſtam, Antiochenam per Evodium; ſicuti ergo major eſt Petrus Apoſtolus Marco Evangeliſtâ, et Marcus Evangeliſta Evodio, qui neque Apoſtolus, neque Evangeliſta fuit ita quoque Romana Eccleſia Alexandrinam, et Alexandrina Antiochenam authoritate, et Dignitate ſuperat.* Ac iterum Baronius ad An. 451. *Ubinam Gentium Quæſo prærogativa Sedium ex pulchritudine, vel amplitudine, vel dignitate civitatum a Majoribus reperitur eſſe Sancta, et non potius ex Apoſtolorum Succeſſione?*

34. Etenim ſi pro dignitate, et poteſtate Urbium, præeminentia Eccleſiaſtica computaretur, Archiepiſcopus Carthaginenſis (cujus ampliſſima præfectura quinque inferiores Primates, et ultra Trecentos Epiſcopos complectebatur) nec Alexandrino, nec Antiocheno Præſulibus eſſet poſtponendus. Carthago quippe totius Africæ caput celebritate, Opibus, populi frequentiâ et magnitudine tantum Romæ concedens, cum Alexandriâ aliiſque Sublimioribus civitatibus de Secundâ palmâ contendebat, ut fidem facit Herodianus, Lib. 7. Hiſtor. Victor Uticenſis, Lib, 1. et Cabbaſutius notit. Eccles. in concil Carthaginens, 6. fol. 203. imo ad Dict. An. 439. docet Baron quod *clariſſima omnium Civitas Carthago Romanæ Urbis æmula fuerit et licet tandem illi Subdita, Splendoris tamen Gloriâ cedere neſcia.* Et Gelaſius Papa Epiſt. xi. ad Epiſcopos Dardaniæ deridet quod Euphemius Conſtantinopolitanus ſibi Primatum ſupra Orientales Eccleſias vindicaret, quod tunc Regia Urbs Conſtantinopolis eſſet, ac eâdem ratione infert Ravennam quoque, Mediolanum, Sirmium, atque Treviros Primatum prætendere poſſe, quod apud eos multis temporibus Imperatores conſtitiſſent. Baronius Epit. Spond. ad. An. 495. et Bellarminus, Lib. 1. de Roman Pontif. cap. 24.

Hic obſervandum cum Authoribus Catholicis exnimiâ Arrogantia Præſulum Conſtantinopolitanorum prætextu præeminentiæ Urbis Imperialis uſurpantium ſibi Primatum in reliquas Eccleſias Orientis incidiſſe Græcos primum in deteſtabile Schiſma, et tandem peccatis exigentibus Subjectos graviſſimæ Turcarum Tyrannidi; ita plerumque coutingit (Deo injuriam, et uſurpationem juſtè puniente) ut

qui ſe legitimæ poteſtati ſubſtrahunt, traditi in reprobum Senſum, hoſtili, imo et Satanico jugo ſubjiciantur, uti cavet in cauſu non omninò diſſimili S. Bernardus, Epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem. Et monet Apoſtolus ad Roman, 13. ut *omnis anima Poteſtatibus Sublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim Poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt, ordinatæ ſunt, itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi Damnationem acquirunt.*

35. Ut ex multis tum veteribus, tum recentioribus exemplis huc Spectantibus pauca ſeligamus. An. 1474. Primatus Scotiæ (omiſſo indubitato Regni capite Edinburgo) erectus fuit a Sixto Quarto in longè ignobiliori Urbe S. Andreæ, teſtantibus Leſleo Epiſc. Rophens Lib. 8. de reb. Scotorum. Et Azorio inſtitut moral part. 2. Lib. 3. cap. 36. Et civitas Calaritana caput Regni Sardiniæ (olim ſedes Luciferi pietate, et doctrinâ primò celeberrimi, poſtea miſerando lapſu, et Schiſmate commaculati) etſi Archiepiſcopali dignitate, et Pallio a Gregorio Septimo decorata, Baron, ad An. 1073. (in quo conſiſtit definitio excogitata a Petro Dublinienſi) non inde evaſit Primatus, ſed juxta Authores jure Primatiali Subditur Archiepiſcopo Piſano longè diſſito in continente Italiæ. Idem obſervatur in capite Regni Luſitaniæ, ac primariâ Urbe Ulliſſiponenſi, cujus inſtitutus Archiepiſcopus, pallio donatus a Bonifacio, 9. An. 1390. nequaquam a ſe, vel ab alio inter Primates reputatur. Et cum Sæculo, 16. An. 1558. inſtante Rege Catholico Philippo, 2. Paulus quartus novum Archiepiſcopatum erigeret cum annexo Primatu totius Belgij, non illum conſtituit in Urbe Regiâ Bruxellenſi, ſed in multò inferioris notæ Civitate Mechlinienſi.

36. Item dum de memoriâ Patrum noſtrorum Procurante Chriſtianiſſimo Rege Ludovico 13. Caput Regni, ac præcipuam Galliarum Civitatem Pariſienſem honore Archiepiſcopali tradito Pallio inſigniret Gregorius, 15. An. 1622. (quæ iterum eſt ipſiſſima definitio novæ adinventionis Petri Dublinienſis) tam futile, et inane commentum dedignati, utpote doctrinâ, et eruditione conſpicui, ac Eccleſiaſticarum tum veterum, tum recentiorum conſtitutionum peritiſſimi Præſules Parîſienſes, non inde ſibi Primatum arrogarunt, hoc ſolum aſſecuti ut liberarentur a juriſdictione Archiepiſcopi Senonenſis, cui jure Metropolitano ante Suberant, remanente tamen in eos, juxta antiquam conſuetudinem, authoritate Primatis Lugdunenſis.

Et

Et hic obiter notandum ab antiquis temporibus indubitatum Regni Francorum caput extitiſſe nominatiſſimam Urbem Pariſinam, ubi primus Chriſtianus Rex Clodoveus, ac ejus Pater Childericus Sedem Regiam conſtituit, et uterque mortem oppetiit : Baron ad An. 484. Petavius rational, temp, part, 1. lib. 7. et Cabbaſutius notit Eccles pag. 242. non tamen inde Eccleſia Pariſienſis in Primatialem, aut Archiepiſcopalem evecta fuit, ſed Rhemenſis, ut pote, Sedes S. Remigij, qui ob converſionem Clodovei, Illiuſque Gentis, peculiaris Francorum Apoſtolus appellari meruit, et ob præclaram meritorum excellentiam (verba ſunt Baronij) ab Hormiſda Papa factus eſt Romani Pontificis Vicarius in Regno Francorum vid Baron ad An. 499, et 514.

37. Et quamvis miſſo in Angliam Auguſtino ſuaſerit Gregorius Magnus Archiepiſcopatum Statuendum Londini Teſte Bedâ, lib. 1. cap. 29. (*non enim* ut ſcribit Gulielmus Malmeſmurienſis, lib. 1. de geſtis Pontificum Anglorum, *alterius obſcuræ urbis* Cantuariæ *notitia Romanos attigit*) quia tamen Auguſtinus ſibi, et Succeſſoribus Sedem fixit Doroberniæ, ſive Cantuariæ invitatu Ethelbertî Regis Cantij, qui Eccleſiam Epiſcopalem magnis muneribus, et poſſeſſionibus dotatam aſſignavit, ac Palatium ſuum, et totam civitatem Cantuarienſem Auguſtino donavit, extructo ſibi alibi Palatio apud Regulbium, ob honorem S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli dignitas Metropolitana cum annexo Primatu totius Angliæ non Londini, ſed Cantuariæ ſtabilita fuit. Creſſius eccleſiaſt. hiſtor. Britan, lib. 13. cap. 6. cap. 12, et 14. Spellman in concil ad, An. 603. Park. in antiquit Britan, fol. 52. Beda, lib. 1. cap. 26, ac 33. et ex eo Cambdenus Britan in Cantio, ubi profert ſequentem Epiſtolam Kenulphij Regis ad Leonem Papam, An. 795.

Quia beatæ memoriæ Auguſtinus, qui verbum Dei Anglorum Genti miniſtrabat, et glorioſiſſimè præfuit Eccleſiis Saxoniæ in Civitate Doroberniæ obiit, et Corpus in Baſilicâ B. Petri Apoſtolorum Principis (quam Succeſſior ejus Laurentius Sacravit) conditum fuiſſet, viſum eſt cunctis Gentis noſtræ Sapientibus quatenùs illi Civitati Metropolitanus honor haberetur, ubi ejus corpus tumulo conditum, qui his partibus fidei veritatem inſeruit.

38. En judicium Regis, et cunctorum Sapientum ut non præcipua Civitas, aut Caput Regni, ſed illa quantumvis inferior, in quâ ſedem poſuit Nationis Apoſtolus, aſſequeretur, ſicut et aſſecuta eſt, Metropolitanum

politanum honorem totius Regni. Ex his constat non ritè consuluisse Monumenta Antiquitatis Petrum Dublinienſem dum, fol. 35. asserit *S. Gregorium Magnum Britanniæ Primatum fixisse Doroberniæ, seu Cantuariæ, quia suo tempore ibi fuit Regia Sedes Anglo-Saxonum, illorumque Regni Caput.* Patet enim vel leviter percurrenti historiam Britanniæ, quod durante Saxonicâ heptarchiâ (quæ adhuc vigebat tempore Sanctorum Gregorij et Augustini, imo multo post, ut passim colligitur ex Bedâ aliisque Scriptoribus) Cantuaria tantum caput extiterit Regni Cantij, " Donec illam cum jure Regali elargitus " esset Ethelbertus *Augustino Archiepiscopo Gentis Anglorum consecra-* " *to*, qui habitationem sibi, et Successoribus hic constituit, ita iisdem " verbis Cambdenus. et alij ubi supra."

39. Et tam ante quam post S. Gregorium plures reperiebantur in Anglia Civitates multò celebriores, et Sublimiores Cantuariâ, adeo tunc temporis obscurâ, (sicut jam visum est, ut notitia ejus Romanos non attigerit) præsertim famosissimæ Eboracensis, et Londinensis. primam Spartianus in Severo Urbem absolutè per Antonomasiam vocat, quæ Romanorum Colonia fuit, in quâ Constantius Chlorus Magni Constantini pater Regiam constituit, diemquè obiit, ut prodit Evsebius, lib. 1. vitæ Constantini, Evtropius, Aurelius Victor, et Orozius, ac multis argumentis Eboraci præminentiam præ reliquis totius Britanniæ probat Philippus Berterius apud Usserum de primord fol. 96. Londinensis autem nobilissima civitas pro antiquitate, elegantiâ Structuræ, excellentiâ Emporij, divitiis, et omnium nationum commercio affluens, ingentibus Encomiis celebratur ab Amiano Marcellino, et Cornelio Tacito, concinit Berterius ibidem, et astruit Beda lib. 2. cap. 3.

Et S. Gregorij ætate sicut Cantuariæ Ethelbertus *Rex Cantorum*, (sic enim, et non Anglo Saxonum, aut Angliæ nuncupatur in Martyrologio Romano die 24 Februarij et apud Bedam lib. 2. cap. 5.) ita Londino dominabatur Orientalium Saxonum Rex Sebertus, Eboraco autem Ethelfridus, quem Venerabilis Beda lib. 1. cap. 34. potentissimum Regem vocat, qui Britannos plus quam ullus Saxonum Principum devastavit, multosque eorum Provincias reddidit tributarias, ac Edanum Scotorum Regem, et copiosissimum exercitum, An. 603. cruento prælio apud Digsasten profligavit.

40. Duobus ex decreto Gratiani Canonibus suam novæ definitionis, et imaginarij Primatûs Dublinienſis, fabricam superstruit Petrus Dublinienſis,

ſis, Scilicet *canoni Provinciæ et canoni nulli diſt. 99.* in primo Anacletus " Papa ad Epiſcopos Italiæ ait: Provinciæ multo ante Chriſti adventum " tempore diviſæ ſunt maximâ ex parte, et poſtea ab Apoſtolis, et beato " Clemente Prædeceſſore noſtro ipſa diviſio eſt renovata. Et in capite " Provinciarum (ubi dudum Primates legis Sæculi erant, ac prima ju- " diciaria Poteſtas, ad quos qui per reliquas Civitates commorabantur, " quando eis neceſſe erat, qui ad aulam Imperatoris, vel Regum con- " fugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant " pro oppreſſionibus, vel injuſtitiis ſuis, ipſoſque oppellabant, quoties " opus erat, ſicut in Lege eorum præceptum erat) ipſis quoque in " Civitatibus, vel locis noſtros Patriarchas, vel Primates, qui unam " Formam tenent, licet diverſa ſint nomina, Leges divinæ, et Eccle- " ſiaſticæ poni, et eſſe juſſerunt, ad quos Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, " confugerent, eoſque appellarent, et ipſi Primatum nomine frue- " rentur, et non alij. Reliquæ vero Metropolitanæ Civitates, quæ " minores judices habebant (licet majores Comitibus eſſent) habe- " rent Metropolitanos ſuos, qui prædictis juſtè obedirent Primatibus, " ſicut et in Legibus Sæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, " ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum nomine fruerен- " tur.

41. Hunc Canonem etiam in initio non editum, niſi habito reſpectu ad Sedes Archiflaminum, (ut allegatus ab Anacleto S. Clemens mentem ſuam exponit loco ſtatim adducendo num. 48) olim contrariâ, et perpetuâ a primo Sæculo Eccleſiæ praxi antiquatum luculenter concipiet quiſquis omnes totius Europæ Primates num. 9. commemoratos perpenderit. Siquidem incipiendo ab Aquilone, Scotiæ caput eſt Edinburgum, Angliæ Londinum, Galliæ Pariſij, Hiſpaniæ Madritum, Luſitaniæ Ulliſſiponis, Belgij Bruxella, Germaniæ Vienna, Hungariæ Buda, et Poloniæ Cracovia, vel Verſavia. Attamen in nullâ ex his Urbibus, ſed in aliis inferioribus Primatiam collocarunt Romani Pontifices nec inde (credo) illos Petrus Dubis. prævaricationes in Divinas, aut Eccleſiaſticas Leges audebit inſimulare. Et cum hæc ignorare non potuerit, mirum eſt quod tantâ confidentiâ toties ad faſtidium Lectoris obtrudat imaginariam ſuam definitionem Primatûs, totieſque fingat conſtantem eſſe praxim Eccleſiæ Primatias conſtituere in primariis Urbibus, et capitibus Regnorum. mirum etiam quod tam ruinoſo, et penitus collapſo fundamento innitatur, aut ex eo miſerandæ ſuæ cauſæ deſumat patrocinium.

42. Tam

42. Tam æquo, vel potiori jure Diæceſanis ſuis abſtinendum decerneret ab eſu Sanguinis, quia illum inhibuerunt Leges divinæ, et Apoſtolicæ tum in veteri tum in novo teſtamento Levit. 3. et act 15. ac propterea fideles per Religionem a Sanguine abſtinuiſſe multis Succedentibus Sæculis fidem facit Epiſtola Gallicanarum Eccleſiarum Lugdunenſis, et Viennenſis, de S. Biblidis aliorumque Martyrum paſſione ad Eccleſias Aſiaticas apud Evſebium lib. 5. hiſtor Eccles cap. 1. Tertullianus Apologet cap. 9 : Canon 2. Synodi Gangrenſis, cui præſedit Sylveſtri Papæ Legatus Ozius Cordubenſis, ideoque Symmachus Pontifex in Sextâ Romanâ Synodo aſſerit Gangrenſes canones editos authoritate Apoſtolicâ et his longe poſterius Concilium in Trullo Quiniſextum, An. 707. eandem Sanguinis prohibitionem commemorat, et confirmat. Quis tamen inde oppoſitâ generali Eccelſiæ conſuetudine, et uſu dudum abrogatam (niſi planè deſipiens, aut eluſurus idiotas) nunc fideles obſtringere contendat ?

43: Sequitur *canon nulli* alterum, et potiſſimum Petri Dubls. fundamentum, ubi Anicetus Papa ad Epiſcopos Galliæ ſtatuit : " Nulli " Archiepiſcopi Primates vocentur, niſi illi qui primas tenent Civi- " tates, quarum Epiſcopos Apoſtoli, et Succeſſores Apoſtolorum re- " gulariter Patriarchas et Primates eſſe conſtituerunt, *niſi aliqua* " *Gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſe ſit propter multitu-* " *dinem eorum Primatem conſtitui* " inhibet hoc loco Anicetus Primates multiplicandos, aut ampliùs conſtituendos præterquam in primariis Civitatibus, ubi Apoſtoli, et Succeſſores Apoſtolorum Primates jam indè conſtituerunt : excipit tamen *niſi aliqui Gens deinceps ad fidem convertatur*, &c.

Conſtat autem Gentem noſtram converſam ad fidem longe poſt Anicetum. Unde ruit etiam hoc fundamentum, et ſuperſtructa prætenſio, quod advertens acutus Præſul nullum ſuo intento affulgere præſidium ex integro contextu, conſultò canonem more ſuo mutilavit, exhibens prima tantum verba, *nulli Archiepiſcopi Primates vocentur niſi illi, qui primas tenent Civitates*, quæ paſſim repetit, et ad nauſeam inculcat in ſuo libello cætera reticens, nec docet, aut unquam docebit quiſnam Apoſtolus, aut Apoſtolorum Succeſſor Dublinij inſtituerit Primatum.

44. Et agnoſceret juxta antiquos canones (ſi ad amuſſim obſerventur) ſe ne quidem inter Metropolitanos numerandum, quoniam Quatuor tantum, vel forte tres (per adducendo inferius num. 149.

de

de exemptione Osſorienſi) non decem, vel undecim ſortitur Suffraganeos, quos ad conſtituendam Metropolitanam Eccleſiam requirit Pelagius, 2. *can. Scitote 6. quæſt.* 3.

Cæterum etiam gratis dato quod legitima fuiſſet definitio excogitata a Petro Dubl. et Anacletus, ac Anicetus verè edixiſſent Primates non alibi ſtatuendos, quam in præcipuâ Civitate, ſeu capite Regni, illaque praxis ſemper ſubſtitiſſet in viridi obſervantiâ (quod jam oſtendimus falſiſſimum) quem inde fructum, quamve utilitatem colligeret pro fictitio ſuo Primatu? certe nullam. Quoniam nec tempore S. Patricij, nec octo retro ſæculis prima Civitas, ſeu caput Hiberniæ, aut Regum habitaculum fuit Dublinium, ſed Temoria nunc Tarah in diæceſi Midenſi, et Provinciâ Armacanâ teſtibus Probo. vit. S. Patricij, lib. 1. cap. 26. 32. 34, et Seqq. Jocelino, cap. 40, et 44. Wareo de antiquit, cap. 4, et Gratiano Lucio, pag. 93. 45. Et neutri reperitur, S. Apoſtolus noſter etſi canonum obſervantiſſimus ex tot ab eo conſecratis Epiſcopis, vel unum aſſignaſſe: Sed Dublinium Epiſcopo Glandelacenſi (Temoria alteri) ſubjacebat uſque ad Uſurpationem Danorum, a quibus, et quidem ſolis Incolis Dublinienſibus, idque (quantum ullibi apparet) Semel in epiſtola ad Lan-francum Cantuarienſem Archiepiſcopum, quæ eſt Sylloge Uſſeri 25. An. 1074. Dictum eſt Dublinium Hiberniæ Inſulæ Metropolis, quia aliis duabus Danicis Civitatibus Waterfordienſi, et Limericenſi præeminebat, ibique ab Hibernis Hoſtium loco habitis ſegregati degerent eorum *Reguli* (ſic enim, et non Reges vocantur in ipſis Annalibus Dublinienſibus ad dict. An. 1074, ut perhibetur in recenſione ejuſdem epiſtolæ 25. et epiſt. 27. dict. Syllog. fol. 136, et 137) et ſuperba, ac arrogantiſſima Gens deſpectui habens Hibernigenas, tres ſuas Civitates cum adjacentibus Territoriis pro toto Regno reputabat.

Cum anteà Dublinium non eſſet niſi Oppidulum habens ſuum ſpecialem Dominum, ſeu Regem more olim Hibernis, et aliis nationibus uſitato, qui ditionum pœnè omnium Dominos, ac Tribuum Chiliarchas Regis nomine inſigniebant, ut obſervant Lucius, pag. 94. Genebrardus in pſalm 134. num. X. Strabo, lib. 16. Plinius, lib. 6, &c. Sicque permanſit Dublinium Sub ſuo particulari Dynaſtâ, qui et ipſe Subjectus fuit Provinciali Regi Lageniæ, et uterque ſupremo Monarchæ totius Hiberniæ, donec occupantes Dani, An. 853. conſtruxerunt (ſic loquitur Giraldus Cambrenſis topograph. Hibern.

lib. 3. cap. 43.) ſed potius ampliarunt, ac muro, et Aggeribus communierunt. Plura videnda apud Jocelinum, cap. 69, et Wareum de antiquit, cap. 24.

46. Et nullus unquam Rex totius Hiberniæ, aut Provinciarum, ne quidem ipſius Lageniæ commoratus fuit Dublinii vel Regiam tenuit, ſed Summi Monarchæ plerumque Temoriæ, ut dictum eſt: Et nonnulli præſertim familiæ ô Briennorum, quandoque Kincoriæ in Regione Macochlani, quæ pars eſt Agri, ſeu Comitatûs Regij, Wareus de antiquit, cap. 4. Reges autem Lageniæ nunc Naaſſæ, nunc Roſſæ ante adventum Henrici Secundi Angliæ Regis, ac Domini Hiberniæ, Anno 1172, et vigeſimo poſt tradita quatuor Pallia a Cardinale Paparonio, An. 1152. Qui Rex Henricus ſibi, et Succeſſoribus Dublinij Palatium extruxit, et Regni fixit gubernaculum, ut teſtantur Hovedenus, et Lucius, pag. 113. Wareus de antiquit, cap. 22, et paſſim Daviſius.

Exinde illa Urbs magnum habuit incrementum, et Regni Metropolis evaſit ſub Regimine Anglorum. Non tamen ideo debuit antiquus Eccleſiæ ſtatus, aut Hierarchicus ordo immutari, nam ut docet Nicolaus primus poſt S. Innocentium can. *Lege Imperatorum, diſt.* 10. *Quod Sciſcitaris utrum diviſis imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari? non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum, Dei eccleſiam commutari, honoreſque, aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Et Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ: nam quod dicitur de Regiâ Civitate, alia poteſtas eſt Regni Sæcularis, alia eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum: Sicut enim quævis parva Civitas prærogativam præſentis Regis non minuit, Sic Imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat.*

47. Idem ſtatuit (relatis etſi non integrè canone unico diſt. 101.) Canon 12. Calcedonenſis his verbis: *pervenit ad nos quod quidam præter eccleſiaſticas ordinationes affectantes potentiam per Pragmaticam, unam Provinciam in duas dividant, ut ex hoc inveniantur duo Metropolitani Epiſcopi in unâ, eâdemque Provinciâ. Statuit ergo Sancta Synodus deinceps nihil tale attentari a quolibet Epiſcopo, eos vero, qui aliquid tale attentaverint, cadere de proprio Statu. Quæcunque autem civitates per litteras Imperatorias Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur, et qui ejus eccleſiam adminiſtrat Epiſcopus, Servato Scilicet veræ Metropoli ſuo honore.*

Huic

Huic canoni anſam præbuiſſe videtur diſſidium inter Phocium Tyrij, et Evſtathium Berithij Epiſcopos. Accidit enim ut Imperator Pragmatica Sanctione Pheniciæ Metropolim ſtatuerit Urbem Berithij, et ex hoc Berithenſis Epiſcopus arrogans Metropolitanam prærogativam ſe ſubducere niteretur juriſdictioni Antiſtitis Tyrij, cui ante jure Metropolitano ſuberat. Controverſia delata fuit ad Patres Calcedonenſes, qui auditis partium allegationibus, actione quintâ cauſam Phocio Tyrienſi adjudicarunt, et Evſtathium ejuſque eccleſiam Metropolitanis juribus, ac titulis deſtitui, et excidere ſanxerunt.

48. Ultro fatemur obſervatum primo ſæculo ut in primariis Civitatibus (eâ potiſſimum de cauſâ quod in illis Gentilium Archiflamines Superſtitioni, et Idololatriæ cultui præeſſent, quemadmodum citans Baronium notat Barboſa, part, 1. tit. 3. cap. 1. num. 13. vid etiam, tit. 1. cap. 7. num. 2.) Apoſtoli nationum, et primi Præcones Evangelici Sedem figerent, et Primatum, ut ex Sublimiori loco elucentes latius undique depellerent tenebras infidelitatis. Quapropter (inquit S. Leo Papa Serm. 1. de Apoſt.) *Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij, ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur Salutem, efficacius ſe ab ipſo eapite per totum mundi corpus effunderet.* Et *Principes Apoſtolorum* (docente, S. Ambroſio Sermone 66.) *Petrus, et Paulus Martyrium pertulerunt in Urbe Româ, ut ubi Caput Superſtitionis erat, illic caput quieſeret Sanctitatis.* Item allegatus ſupra, num. 40. ab Anacleto Clemens Papa epiſt. 1. ad Jacobum fratrem Domini : *In illis vero Civitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atque primi Legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas B. Petrus præcepit, qui reliquorum Epiſcoporum cauſas, et majora quoties neceſſe foret negotia in fide agitarent..... in illis autem Civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen Minores tenebant, quam memoratos Primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit. In Singulis vero reliquis Civitatibus Singulos, et non binos, vel ternos, aut plures Epiſcopos conſtitui præcepit.* Vid can. in illis diſt. 80. notat Gloſſa in hunc canonem Gentiles habuiſſe tres ordines Sacerdotum. Scilicet Protoflamines, Archiflamines, et Flamines, atque hic legendum beatum Petrum juſſiſſe loco Protoflaminum poni Primates, vel Patriarchas, loco Archiflaminum Archiepiſcopos, Epiſcopos autem loco Flaminum.

Undè Creſſius, lib. 4. cap. 7, et 8, ac antiquus Liber Monaſterij de Abingdon apud Uſſerum de primord. fol. 88. et Martinus Polonus ad An. 188. referunt, SS. Fugatium et Damianum Evangelizantes Britannis edixiſſe mandato Apoſtolico, S. Eleutherij Papæ, ut in illis Civitatibus hactenus habentibus flamines conſtituerentur Epiſcopi, Archiepiſcopi autem in Sedibus, quas occuparunt Archiflamines. In his nulla facta mentio, aut habita ratio præcipuarum Urbium, ſeu capitum nationum, niſi in quantum illis antea præerant Archiflamines, vel primi Doctores Gentilium, videatur Joannes Salisburienſis epiſt. 272.

49. Unum ſaltem poſt primum Sæculum novo Syſtemati Petri Dubl. favens Specimen occurrit in Concilio Taurinenſi, ubi litigantibus de *Primatu* Arelatenſi, et Viennenſi Archiepiſcopis, ſtatutum fuit, can. 2. *ut qui ex iis comprobaverit Civitatem ſuam eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, et ipſe juxta Canonum præceptum Ordinationum habeat poteſtatem.* Item in univerſâ eccleſiâ hactenùs inauditâ ac inſolitâ novitate facta eſt ab eodem concilio poteſtas Proculo Epiſcopo Maſſilienſi (qui Arelatenſi Archiepiſcopo Suffraganeus erat) conſecrandi Epiſcopos in Secundâ Provinciâ Narbonenſi, cujus Metropolitanam dignitatem ambiebat. Tanta fuit (ut notat Cabbaſutius notit. eccles. pag. 196.) Patrum Taurinenſium puſillanimitas, ut Proculum ſublimiores præ ſe ferentem Spiritus, factione prævalidum, et gratiâ Principum virorum ſubnixum non auſi ſint offendere, aut repellere illius injuſtam Uſurpationem.

At quamvis juxta partitionem Imperialem, ſeu civilem conſtet ex laterculo Provinciarum, Amiano Marcellino, lib. 15. Hiſtor, et Antonini Auguſti itinerario Arelatem ad Viennenſem Provinciam pertinuiſſe, et ſubfuiſſe Metropoli Viennenſi, tamen utrumque Decretum ægrè tulit, et penitùs abrogavit, S. Zozimus Papa, qui in epiſtola (ex qua deſumptus eſt canon contra, 25. quæſt. 1.) ad univerſos Galliarum Epiſcopos de privilegiis Arelatenſi eccleſiæ conceſſis, poſtquam mandavit ut omnes cujus cunque eccleſiaſtici Gradus ex partibus Galliarum peregrinantes a Metropolitano Arelatenſi formatas acciperent, ſic habet.

50. " Juſſimus autem præcipuam, ſicut ſemper habuit Metropo-
" litanus Epiſcopus Arelatenſis Civitatis in ordinandis Sacerdotibus
" teneat Authoritatem, Viennenſem, Narbonenſem primam, et Nar-
" bonenſem Secundam Provincias ad Pontificium ſuum rovocet.
" Quiſquis

" Quiſquis verò poſthac contra Apoſtolicæ Sedis ſtatuta, et Præcepta
" Majorum omiſſo Metropolitano Epiſcopo in Provinciis ſupradictis
" quemquam ordinare præſumpſerit, vel is qui ordinari ſe illicitè
" ſciverit, uterque ſe Sacerdotio carere cognoſcat." Et alia Epiſtola ejuſdem Zozimi ad Provinciam Viennenſem, et Narbonenſem Secundam, quâ vult ut hæ duæ Provinciæ, quæ Arelatenſi Eccleſiæ ſublatæ fuerunt, illi integræ reſtituantur, hæc continet.

" Multa contra veterem formam Proculus (Maſſilienſis) uſurpare
" detectus eſt in ordinationibus aliorum indebitè celebrandis, quas
" proximè numeroſâ cognitione diſcuſſimus. licet ipſe diu expecta-
" tus faſtidioſe ferens ſibi inducias attributas convenire diſſimulet;
" attamen illa præſumptio nos admodum movit, quod in Synodo
" Taurinenſi, cum longè aliud ageretur, in Apoſtolicæ ſedis injuri-
" am ſubripiendam putavit, ut ſibi Concilij illius emendicata præ-
" ſtaret obreptio ordinandorum Sacerdotum, veluti Metropolitano
" in Narbonenſi Secundâ Provincia Potcſtatem: Et ne ſolus impu-
" dentis indebita poſtulando huic ſedi videretur intuliſſe convicium,
" ſocium ſibi ſimplicium Viennenſis Civitatis Epiſcopum adſcivit."
Qui non *diſſimili impudentiâ poſtularet* ut ſibi in Viennenſium provinciâ creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium: *indecens auſus, et in ipſo veſtibulo reſecandus hoc ab ipſis ob certas cauſas concilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta Patrum, et S. Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis Civitatis ex hâc Sede directus concedere, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poſſet authoritas: Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reverentiam: Et quia redire in ordinem ſuum intermiſſa præcipimus, Metropolitanus Arelatenſis Civitatis epiſcopus jam inde a Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inviolabili in utrâque Narbonenſi, et Viennenſi authoritate poſſideat.*

51. Iterum Papa Zozimus Epiſtolâ ad Hilarium Narbonenſis primæ Epiſcopum ita Scribit: " Mirati admodum ſumus dum nobis ſtudi-
" oſiùs requirentibus Relatio tua de ordinandis in provinciâ Narbo-
" nenſi primâ Sacerdotibus loqueretur, quod dum aſſertione, et de-
" ſideriis tuis cupis eſſe conſultum, prætermiſſâ veteri fide, relatio-
" nem tuam ſub honeſtatis ſpecie coloraſti, aſſerens in alienâ provin-
" ciâ ab alio non debere fieri Sacerdotes, cum utiquè debueris non
" quod tibi rectum videtur, *ſed quid habuerit antiqua conſuetudo*
" *Suggerere, ideoquè evacuato eo quod obtinuiſſe a ſede Apoſtolicâ ſu-*

" *brep-*

" *breptitiè comprobaris* (applicarent hæc," et hactenùs dicta cum ſubſequentibus fictitio ſuo Primatui, et ſubreptitiæ exemptioni Dublinienſes) " *quia ſatis conſtitit* Arelatenſis Eccleſiæ Sacerdoti priſ-
" câ id inſtitutione conceſſum, ut non ſolum in Provincia Viennenſi,
" ſed etiam per duas Narbonenſes, Epiſcopos faciat : *Nam Sanctæ*
" *Memoriæ Trophimus Sacerdos quondam Arelatenſi Urbi ab Apoſto-*
" *licâ Sede tranſmiſſus adillas Regiones tanti nominis Reverentiam pri-*
" *mus exhibuit, et in alios non immeritò eâ quam acceperat authori-*
" *tate tranſfudit.*

52. " Atque hanc ordinandi conſuetudinem, et Pontificatum loci
" illius, quem obtinuerat *primus*, et juſtus cuſtoditum uſque in
" proximum tempus geſtis apud nos habitis multorum conſacerdo-
" tum teſtimoniis approbatur. Ergo licet ſola quæ in Sede Apoſto-
" licâ habita ſunt, potuiſſentgeſta Sufficere, tamen etiam hâc te au-
" thoritate confringimus, et *præſumptioni tuæ quam extuliſſe contra*
" *veterem conſuetudinem videbaris, modum noveris juſtæ præſumptionis*
" *indictum.*

" Nec æſtimes tibi ulteriùs Pontificatum de ordinandis Sacerdoti-
" bus vindicandum, cum hoc videas Arelatenſis Civitatis Epiſcopo,
" et per Apoſtolicam Sedem, et *per S. Trophimi Reverentiam, et per*
" *veterem conſuetudinem*, et noſtrâ recenti evidentiſſimâ definitione
" deferri ; ſi quid contra hæc quæ a nobis ſunt ſub Dei judicio ſta-
" tuta tentaveris, non ſolum quos faciendos crediderit Epiſcopatum
" obtinere non poſſe, ſed etiam ipſe Catholica communione diſcre-
" tus Seriò de illicitis præſumptionibus ingemiſcas, &c." et Baronius epit. Spond, ad An. 417. ait : quod " *Evangelium in Gallias per S.*
" *Petri Apoſtoli Diſcipulum S. Trophimum allatum fuerit, et per e-*
" *undem Sedes Arelatenſis erecta, eâ de cauſâ hæc Eccleſia primaria*
" *in Galliâ habita eſt.*

53 Cæterum conceſſum Eccleſiæ Arelatenſi privilegium ut ejus poſſet Epiſcopus ſolus conſecrare civitatum intra utramque Narbonenſem, et Viennenſem Epiſcopos harum Provinciarum, illa utique Poteſtas de jure communi, nec Primatibus, aut Patriarchis, nec ipſis Apoſtolicæ Sedis Legatis poterat competere, ſed provinciæ Metropolitis debebatur per canones quartum, et Sextum primi Concilij Nicæni, ideoque primò ipſe Zozimus, et poſtea Leo Papa epiſt 50 ad quoſdam Galliarum Epiſcopos cauſam reduxit ad ſtatutum Nicænum; attributis Viennenſi Antiſtiti quatuor civitatibus Valentiâ, Tarentefiâ

siâ, Genevâ, et Gratianopoli, quibus jure Metropolitano præsit, et præficiat Episcopos. Si quid autem ampliùs, aut sublimius assecuta sit postea Ecclesia Viennensis, ut vere Primatialis dici possit, id obtinuit ob reverentiam S. Crescentis discipuli B. Pauli Apostoli, primi ejusdem civitatis Episcopi, cujus sit memoria in Martyrologio Romano die 29. Decembris.

Quemadmodum ecclesia Cypri, quæ pars erat Præfecturæ orientis, etsi antiquâ consuetudine, imo can 6, et clarius can Arabico 37. Nicæni primi, ac decreto Innocentij primi epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum Subesset Antiochenis Patriarchis, quia tamen postea (ut scribunt Cedrenus in Xenone Imperatore, et Nicephorus lib. 16. cap. 37.) divinâ revelatione Salaminæ, quæ et Constantia, et Famagusta nuncupatur, repertum fuit corpus S. Barnabæ Apostoli, qui Cypris prædicavit, et ibidem Sedem fixit, contigit ut Salamitanus Metropolita fieret totius Insulæ Primas ab Antiocheni potestate immunis, ita insitum fuit a primordiis Ecclesiæ sedes (quas Apostoli Nationum sibi specialiter, et indubitatè deligerent) constitui Primatiales, antea quidem Concilium Ephesinum exemit Cyprios, acproinde inter illos, et Præsules Antiochenos Sæpius recruduit contentio de jurisdictione, sed tandem omnem diremit controversiam, et penitùs sopivit sub Zenone Imperatore commemorata inventio corporis S. Barnabæ.

Et hoc est Singulare in Galliâ præ aliis nationibus, ut vix ulla reperiatur celebris civitas, aut Saltem Provincia, quæ specialem suum non vindicet Apostolum missum a S. Petro, vel Successoribus Romanis Pontificibus, cui conversionem ad Christi fidem referunt. Unde plures illic, quam alibi Primates sese inscribunt. Ex hac tamen mutatione a Sanctis Zozimo, et Leone factâ, non decidit jure Primatiali Arelatensis ecclesia: extat enim epistola Pelagij primi (qui ultra centum annos Leone posterior fuit) ad Childebertum Regem Francorum, et magni Clodovei filium, in qua inter alia sic scribet: " Quæ cum ita sint, miramur quia, et quantum nobis præsentium " portitorum Suggestio patefecit, passi estis subripi vobis Sapandum " fratrem, et Coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis Antistitem, " *cujus Ecclesia in Regionibus Gallicanis Primatûs privilegio decora-* " *tur.*

54. Adducit, fol. 15. Petrus Dubs. testimonium Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis asserentis (ut ait) " primam Ecclesiarum " omnium,

" omnium, quæ titulo Primatûs aucta fuit, esse Bituricensem anno " Scilicet 786, idque factum ad instantiam Caroli magni, qui ab " Hadriano 1. pallium petierat pro Archiepiscopo Bituricensi, quia " civitas Metropolis in Aquitania videtur esse Patria, quæ Biturica " nuncupatur, Urbs enim Biturigum erat caput novi Regni Aqui- " tanici, quod, An. 781. Carolus magnus instituerat, adeoque (ut " illius Regni caput) pallium hoc est, Primatum obtinuit." Ita ille addens de suo, *hoc est Primatum*, quotiès repetit Pallium concessum primariæ civitati, quod tamen tot liquidissimis exemplis (ut jam vidimus) manifestè refellitur.

Sed cum de conceptu Essentiali Primatûs prætendat, quod tempore concessionis civitas, cui conceditur pallium, fuerit caput Regni, ac Regnum Aquitaniæ dirutum olim, fuerit a Carolo restitutum, et collatum filio suo Ludovico, An. 806. (ac undecimo ab obitu Hadriani 1. qui decessit, An. 795.) testantibus Baronio Epit. Spond, ad dict. An. 806. Cabbasutio notit. eccles. pag. 323. Platinâ, Onuphrio, &c. debuit (ut ipse de pallio Patriciano, fol. 78. insultando dicit) Primatus ille Bituricensis Suspensus volitare in aere, donec institueretur novum Regnum Aquitanicum, quod fortè per Scientiam de futuris contingentibus prævidebatur post tot annos erigendum.

55. Indignationem movet simul, et gemitus quod probrosis, et Præsule Catholico indignis dicteriis, Sanctorum exuviis, et Sacris rebus (abusu neotericis nostri temporis familiari) illudat, dum fol. 9: Sacrum S. Patricij pallium, *miserum ex ideis Platonicis consuendum, Individuum vagum, ex Lanâ caprinâ contextum, Stephani protomartyris Reliquiis assutum* appellat. Et certè mirum quod tam citò obliviscatur assertum a se (ut notavimus num. 38) *Primatum Britanniæ a Gregorio Magno fixum Doroberniæ, seu Cantuariæ, quia suo tempore ibi fuit Regia Sedes Anglosaxonum, ac eorum Regni caput.* Evectus autem ad Pontificatum fuit S. Gregorius, An. 590. vix non duobus Sæculis præcedens Hadrianum primum quomodo hæc cohærent, si prima Ecclesia aucta Primatu fuisset Bituricensis ab Hadriano, nisi quia familiare est Petro Dubsi. non modò cum aliis, sed etiam secum ipso Sententiarum discrepantiâ pugnare?

56. Quidquid sit de novâ inventione, et definitione Primatiali Petri Dubsis. ac testimonio, quod attribuitur Petro de Marca, luculentissimè constat ex litigio de *Primatu* in Concilio Taurinensi, inter Archiepiscopos Arelatensem, et Viennensem, ac decreto S. Zozimi

Papæ

Papæ Primatum Arelatenſem confirmantis *ob reverentiam S. Trophimi primi illarum Regionum Apoſtoli*, qui Arelate Sedem fixit, ac ex memoratâ num. 53. epiſtolâ Pelagij ad Childebertum expreſſis verbis declarantis *Eccleſiam Arelatenſem in Regionibus Gallicanis Primatûs privilegio decoratam.* Item ex Epiſtolâ Bonifacij Papæ ad Epiſcopos Galliæ *can. ſi inter 6. quæſt. 4.* " Si inter Epiſcopos ejuſdem " concilij dubitatio emerſerit de eccleſiaſtico jure, vel de aliis negotiis, primum *Metropolitanus* eorum cum aliis in concilio conſiderans rem dijudicet, et ſinon acquieſcat utraque pars judicatis, tunc " *Primas* Regionis inter ipſos audiat, et quod eccleſiaſticis canonibus, et Legibus veſtris conſentaneum ſit, hoc definiat, et nulla " pars calculo ejus valeat contradicere." Ac ex conſtitutione Gregorij Papæ *can. decreto 2 quæſt. 6.* mandantis ut ſi aliquis Uldricum Senomanenſis Eccleſiæ Epiſcopum accuſare attentaverit ---- liceat illi poſt auditionem *Primatum Diœceſeos* ad Papam appellare.

Concilium autem Taurinenſe habitum fuit, ut probabilius putat Baronius An. 402, vel ut alij volunt 397, et Pontificatum iniit Zozimus An. 417, Bonifacius An. 418. Pelagius 555, et Gregorius 590, ex quibus omnibus, præter ea quæ ſupra dicta ſunt num. 36. de S. Remigio ; luculentiſſimè, inquam, conſtat in ipſâ Galliâ multis Sæculis ante tempus Hadriani primi, et Caroli Magni veros extitiſſe Primates habentes Juriſdictionem, et authoritatem inquirendi, judicandi, ordinandi, et ad ſuum Pontificium avocandi aliorum Provinciarum Metropolitanos, eorumque Suffraganeos. In quo, rejectis commentis, ſecundum conſtantem, et indubitatam vocis Significationem, ac perpetuam Eccleſiæ praxim innixam canonibus (vid. num. 48, ſtatutum SS. Petri, et Clementis) conſiſtit genuina, et completa jnriſdictio Primatialis.

57. Vel a limine ſalutans hiſtoriam eccleſiaſticam ignorare non poterit primis ſæculis extitiſſe Patriarchas, et Primates diverſorum quidem nominum, ſed ejuſdem officij *diſt. 99. in princip.* Si quidem docet Baronius ad An. 39. Alexandrinam, et Antiochenam Eccleſias a S. Petro factas *Patriarchales*, quarum privilegia, et præeminentiæ declarantur An. 325. in Nicæno primo *can. mos antiquus diſt. 65.* præter poſtea erectum Patriarchatum Conſtantinopolitanum, illis acceſſit in quinto Generali concilio Conſtantinopolitano Secundo An. 553. Patriarchali Dignitate ſublimatus Hieroſolimitanus ob reverentiam potiſſimum S. Jacobi Apoſtoli primi Hieroſolimorum Epiſ-

copi detractis ab Alexandrino, et Antiocheno aliquot quibus præesset Provinciis, et Metropolitis, sicque tandem pacificè consecutus est *totius Palestinæ Primatum* (ut loquitur Baronius) quem frustra sibi vindicare attentarunt Cyrillus, et Juvenalis Hierosolimitani Antistites, etsi postremus snbnixus fuerit sententiâ Patrum Conciliorum Ephesini, et Calcedonensis, quia primum restitit Cælestini Papæ Vicarius Cyrillus Alexandrinus, postea Leo Magnus, ut ipse docet epist. 62. ad Maximum Antiochenum. videatur Baronius ad An. 395. 431, et 451.

Et Nicænus *canon Arabicus* 33. fidem facit *Primatem* Seleuciæ ad Tigrim plenam habuisse potestatem Archiepiscopos ordinandi, vocarique Catholicum, seu Universalem. Ac Canonem 20. concilij Sardicensis, An. 347. prohibentis extraneis clericis diutinam Thessalonicæ moram, glossa, et interpretes hanc referunt causam, quia propter *Primatis Thessalonicæ* residentiam eò confluere Solebant complures ex variis Provinciis Clerici, qni supervacaneâ negotiorum apud Auditorium *Primatis* gestione, vel capti civitatis ipsius Splendore diutius a propriis Ecclesiis aberant. Ita cum aliis Belarminus, lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 2. et Cabbasutius notit. concil. pag. 69. præterea Primatum Thessalonicæ constitutum constat ex Papæ Leonis primi epist. 84. aliàs 82. ad Anastasium Thessalonicensem, ac pariter Acridi, seu Justinianæ primæ in Dardaniâ erectam *Primatiam* perspicuum est ex Justiniani Imperatoris Novellâ 131. cap. 3. Ecclesiæ autem Regimen Suscepit Leo, An. 440. imperij Justinianus, An. 527.

Primatis Rhomagyreos, seu Anensis meminit, qui sub Justiniano vixit Procopius lib. 2. de Bello Persico, eumque Persicis Ecclesiis præfuisse testatur. Et concilij Æcumenici Constantinopolitani primi An. 381. canon 2. mandat ut Alexandriæ Episcopi ea quæ in Egypto sunt tantum gubernent: Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant *Servatis honoribus Primatûs Ecclesiæ Antiochenæ qui in regulis Nicænæ Sydodi continentur*, refertur *can. Episcopi qui, extra. 9. quæst.* 2. ac canones 9, et 17. concilij generalis Calcedonensis An. 451. decernunt, ut qui adversus Metropolitânum habet gravamen, liberum ei sit judicio experiri apud *Primatem* Diæceseos, vel apud Constantinopolitanæ civitatis Sedem; habetur *can. si Clericus* XI. *quæst.* 1.

59. Præter alia passim occurentia in Decreto Gratiani, et alibi, modò vidimus num. 48. ex S. Clemente *S. Petrum præcepisse in locis Proto-*

Protoflaminum conſtituendos Primates, vel Patriarchas qui reliquorum Epiſcoporum cauſas, et majora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent. Et Anacletus Papa *can. omnis oppreſſus* 2. *quæſt.* 6. ita ſtatuit. " Si autem difficiles cauſæ ortæ fuerint .... juſtè, et Deo " placitè coram *Patriarchâ*, aut *Primate* eccleſiaſtica negotia judi- " centur. Et canone 7, et 15. eâdem cauſa, et quæſt. Victor, et " Sixtus Secundus: Si quis putaverit ſe a proprio Metropolitano " gravari apud *Patriarcham*, vel *Primatem* Diæceſeos judicetur. i- " tem can. *nullus* 9. *quæſt.* 2. *Calixtus* Papa præſcribens Primatibus modum procedendi cum inferioribns ait: *Nullus Primas*, nullus Metropolitanus,&c. et *can. nos conſuetudinem diſt.* 12. S. Papa Gregorius approbat conſuetudinem de Primatibus conſtituendis, exceptis iis, qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum perveniunt, quos provehi ad Primatûs dignitatem modis omnibus prohibet, et alios Antiſtites ad obtinendum culmen *Primatûs* anteire, et Pelagius 1. decrevit ut a Metropolitanâ Sede, ac Provinciali Synodo poteſtas ſit ad altius Tribunal, ſcilicet ad Primatiale recurrendi, ſic tamen ut præcipui momenti quæſtiones Apoſtolicæ Sedi reſerventur definiendæ. Vid. Cabbaſut. notit. Eccles. pag. 220. ad can. 9. concil. Calced. et Felix 1: *can. Primates* 2. *queſt.* 1. inhibuit ne *Primates* in Epiſcopos accuſatos Sententiam proferant damnationis, niſi ipſi ſe reos confiteantur, aut canonicè convincantur per teſtes.

At hæ omnes denominationes *Patriarcharum*, et *Primatum* cum expreſſo ibidem jure competenti in reliquos Præſules, meræ ſunt voces (dum placuerit Petro Dubſi.) et vani Sonitus omni juriſdictione, et præeminentiâ vacui, ſicut et adductæ tot Summorum Pontificum, ac Conciliorum Generalium Conſtitutiones commemorantes, et confirmantes jura Primatialia, cum Pallio Patriciano pariter ſuſpenſæ, et volitantes per Aera expectare debebant primum omnium Eccleſiarum Primatum ab Hadriano 1. ad inſtantiam Caroli Magni deſinente Sæculo octavo conceſſum Epiſcopo Bituricenſi. Apage nugas, et pudenda figmenta.

60. Inſuper ita notorium eſt, ut non indigeat niſi oculis, et Lecturâ quinque Africanas Provincias Numidiam, Bizazenam, Tripolitanam, Mauritaniam Septenſem, ſeu Tyngitanam, et Mauritaniam, Cæſareenſem proprios a primordiis Eccleſiæ habuiſſe Primates (qui paſſim Africæ Primates dicebantur) omnes ſubditos Archiepiſcopo Carthaginenſi *totius Africæ Primati*, qui jus habuit invigilandi,

corrigendi, et concilia ex tota Africa convocandi, quibus ſive Carthagine, ſive in aliâ Provincia convenientibus præſideret, ſicut contigit in Millevitano primo Provinciæ Numidiæ, de quo ita ſcribit Baronius.

" In numidiâ celebratum eſt ab Epiſcopis Totius Africæ Generale " concilium Millevitanum primum Præſidente Aurelio Carthaginenſi " Epiſcopo *omnium Primate*, eidem aſſiſtente Xantippo Epiſcopo " Conſtantinæ, *Numidiæ Primate.*" Epit. Spond. ad An. 402. et cum aliis Scriptoribus accuratus Cabbaſutius notit. concil. ad Concilium Carthaginenſe quartum, hæc profert. " Præter Carthaginenſem *to-* " *tius Africæ Primatem* ſingulis quoque Provinciis præerat ſuus pe- " culiaris *Primas* ſubditus Carthaginenſi. is verò in Singulis Pro- " vinciis Titulus Dignitatis non erat certæ Sedi, vel Eccleſiæ affixus, " quippe qui non alius eſſe poterat, quam pro tempore antiquiſſimus " cujuſlibet Provinciæ Epiſcopus, qui et Senex, et Primas appella- " batur.

61. Idem colligitur ex Synodis Africanis, et ex Optato Millevitano, et ex S. Auguſtini libris adverſus Donatiſtas, et planè dilucidat S. Leo Papa nonus epiſt. 4. ad Petrum et Joannem Epiſcopos his " verbis : " In ſingulis Africæ Provinciis antiquitus *Primates* conſti- " tuebantur *non ſecundum potentiam alicujus civitatis*, ſed ſecundum " tempus ſuæ ordinationis, quibus tamen præerat unus ſcilicet Car- " thaginenſis Epiſcopus.

Et hunc titulum etiam inferiorum, ſeu ſecundi ordinis Primatum in Provinciis non fuiſſe vanam, aut honorariam Nomenclaturam, ſed continentem de conſuetudine ſaltem Juriſdictionem in Epiſcopos, et Clericos Comprovinciales patet ex Concilij Secundi Mellevitani, (cui interfuit S. Auguſtinus) canone 22. " ſtatuente " ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis quas " habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum Suorum quæſtio fuerit, pro- " vocent ad *Primates Provinciarum ſuarum*, &c." ſi hæc cum longè pluribus hujuſmodi alibi reperiendis ſedato animo debitè perpenderet Petrus Dubs. nec ipſe (veroſimiliter) crederet, nec aſſerenti fidem adhiberet, nedum in ſupinæ imperitiæ argumentum ſcriptis conſignaret ſibi ipſi repugnans primam omnium, quæ Primatûs titulo aucta ſit, fuiſſe Eccleſiam Bituricenſem in fine ſæculi octavi. de his ampliora videnda ſunt, præſertim apud Baronium ad An. 402, et 646, Cabbaſutium notit. concil. cap. 42, cap. 44. cap. 48, et 49.

62. Cæterum

62. Cæterum illa praxis Africana lucem præbet intelligentiæ veterum Scriptorum longè ante adventum Cardinalis Paparonij cum quatuor Palliis enumerantium Archiepiſcopos Lagenienſes, quorum quidam dicuntur Sleptenſes, ubi nunc Comitatus Reginæ, alij Fernenſes, et alij Kildarienſes Archipræſules: cujus (ni me fallat opinio) nulla veroſimilior ratio reddi poteſt, quam dicendo conſtitutos non Secundum præeminentiam alicujus civitatis, ſed Secundum tempus ſuæ ordinationis, vel pro majori opinione Scientiæ, et Sanctitatis, ita ut ille cenſeretur Archiepiſcopus qui eſſet antiquiſſimus, aut certè digniſſimus inter Epiſcopos Comprovinciales, donec deambulatoriam illam Dignitatem nulli Sedi annexam Cardinalis Paparo an 1152. Dublinij ſtabilivit. Sicut antea S. Celſus Archiepiſcopatum Momonienſem primò Imelacæ inſtitutum a S. Patricio tranſtulit Caſſeliam vid. num. 7. n. 197, et 201. cum tamen omnium Primas Archiepiſcopus Armacanus fixam Semper habuerit Armachiæ Sedem *authoritate Romani* Pontificis totius Inſulæ Principem metropolim conſtitutam *a S. Patricio* vid num. 28.

63: Adducitur privilegium, quod dicunt Ioannem Cummin an. 1182. impetraſſe a Lucio tertio decernente: " Sacrorum quoque " canonum authoritatem Sequentes Statuimus ut nullus Archiepiſ- " copus, vel epiſcopus abſque aſſenſu Dublinieſis Archiepiſcopi, *ſi in* " *Epiſcopatu fuerit* in Diæceſi Dublinienſi conventus celebrare, " cauſas, et Eccleſiaſtica negotia ejuſdem Diæcefis, niſi per Romanum " Pontificem, vel Legatum ejus fuerit eidem injunctum, tractare præ- " ſumat, ita Wareus. de præſul pag. 106. aliter tamen Petrus Dubl. " fol. XI. Sacroum quoque Canonum authoritatem Sequentes ſtatu- " imus, ut nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus abſque aſſenſu Dub- " linienſis Archiepiſcopi &c. in Diæceſi Dublinienſi Conventus " celebrare &c, niſi per Romanum Pontificem, vel Legatum ejus " fuerit eidem injunctum tractare præſumat &c.

Sic mutilatum, et tribus *et cætera* interſectum exhibet, quia forte non vacavit tam paucas lineas ad longum deſcribere, ſed conſultò omiſit clauſulam: *ſi in Epiſcopatu fuerit*, quia ſi attendatur, clarè prævidit nihil præſidij pro fictitio ſuo Primatu, nedum pro prætenſâ exemptione eruendum ex oſtentato privilegio, quod quamvis verum, et genuinum probaretur nulli ſubreptionis vel obreptionis vitio obnoxium, non aliud juxta proprium, et obvium verborum Senſum indè colligi poteſt, niſi quod Archiepiſcopus, et Epiſcopus *dum actu*

exiſtit

existit in Diæcesi Dublinensi Conventus celebrare, Causas ecclesiasticas tractare inhibeatur sine consensu Ordinarij.

64. Quod æquè per canones videndos *causâ 9. quæst* 2. per totam absque novo privilegio competit omnibus episcopis etiam respectu Superiorum Metropolitanorum, ita ut in nullâ quatuor Diæcesium Suffraganearum Archiepiscopus Dublinensis (nisi in decursu visitationis) sine consensu Diæcesani Conventus celebrare, aut ecclesiastica negotia tractare possit, neque etiam ipsi Primati in alienâ Diæcesi, aut Provinciâ absque tali consensu Concilia (nisi sint nationalia) celebrare licet, aut indicere, nihil tamen indè derogatur jurisdictioni aut Primatis, aut Archiepiscopi, quin ille negotia, et causas Metropolitanorum, hic Suffraganeorum appellatione devolutas in suis respectivè Primatialibus, et Metropoliticis Consistoriis discutere, et judicare valeant, ultra jus visitationis tempore competenti, et Præcedentiæ, quod debetur Primati per totum Regnum, et Archiepiscopo a Suffraganeis in Suâ Provinciâ.

65. Et mirabile videtur Archiepiscopum Dublinensem (ut prætendit Petrus Dubl.) factum traditione primi Pallij omnium in Hibernià Primatem indiguisse emendicato hoc indulto, ut eximeretur ab impetitione Præsulum sibi Subjectorum. Ubi usquam Gentium auditum est Patriarchas Alexandrinum, aut Antiochenum, aliosve ullius Regni Primates imploraſſe, aut impetraſſe hujusmodi Diploma Pontificium, ne sine suo consensu in suis Diæcesibus exercitium jurisdictionis attentarent inferiores Episcopi, aut Archiepiscopi, quos prærogativâ Patriarchali, vel Primatiali habent subjectos? ut vel hinc etiam intelligas quam fragili, imo futili fundamento innitatur fictitius phantastico jure excogitatus Primatus Dublinensis, ut mirum sit tam contrariantia asseri a Præsule, qui doctus, et eruditus audit apud suos.

66 Sed ut omittatur modò, et (quemadmodum in Scholis dicitur) transeat prætensum privilegium, seu exemptio a celebratione Conventuum, et negotiorum tractatione in Diæcesi Dublinensi, non ibi vetatur quominùs alius Archiepiscopus, præsertim Primas ubique Præcedentiam in dictâ Diæcesi vindicet, aut causas indè provocantium terminet in Curiâ suâ, quia inclusio, seu expressio Specialium casuum in materiâ commissionis, jurisdictionis, aut privilegij omnes alios casus non expressos excludit: *cap cum in illis § cum autem de præbend in 6. et L cum Prætor ff de judic.* et Privilegia in præ-

judicium

judicium Tertij obtenta ſtricte ſunt interprætanda, nec amplianda ultra quam patitur proprietas verborum: *cap porro*, et *cap Paſtoralis cum DD, et gloſs de privileg*: *L ſi. quando cod. de inoffic Teſtament.* quo ergo Supercilio obſtreperent Dublinienſes ne Armacanus tot Papalibus indultis confirmatus *Totius Hiberniæ Primas* &c. (cujus Sedes in primâ erectione *Princeps Metropolis totius Inſulæ conſtituta fuit authoritate Romani Pontificis*) reliquos Regni Præſules præcedat Dublinij, et alibi, ac inde Appellationes admittat?

67. Quo attentato deciderent meritò commemoratâ exemptione, etiamſi verè illam, non Subreptitiè indulſiſſet Lucius tertius: *quia Privilegium meretur amittere illoque privatur, qui extendendo ultra menſuram indultam permiſſâ ſibi abutitur poteſtate*: *cap. Tuarum de privileg*: *can ubi diſt* 74 et *can privilegium* XI *quæſt* 3. Sed quis quæſo Archiepiſcopus intenderetur excludi prætenſo indulto Lucij tertij? an non fortè contiguus Provinciæ Dublinienſi Caſſelienſis erectione Sedis Metropolitanæ per S. Celſum tot annis anterior Dublinienſi Archiepiſco, et propterea aliquid arrogavit Dublinij, vel in Provinciâ, quemadmodum ſupraviſum eſt Archiepiſcopum Tuamenſem inſurrexiſſe in ipſum Primatem? vel quidni verosimilius Cantuarienſis, ne quidquam præſumeret Dublinij prætextu quod tempore Danorum conſecrare ſoleret Epiſcopos Dublinienſes?

68. Reſpondet Petrus Dubl. Armacanum intelligi nam (ut ait fol XI) *cum illo ſolo Lis erat.* Si ita cur non nominatus in indulto? cum facile inſeri poſſet, ut *nullus Archiepiſcopus Armacanus, aut Primas &c.* quod cum non fecerit Papa Lucius cenſetur noluiſſe ipſum involvere, aut immutare diſpoſitionem juris communis competentis Primatibus *Text. in cap. ad audientiam. vers. nam ſi intelligeremus de Decim* et *cap. inter corporalia. vers. unde ſi circa tranſlationem.* de tranſlat Epiſc. et *L. unic* § *ſin autem ad efficientis cod. de de caducit tollend.* cur non vocatus ad ſubſellia Apoſtolica per ſe, vel Procuratorem ſui litigij rationes exhibiturus? *cum privilegium lite pendente impetratum non ſubſiſtat, niſi in eo Litis mentio fiat, cap cauſam* 19 *de teſtib*: et *cap. bonæ memoriæ vers in quo de confirmat. util, vel inutil*: nec ſoleant Romani Pontifices quemquam condemnare, aut jure ſuo privare indictâ cauſâ.

Quoniam ut petenti hujuſmodi immutationes reſpondit *cap inter quatuor de majorit, et obed*: Innocentius Tertius: " juris ratio poſtulat ut in eorum præjudicium, quibus eccleſiæ ſunt ſubjectæ, " nihil

" nihil ordinemus de ipſis, cum nec citati ſint nec convicti, nec per " contumaciam ſe abſentent ------ et in eorum abſentia circa ſta- " tum illorum non debemus aliquid immutare." Et in hanc rem Alexander tertius *cap. a memoria ut Lit. pendent.* Archiepiſcopo Eboracenſi ita reſcribit: " Statuimus ut Litteræ prohibitionis quas " ad petitionem Archiepiſcopi Cantuarienſis tuæ fraternitati direxi- " mus nullum præjudicium faciant, quouſquè definitivâ Sententiâ " decernatur, an eccleſia tua de jure hoc debeat habere." Quidni ob paritatem rationis ex æquitate juris, idem ſtatueret, ſi rirè informatus de præeminentiis Armacanis, aut Litis pendentiâ Lucius tertius? Etiam caſu quo falſis antea Suggeſtionibus verè decreviſſet quidquam in contrarium potiùs quam gratificari ambitioni poſtulantium ſibi jura aliena.

69. Ex pleriſque patet conſtitutionibus Eccleſiaſticis quantâ Solicitudine invigilaverint Romani Pontifices ne ullatenùs convellerentur Statuta Prædeceſſorum præſertim ſpectantia ad Prærogativas ſedium, quas primi Nationum Apoſtoli ſibi, et Succeſſoribns delegerant, ita ut quamvis de plenitudine Poteſtatis omnia poſſint non vetita Lege Divina, aut naturali, in præſervandis tamen hujuſmodi Prærogativis ſibi metam præſcripſerint, et quodammodo ligaverint manus, imò ſubreptionis vitii arguerint quicquid ſub ſpecie exemptionis, aut Privilegii obtenderetur in contrarium, niſi fortè urgens neceſſitas, aut publica utilitas impellerent ad derogandum.

Siquidem (ut jam vidimus a num. 50. ad 53.) S. Zozimus Papa acriter increpans *impudentiam, et indecentem auſum* Simplicii Archiepiſcopi Viennenſis arrogantis exemptionem a juriſdictione Metropolitani Arelatenſis: *Quod* (inquit) *contra ſtatuta Patrum, et S Trophimi Reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis Civitatis ex hâc Sede directus concedere, vel mutare, nec hujus quidem ſedis poſſet Authoritas*: " Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit an- " tiquitas, cui Decreta Patrum Sanxere Reverentiam: Et iterum ad " Hilarium Narbonenſem:" Quod dum aſſertioni, et deſideriis tuis " cupis eſſe conſultum, prætermiſſâ veteri fide Relationem tuam ſub " honeſtatis Specie coloraſti: ---- cum utiquè debueris non quid " tibi rectum videtur, ſed quid habuerit antiqua conſuetudo ſugge- " rere: *Ideoque evacuato eo, quod obtinuiſſe a ſede Apoſtolicâ ſubrep-* " *titiè comprobaris* ---- nam ſanctæ memoriæ Trophimus Sacerdos " quondam Arelatenſi Urbi ab Apoſtolicâ Sede tranſmiſſus ad illas

" Regiones

" Regiones tanti nominis Reverentiam primus exhibuit, et in alia " non immeritò eâ, quam acceperat, Authoritate transfudit.

70. Et Pelagius Papa Armentario Magiſtrom ilitum ait: " Poſtea " quam Eccleſiæ jura documentorum quoque intercedentium fuerint " authoritate firmata, nullatenùs ab his diſcedendi Libertatem Pon- " tifex, vel ſi vult, permittatur habere licentiam." quibus conformia docent Anacletus Epiſt. 1 cap. 3: Leo Magnus Epiſt. 52. ad Marcianum Auguſtum, et Epiſt. 82. ad Anaſtaſium: S. Gregorius, Lib. 2. Epiſt. 39 ad Carthaginenſem Epiſcopum: Lib. 7. Epiſt. 17. ad Bonifacium: Et Lib. 12. Epiſt. 31. ad Felicem Epiſcopum: Alique Pontifices videndi ſparſim in Decreto Gratiani præcipuè caus 25. Quæſt. 2 per totam.

Et huc ſpectant quæ Lib. 3. cap. 4. de conſideratione ad Eugenium 3 de quibuſdam ſui temporis inviſis immutationibus defert S. Bernardus dicens: " Murmur loquar, et querimoniam Eccleſiarum, " truncari ſe clamitant, ac demembrari - - - - Subtrahuntur Ab- " bates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriar- " chis ſive Primatibus. Bonanè ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari " queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem " poteſtatis, ſed juſtitiæ forté non. Ita facitis quia poteſtis, ſed utrum " et debeatis quæſtio eſt. Honorum, ac Dignitatum gradus, et or- " dines quibuſque ſuos Servare poſiti eſtis, non invidere - - - - Nolo " autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius: Nullus eſt " enim niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, Monachi etiam diſſolu- " tiores fiunt - - - - Matris noxiæ Libertatis gemina Soboles hæc.

Quæ autem Neceſſitas, aut etiam apparentia publicæ vel communis neceſſitatis effulſit, aut effulgere potuit, ut ad importunas Preces hominis extranei Joannis Cummini, parum vel nihil de Rebus Hibernicis edocti; ſed privatis deſideriis ſuis tantummodò conſulentis, ſtatuta, et privilegia a præcedentibus Pontificibus conceſſa Eccleſiæ Armacanæ ob reverentiam Apoſtoli noſtri S. Patricij infringeret, aut immutaret Lucius Tertius? Cum in ſuis conceſſionibus, ſeu indultis Summus Pontifex nunquam intendat lædere jus alterius, nec ut illis utatur Indultarius injuriis alienis: *cap. ſuper eo vers. non tamen eſt noſtræ intentionis, cap. ex parte vers. ſi memores fuiſſemus de offic. delegat*; *cap. ad aures vers. cum non ſit intentionis noſtræ de Reſcript*: *cap. liceat de offic. judic. ordinar*: et *cap ex tuarum de authoritate et uſu pallij* juxta æquiſſimam juris Regulam, *quod noſtrum eſt, ſine*

facto noſtro ad alium transferri non poteſt. Et Privilegium Pontificium Eccleſiæ Armacanæ conceſſum in principio, tolli non potuit per aliud privilegium, niſi prioris in ſecundo mentio fiat: *cap veniens vers. non obſtante de præſcript*, cap. *dudum*, *et cap. ex parte Abbatiſſæ vers. in qua de privileg.*

71. Sed ut redeamus ad indultum ſive legitimum, ſive Suppoſititium (quod eſt veroſimilius) parum laborat Armacanus, cum Primas ſit, et non jure Archiepiſcopali, ſed Primatiali utatur in Provincias hujus Regni: illud enim nequaquam officit poteſtati Primatis, cujus nulla fit mentio: quoniam inferioribus expreſſis in Reſcriptis, et inhibitionibus Pontificiis majores, et Digniores non intelliguntur includi: *cap. ſedes Apoſtolica de Reſcript*: Et *cap. quia periculoſum de ſentent excom*: *text in cap. dilectus vers nos igitur de conceſs. præbend*: *Gloſs. in cap. Inquiſitores de Hæret in 6. et in cap. 2. de præbend eod lib*: Barboſa de poteſt. Epiſc. part 2. allegat 1. num. 17. Sed quælibet Dignitas ſaltem ex Sublimioribus exprimi debet, uti fit *caus 9. quæſt. 2, et quæſt. 3. can. 3, et can. 7*: *nullus Primas, nullus Metropolitanus*, &c.

Quod appoſitè admonuit in Concil Trident. Pacecus Cardinalis Gyennenſis teſte Pallavicino lib. 7. cap. 5. proinde Patres vim urgentis præcautionis perſpicientes Seſſ. 5. cap. 2, et Seſſ. 24. cap. 3, et cap. 18. de Reform. non tantum Epiſcopos, et Archiepiſcopos, ſed etiam Primates nominant, et Patriarchas, ne hi ſe ab obſervantiâ Legum illis inferioribus Præſulibus præſcriptarum exemptos jure cauſarentur: Similiter dum vellet Summus Pontifex nullam Eccleſiam excipi a Reſervationibus Regulæ Secundæ Cancellariæ, ultra Epiſcopales, et Archiepiſcopales diſerte itidem exprimit *Primatiales*, et *Patriarchales*, quæ alioquin Archiepiſcopalibus, et Epiſcopalibus ſolummodò commemoratis non comprehenderentur in Regulâ pariformiter proceſſit Alexander 7. in Sententia contra cenſuras Pariſienſes 8. calend. Julij 1665, latâ omiſſis centenis aliis hujuſmodi Exemplis.

Non prætereundum quod maximè huc ſpectat, omnemque tollit cavillationem, et refertur a Card. Pallavicino lib. 23. cap. 5. cap 8 et cap 10 cum in Concil. Trid. Epiſcopi Suffraganei averſati frequentes, et oneroſas Superiorum Viſitationes acriter inſtitiſſent pro hujumodi gravaminibus abrogandis, vel ſaltem limitandis, Mutius Callinus Archiepiſcopus Iadrenſis ſub Patriarchæ Veneti juriſdictione conſtitutus

ſtitutus, non ſui Gradûs Prærogativam, ſed adverſantium Suffraganeorum cauſam Suſcepit, ac ſtrenuè propugnavit, ratus hâc arte ab inviſâ, et arbitrariâ Patriarchali inſpectione ſe Subducendum; ac tandem Suffragiorum pluralitatem aſſecutus effecit ut ſeſs. 24. cap. 3. (ubi Patriarchæ, Primates, Metropolitani, et Epiſcopi ſuas Diæceſes, quotannis jubentur viſitare) Sic de Metropolitanis ſtatutum fuerit: *a Metropolitanis verò etiam poſt plenè Viſitatam propriam Diœceſim non viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque Diœceſes Suorum Comprovincialium, niſi cauſâ cognitâ, et probata in Concilio Provinciali*, quo ſe deſideratam metam attigiſſe arbitrabatur.

Sed (ut ex mente Patrum, et actis Gabrielis Paleotti Rotæ Romanæ duodecimviri, ac poſtea Cardinalis, qui præſens Tridenti geſtorum in Synodo Evphemeridem concinnavit, obſervat Pallavicinus dict. cap. 10) *dignum fuit animadverſione quod Iadrenſis, cum in dicendâ Sententiâ ſolos Metropolitas nominaret oblitus omnes Superiores Primates exprimere, nihil ſibi ipſi profuit, cum enim Reliqui dixiſſent ſibi illius Sententiam probari, confectum eſt Decretum de ſolis Archiepiſcopis, non item Patriarchis*, adeoque nec de Primatibus qui ejuſdem ſunt officij vid. num. 57. ita compertum eſt cunctis eruditis, tum priſcis, tum recentioribus, in odioſis Legibus, innovantibus inhibitionibus, et reſtringentibus ſtatutis ſub titulo Epiſcoporum, vel Archiepiſcorum Primates, et Patriarchas non expreſſos nominatim nullatenus comprehendi. Excludant ergo Dublinienſes omnes Archiepiſcopos, et Epiſcopos ne Conventus celebrent, aut res eccleſiaſticas tractent in Dublinienſi Diœceſi, aut Provinciâ, quod æquè competit Caſſelenſibus, et Tuamenſibus ſine ullâ immunitione authoritatis Primatialis, quæ ſemper remanet inconcuſſa, et idem ſit reſponſum ad ſtatim adducendam Bullam, quæ attribuitur Honorio 3.

72. Interim urget fol. 11. Petrus Dubl. illa verba prætenſi indulti Lucij tertij: *Sacrorum quoque canonum authoritatem Sequentes ſtatuimus, ut nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus &c.* et concludit inde liquere *Archiepiſcopum Armacanum tunc temporis non fuiſſe Primatem. Primas enim ſi fuiſſet, — non Secutus fuiſſet Papa canones declarando illum* (*nam cum illo ſolo lis erat*) *non habuiſſe juriſdictionem ullam in Diœceſi, aut Provinciâ Dublinienſi.* et in Bullâ ne verbum quidem de *Provinciâ Dublinienſi*, aut Præſule Armacano, quod tamen multo levius eſt, quam patentiſſima (quâ hic et alibi paſſim laboratur) hallucinatio, et inſcitia canonum. nam etſi fuerit verus Primas Archiepiſ-

copus Armacanus, cujus Sedes in principio Christianitatis in hoc Regno constituta fuit *Princeps Metropolis totius Insulæ authoritate Romani Pontificis*, potuit tamen sine ullo illius præjudicio (ut jam visum est) Papa Lucius sequi, et verè secutus fuisset Sacros canones statuentes, ut nullus Archiepiscopus, vel Episcopus mittendo falcem in messem alienam, aut perturbando ordinem hierarchicum, Conventus celebraret. aut tractaret negotia in Diæceſi Dublinienſi, vel alterius Antistitis; quandoquidem id Sanxerunt Synodi Antiochenæ sub Julio Papâ *can.* 13, *et* 22. ac Æcumenicæ Constantinopolitanæ primæ *can.* 2, *et* 3, cum plerisque aliis, quos allegat Gratianus *can nullum Episcoporum*; *can. Episcopum non debere*: *can. Episcopi qui extra* 9. *quæst.* 2. *per tot.*

73. Et quoniam Primatibus, seu Patriarchis Alexandrino et Antiocheno, aliisque per orbem Primatibus quin jus suum, et jurisdictionem Primatialem exercerent super Metropolitanis, Provinciis, et Regnis sibi Subjectis nullum intulerunt impedimentum citati canones: et canon Secundus Constantinopolitanus canoni Sexto Nicæno inhærens, illumque explanans his verbis: ‘ Episcopi qui extra. Diæ-
“ ceſim sunt, ad Eccleſias, quæ extra terminos eorum sunt, non ac-
“ cedant, neque confundant, et permisceant Eccleſias Secundum Re-
“ gulas statutas. Alexandriæ quidem Episcopi ea que sunt in Egypto
“ tantummodò gubernent? Orientales autem Episcopi solius Ori-
“ entis curam gerant, *Servatis tamen honoribus Primatûs Eccleſiæ*
“ *Antiochenæ* qui in Regulis Nicænæ Synodi continentur. ita pariter
“ hos Secutus Sacros Canones Lucius 3. ritè inhibuisset ne in Diæceſi Præsulis Dublinienſis, alteriusve Antistitis, alij Archiepiscopi, aut Episcopi Causas Eccleſiasticas tractare præsumerent *Servatis tamen honoribus Primatûs Eccleſiæ Armacanæ*: de imaginariâ lite cum Armacano tempore Ioannis Cummin agetur infra, intereá retorquetur argumentum.

74. Declarat enim Papa Lucius sequi se Sacros canones, utique præcedentes, et constituentes jus commune: non itaque jus novum condit, aut indulget novum privilegium: id enim non esset Sequi canones jam editos, sed recedere ab eis contra id quod expresse profitetur: quippe Privilegium dicitur *privata Lex contra jus commune can. privilegium dist.* 3. *L. jus singulare ff de Legibus*: *L.* 1 *in fin ff ad muncip*, sed illud idem concedit quod reperitur a præcedentibus Sacris canonibus conceſſum, atque ad Summum innovat absque ullâ immuta-

immutatione, ac Specialiter applicat Diæceſi Dublinienſi, quod generaliter a jure competit omnibus, et idem importat, ac ſi dicat Statutum oſtendimus. unde potius appellari debet indultum declaratorium quam nova conceſſio: ut dicitur *cap etſi Chriſtus, et ibi gloſſ; de jure-jur: cap 1, et ibi gloſſ de Reſcript.* Geminius §. *fin vidi pridie dubitari in cap volentes de privileg.* et innovans non egreditur terminos Legis innovatæ, nec Titulum novum inducit: *cap. cum dilecta ver. nolentes cum gloſſ. 1 de confirm. util, vel inutil*: ubi ait Innocentius 3: *nolumus ex innovatione hujuſmodi novum jus Monaſterio acquiratur, ſed antiquum (ſi quod habet) per innovationem Privilegij conſervetur.*

Et idem Innocentius 3. *cap ex parte Abbatiſſæ de privileg* declarat: " Privilegium conceſſum duximus innovandum, ita tamen ut " per innovationem ipſius non plus juris eidem eccleſiæ accreſcat " quam per privilegia Prædeceſſorum noſtrorum obtinuit, cum per " hoc non novum ei concedere, ſed antiquum jus conſervare velimus " concordat *gloſs. in cap. quia diverſitatem in ver. formâ communi de conceſſ. præbend.* idque Honorius 3. *cap. quia intentionis de privil.* " planum efficit dicens: " *cum innovatio nec jus novum conferat, nec* " *etiam tollat vetus*, te in eo ſtatu eſſe volumus, in quo tempore im- " petratæ innovationis dignoſceris extitiſſe unde liquidò patet quod ſiſtendo in ipſo diplomate Lucij 3 et inſpecto tenore textûs, ac ſcopo Summi Pontificis, etiam ex hoc capite penitùs corruat hoc unicum ruinoſæ cauſæ fundamentum, et abeat in fumum inde deducta prætenſa exemptio Dublinienſis.

75. Ecce Honorio 3. attributa Bulla. " Honorius Epiſcopus " Servus Servorum Dei venerabili fratri Dublinienſi *Archiepiſcopo* " &c. (non dicit Primati) cum Secundum divinæ Legis præceptum, " nemo falcem ſuam in meſſem debeat mittere alienam &c. Nos " tuis precibus inclinati Authoritate præſentium inhibemus, ne cui- " quam Archiepiſcopo, vel alij Prælato Hiberniæ (*præter Suffraganeos* " *tuos*, aut Apoſtolicæ Sedis Legatum) ſine tuo, et Succeſſorum tuo- " rum aſſenſu bajulare Crucem, celebrare Conventus (Religioſis ex- " ceptis) vel Cauſas eccleſiaſticas (niſi a Sede Apoſtolicâ delegatis) " tractare liceat in Provinciâ Dublinienſi &c. Sic refert fol. 6. Petrus Dubl. immixtis familiaribus ſuis &c. quibus plerumque portendit diſpendium veritatis. Sed cum hic nulla fiat mentio *Primatis*, et jam reſponderimus num 71. non eſt cur ampliùs immoremur. novum tamen hoc, et famoſum deſumitur documentum, ut quod inhibetur

Archiepiſc.

Archiepiſcopis, et aliis Prælatis Hiberniæ in Provincia Dublinienſi *bajulare Crucem*, liceat Suffraganeis, cum excipiantur *præter Suffraganeos tuos*, quod Metropolitanis, aliiſque Sublimioribus Dignitatibus tantum alibi terrarum hactenus competebat. digna ſane Sententia, quæ aſcribatur Romano Pontifici, ut vel inde per ſe ruat figmentum.

76. Et ſi tam Sublimem honoris gradum Diplomate Pontificio aſſecuti ſunt Suffraganei Dublinienſes, ut Crucem ante ſe bajulare faciant, quidni altius aſcendat eorum Archiepiſcopus, et *Primas* conſtituatur? Sicut et conſtitutus prætenditur deciſione Innocentij Sexti inter Archiepiſcopum Armacanum et Dublinienſem, " ut uterque " eſſet *Primas*, ſed ad diſtinctè Scribendum, Archiepiſcopus Armaca- " nus intitularet ſe *Totius Hiberniæ Primatem*, Metropolitanus autem " Dublinienſis exararet ſe *Hiberniæ Primatem*, inſtar Cantuarienſis, " et Eboracenſis, quorum prior Scribit Se *Totius* Angliæ Primatem, " alter Angliæ Primatem, quæ legiſſe ſe Romæ in Bibliothecâ Pontificiâ aſſerit Joannes Alanus Archiepiſcopus Dublinienſis ad illam dignitatem evectus 167 annis poſt obitum Innocentij Sexti. quomodo tam diù delituit dicta deciſio, ut nullus eam Romæ, vel alibi, et ne quidem Dublinij toto illo intervallo commemoraverit?

77. Et unde fieri potuit, ut tam obviam in Pontificiâ Bibliothecâ ignoraverit accuratiſſimus Monumentorum Urbis indagator (cui omnia Papali Mandato patebant) et continuator Baronij uſque ad annum 1500 Odericus Reynaldi? aut ſi titulo Primatûs ullo tempore Dublinienſes donati fuiſſent, mirum quod in Bullis Electionis, et Reſcriptis Pontificiis nulla uſquam fiat, aut facta fuerit illius mentio, mirum etiam quod pateretur repulſam, qui tam acriter, et repetitis vicibus inſtitit apud Clementem decimum Illmus. Talbotus (vid num. 30) ut ipſe quoque ad inſtar Armacani, *Primatis* titulo decoraretur? cum non Soleant Romani Pontifices ullum ſuo jure privare, aut denegare quod indultum fuit a Prædeceſſoribus.

78. Sed id affirmat, et ſuo Regiſtro, ſeu veriùs fabuloſæ farragini inſeruit Allanus fidus Adminiſter Cardinalis Wolſei in evertendis Quadraginta Monaſteriis, ac in præmium Sacrilegi ſervitij procurante Wolſeo ad Inſulas Dublinienſes An. 1528. promotus fuit, qui ab Hiſtoricis depingitur effrænis ambitionis, et malitiæ perditiſſimæ veterator, cujus iniquis machinationibus, et malis artibus victima occubuit nobiliſſima familia Comitis de Kildare, et tam avidè anhelabat ad honores, ut undique corraſis, et malè congeſtis ſuis titulis accumulaverit

mulaverit (teſte Talboto fol. 65) jus *deferendi ante ſe crucem per totam Hiberniam*: cujus inſolentiſſimæ præſumptionis ita puduit Succeſſores, ut penitùs omiſerint, qui eâdem ratione expungere deberent commentitium titulum *Primatis*, De Geſtis Allani conſulatur Wareus de præſul, fol. 118. Philippus ô Sulivanus, tom. 2. lib. 3. cap. 5. et Eques auratus Henricus Spelman hiſtor. Sacrileg. pag. 171, et 262.

79. Et hic Allanus tantus reputabitur, ut ipſius ſolius, veluti locupletiſſimi teſtis aſſertione, et quidem in caſu proprio, credatur Innocentius Sextus inauditâ parte, nullâ ſuadente utilitate, nullâ neceſſitate impellente voluiſſe jus alteri acquiſitum adimere, prædeceſſorum ſuorum ſtatutis derogare in gratiam intolerabili ambitione aucupantium indebitos honores? Abſit: commentitia potius (uti verè eſt) dicatur, et confiſta ab Allano memorata deciſio, ut (præter alia) manifeſtiſſimè evincit factum Joannis a S. Paulo Dublinienſis Archiepiſcopi, qui illi Eccleſiæ præfuit toto tempore Innocentii Sexti, ipſique ſupervixit (vid inferiùs num. 393.) etenim ſi quæ ritè ordinata ſunt, inconcuſſâ tot Sæculorum poſſeſſione firmata, ac tot Diplomatibus Papalibus innixa pro ambientium Suggeſtionibus ſine indagine, ſine diſcuſſione non vocatis quorum intereſt, immutentur, quid ſtabile, quidve Securum in Hierarchico, vel etiam politico Regimine reperietur?

Incidet fortè cuidam acutulo reponere neque etiam ab Oderico Reynaldo afferri, quas adduximus Bullas Urbani 4, et Joannis 22, et proindè rejiciendas haud ſecus ac oſtentatam deciſionem Innocentii Sexti. Attamen talis objectio prorſus deflectit a vero ſcopo nequaquam attingens meritum longè diſparis exceptionis nullus inficiabitur peritus in variis diverſarum Eccleſiarum Regiſtris poſſe, et actu conſervari ſpectantia ad eas Reſcripta, et Indulta Apoſtolica, quæ vel Romæ exciderunt, vel ob plures obvios caſus nunquam forſitan ibi Archivis inſerta fuerunt, quin propterea veniant reſpuenda modo ex incontaminato, et incorrupto producantur promptuario, (quale non eſt Regiſtrum Dublinienſe, vid inferius num 85, et 86.) at Dublinienſem Archiepiſcopum Joannem Allanum tot nominibus jure repellendum a ferendo teſtimonio, præſertim in propriâ cauſâ detexiſſe non Dublinii, non alibi, ſed Romæ, et quidem in Bibliothecâ Pontificiâ loco tam conſpicuo, omnibuſque accedentibus propatulo legiſſe, ac inde (ut venditat) currenti ſuo calamo deſcripſiſſe Innocentii Sexti deciſionem, quam cuncta Urbis Libraria, Tabulas, et documenta ex-

actiſſimè

actiſſimè perluſtrans ad Poſteros tranſmiſſurus notitiam ex debito officii, utpote Sanctæ Sedis, et Eccleſiæ Univerſæ Hiſtoriographus Odericus Reynaldus invenire non potuit, nec ullus alius anterior, vel Subſequens Scriptor. Nemo (ni fallor) ſenſatus, ſimulque a præventionibus immunis veriſimile arbitrabitur, imo potius faſtuoſi hominis ſublimioribus titulis et honoribus perditè inhiantis fabuloſum merito deſpiciet commentum.

Cum itaque manifeſtum ſit ex hactenùs viſis Præſulem Armacanum indubitatum eſſe Primatem hujus Regni, nec ratio, nec canones patiuntur ut illam Dignitatem, aut juriſdictionem annexam acquirat Dublinienſis, aliuſve Antiſtes. Quoniam rectæ gubernationis ordo refragatur, ne plures ſint Primates conſtituti ſuper Clerum Hiberniæ. Videmus enim non niſi unum in quâlibet familiâ Dominum: unum in Civitate Prætorem: unum cujuſlibet Provinciæ Gubernatorem, unum in quolibet Regno Regem, ſeu Regium Locumtenentem, cui cæteri Gubernatores, et Prætores ſubjicuntur. Omnes enim Ordo reducitur ad unum, et ut docet Ariſtoteles, lib. 12. Metaphis: Entia nolunt malè gubernari, non eſt bona pluralitas Principatuum, unus ergo Princeps.

80: Inſuper gratis etiam dato, quod talis prodierit deciſio Innocentii Sexti honorariam Dublinienſibus attribuens denominationem Primatis, cum Armacanus *totius Hiberniæ* confirmetur *Primas*, nullaque Pars Hiberniæ extra totam Hiberniam ſit conſtituta, nulla quoque Pars Primatiali ejus juriſdictioni Subtrahetur. Erat autem Specialis ratio nunquam competens Dublinienſibus cur ſe ſcriberet Primatem Archiepiſcopus Eboracenſis: Primas quippe fuit Primatiali Authoritate moderatus Eccleſias Scotiæ, donec (teſte Leſleo, lib. 8. de Rebus geſt Scotor) " Regnum tenente in Scotiâ Jacobo ejus no-
" minis Secundo An. 1474. Grahamus Andreapolitanæ. Sedis Epiſ-
" copus crebris litteris, ac nunciis a Romano Pontifice efflagitavit,
" ut Metropolitana Sedes in S. Andreæ Urbe conſtitueretur, grave
" enim eſſe contendebat, ut Scoti ab Eboracenſi Epiſcopo tanquam
" Primate penderent, cum propter frequentia Bellâ (quibus ſe mu-
" tuo Angli, et Scoti vexabant) Scotis ad illum tutus non pateret
" acceſſus, nec liberum jus præſertim in Appellationibus. Annuit
" Summus Pontifex Sixtus 4. ac ita conceſſit, ut Andreapolitano E-
" piſcopo id juris et poteſtatis eſſet: quam rem Summâ lætitiâ po-
" pulus et Nobiles celebrarunt.

81. Et

81. Et inde contigit, ut quamvis jure antiquo in exteros, et remotos Scotos hâc Conſtitutione Pontificiâ deciderit Præſul Eboracenſis cenſeatur tamen, et dicatur Primas, quia ſemel Conſul ſemper Conſul: ac colligitur ex *cap.* 1. *ut lit. pendent*: privilegium habuiſſe jubendi crucis Signum ante ſe deferendum per totam Angliam, eo quod olim eſſet Scotiæ Primas, et ſimul in Anglià Archiepiſcopus, ut obſervat Azorius *inſtitut. Moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 36. hacquc ratione aſſecuti ſunt exemptionem a juriſdictione Cantuarienſium Eboracenſes Archiepiſcopi, cum indecorum videretur, et indecens, ut qui Primatiali Authoritate præeſſent Regno Scotiæ, Primatibus Cantuarienſibus ſubjicerentur. Sed quid hoc commune cum Dublinienſibus nec domi, nec foris unquam Primatiali Dignitate fulgentibus, niſi quantum tumore ambitionis, et propriâ Authoritate arrogarunt? Attamen Eboracenſium Privilegium advertens Joannes Allanus (ambitum acuente ſtimulo æmulationis) non contentus Innocentio Sexto affingere deciſionem, ut Archiepiſcopus Dublinienſis Primatem ſe Hiberniæ inſcriberet inſtar Eboracenſis in Angliâ: ne ulla intercideret diſparitas, imaginariis ſuæ inventionis titulis aſſuit *jus deferendi ante ſe Crucem per totam Hiberniam.*

82. En altera Innocentio 3. attributa Bulla. " Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Henrico *Archiepiſcopo*, et dilectis filiis Capitulo Dublinienſi Salutem, et Apoſtolicam " Benedictionem: illa ſolicitudo continua quam pro univerſarum " Eccleſiarum ſtatu Apoſtolica ſedes gerit, et quæ ad illarum reformationem aliquando ad diverſas Provincias Legatos ſuos mittere, " ipſam cogit, ſuadente judicio rationis inducit eandem, ut quod per " ipſos eſt providè ſtabilitum, Authoritas Apoſtolica muniat et confirmet. noſtris ſiquidem auribus eſt declaratum aſſertione plurium " Prælatorum apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, quod cum olim " ad partes veſtras bonæ memoriæ Joannes Paparonius tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus ad informandas, et limitandas Hiberniæ eccleſias acceſſiſſet, Quàtuor Pallia Secum ferens providâ conſideratione " inductus, *primò* apud Dublinium in *Glandelacenſi Diœceſi* conſtitutum, ubi Sedes Regalis, et Caput Hiberniæ Regni fuerat ab antiquo, ſedem duxit Metropoliticam ſtatuendam ejuſdem Eccleſiæ " Pontifici pallium authoritate Apoſtolicâ conferendo, ac potiorem " partem Glandelacenſis Epiſcopatûs pro Diœceſi eidem aſſignando, " parte reliquâ Glandelacenſi Epiſcopo, dum viveret, reſervatâ: ita

" quod eadem cum Eccleſiâ Glandelacenſi, et pertinentiis ſuis poſt " obitum cederet Eccleſiæ Dublinienſi. poſtmodum autem claræ me- " moriæ Henricus Rex primo, et ſecundo chariſſimus in Chriſto fi- " lius noſter Joannes Rex Anglorum illuſtris, illam partem reſidu- " am, quæ fuerat Glandelacenſi Epiſcopo deputata, Dublinienſi Ec- " cleſiæ aſſignarunt, quantum ſpectabat ad ipſos ex officio Regiæ " Dignitatis, et ſuis privilegiis confirmarunt. NOS igitur veſtris " precibus inclinati, quod ſuper hoc per Cardinalem prædictum pro- " vidè noſcitur eſſe factum, ratum habentes, id vobis, et per vos Ec- " cleſiæ veſtræ authoritate Apoſtolicâ confirmamus, et præſentis " Scripti patrocinio communimus: nulli ergo omnino hominum, &c." Sic. fol. 27, et 28. Petrus Dubs. exhibet *hanc Bullam iiſdem verbis* (ut ait) *exaratam in Regiſtro Dublinienſi, fol. 6, et 7.*

83. Quicquid interpretetur, vel more ſuo hallucinetur P. D. de imaginario Primatu per traditionem *primi Pallij* conſtituendo in capite Regni (de quo ſatis ſuperque dictumeſt num. 44. num. 45. et 46. nullo modo competere Dublinio tempore Cardinalis Paparonij, et amplius videbitur infra num. 89) ex contextu Bullæ ultro non claudentibus oculos evidentiſſimè patet unicum Scopum Papæ fuiſſe unionem Eccleſiæ Glandelacenſis cum Dublinienſi. nec obſtat quod dicat Innocentium alio jam Diplomate id feciſſe. Sit ita, et fides penes authorem: certè nec primum illud diploma, nec hoc Secundum unionem complevit: nam Sedes Apoſtolica melius informata de juribus Eccleſiæ Glandelacenſis præfecit illi Epiſcopos uſque ad An. 1497, quo poſtremus illius Sedis Epiſcopus Dionyſius White ſpontè abdicavit, ut teſtantur Lucas Waddingus, Tom. 7. Annal. Minor. et Wareus de Annal. ad dict. An. in Henrico Septimo.

84. Fatetur fol. 29. Petrus Dubs. in Exemplari illius Bullæ (quod dicit extare in Regiſtro Dubſi. ut jam vidimus) illud verbum *primò* interlitum eſſe. Addit tamen *corrigentis, potius quam corrumpentis cenſendam eſſe manum.* Ingenua quidem confeſſio (quia magna vis Veritatis, et tanta, ut etiam Mendaciorum cineribus quamvis obducta, erumpat tandem, et referat palmam) ex quâ quilibet partium Studio non nimium Seductus luculenter colligat, quæ fides habenda ſit Dublinienſi Regiſtro, in quo patet acceſſus tantâ Licentiâ, imo intolerabili inſolentiâ præſumentibus corrigere Litteras, aut Conſtitutiones Apoſtolicas, quibus aliquid detrahere, ſive addere modificando, corrigendo, aut immutando ne quidem ipſi licet Sacro Cæ-

tui

tui Cardinalium, vetante *Clementinâ ne Romani de Elect.* et falsantes Papales Litteras incidunt in Excommunicationem *Bullæ Cænæ* § 6, ac Capituli *ad falsariorum de crimin fals*: hæc autem falsificatio variis modis potest contingere, et reddit Litteras falsas, si in magno numero, aut in modico audeat quis manum apponere etiam Litteram unicam, vel dimidiam, vel punctum, unicum addendo, cancellando, componendo, aut mutando: *cap. ex Conscientia eod, et ibi DD. Hostiensis in Summa hujus tituli* § 2. et *in dict. cap. ad falsariorum num.* 4, et *in cap. ex Litteris n.* 2, *et* 4. *de fid instrument*: concordant Joannes Andreas ibid, et alij quos longo ordine enumerat idem Sentiens Prosper Fagnanus *in dict. cap. ex Conscientia de crim. fals.*

85. Sed hæc non deterrent correctores Dublinienses; et cum fides instrumentorum sit indivisibilis, ac indivisibiliter dependens ab authoritate Personarum conficientium, et adstruentium fidem instrumentis, si Personæ dolum committant, aut falsificationem in uno capitulo, non creditur ipsis in alio, et defectus fidei unius instrumenti influit etiam in omnia alia: *Text in cap ad audientiam* et ibi *Bald num.* 15, *et Felin n.* 2. *de Rescript*: *can. si ad Scripturas dist.* 9. et *can. pura, et Simplex* 3 *quæst.* 9. *L. si ex falsis cod. de transact*: *et ibi DD.* et ut docet S. Augustinus epist. 9. ad Hieronymum: *Si ad Scripturas Sanctas admissa fuerint vel officiosa Mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? quæ eadem de scripturis illis Sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas.*

Unde quoniam manifesta detegitur corruptela, et falsificatio compilantium Registrum Dublinienſe, consequens est, ut in toto corruat illius authoritas, et nullam mereatur fidem quicquid indè desumitur, præsertim in iis, quæ pro commentitio Primatu, aut prætensâ exemptione obtruduntur. Dicat nunc Petrus Dubs. (quâ Conscientiâ ipse viderit) Scatere mendaciis Registrum Armacanum, in quo ejusmodi laciniæ nusquam occurrent at ita oportuit undequaque corradere, et corrumpere, ut ex acquisitione *primi* Pallij chimæricum suum Primatum satagant stabilire. Vidimus suprà num. 17. et 18. ex tot domesticis, et extraneis authoribus, ac ex ipso illibato fonte Vaticano (testante Baronio) primum Pallium a Cardinale Paparonio concessum Armacanis, et non nisi tertium Dublinienſibus.

86. Nec est cur tantopere quis miretur corruptelis, et impostoris redundare Registrum Dublinienſe, utpotè magnâ ex partè a fraudulento, et ambitioso Joanne Allano compilatum, cui multa Spuria in-

ſeruiſſe dicitur is, qui præcedentem Bullam ab Innocentio tertio impetravit (ſi forte non ſit Suppoſititia) verſutus Henricus Loundres Villanorum Incendarij vulgò (SCORCH VILLAIN) agnomine notatus, quia aſtu circum veniens Simplices Villicos tenentes ſuos, illorum Syngrapha locatoria ſibi bonâ fide concredita perfidè combuſſit, ut innuit Wareus de præſul fol. 108. et fuſiùs enarrat de Annal in Ioanne Rege ad an 12. 13, et Cambdenus in Annal Hibern ad ad 1212. Campianus fol. 76. et Hanmerus pag. 188, et 189. afferens prædictum Henricum Loundres ob execrabilem perfidiam fuiſſe poſtea ab officio juſtitiarij amotum per Regem Henricum tertium. quid Sentiendum de Georgio Bruno, qui ex Religioſo profeſſo, et Provinciali factus Archiepiſcopus Dublinienſis, ac tandem ductâ uxore prævaricatus votum Solemne caſtitatis, adulterare attentavit ſipſa etiam oracula Spiritûs Sancti, ut inter alia ejus depravata opera probat Sermo (quem habuit Dublinij Dominicâ Paſchali an 1551. Super vers 18. pſalmi 118. *Revela oculos meos, et conſiderabo Mirabilia de Lege tua*) videndus apud Wareum ubi Supra num. 25, pag. 147,

Ab his, aliiſque vafritiâ, et cupidine dilatandi fimbrias ſuas conſpirantibus quid candoris ſine fuco, aut fallaciis expectetur, niſi quod ab illis, aut hujuſmodi audacibus correctoribus aſſuta ſit Bullæ Innocentij tertij illa clauſula) (*ubi Sedes Regalis, et Caput Hiberniæ Regni fuerat ab antiquo*) vel a circumvento falſis Suggeſtionibus Innocentio Subreptitiè fuerit addita, cum manifeſtum ſit ex toties adductis, et adducendis Teſtimoniis Dublinium nec Regalem Sedem, nec Caput Hiberniæ Regni fuiſſe ante dominium Anglorum in fine Sæculi duodecimi.

87. Inſtat tamen, et ex illis Bullæ verbis quod Legatus Paparonius *providâ conſideratione inductus* apud Dublinium Sedem duxerit Metropoliticam ſtatuendam ejuſdem Eccleſiæ Pontifici Pallium authoritate Apoſtolicâ conferendo, infert Eccleſiam Dublinienſem *conſtitutam Metropoliticam totius Regni, cum indefinitè* (inquit) *prolata vox illa Metropolitica ad nullam particularem Provinciam referatur.* Stupenda certè deductio, et vix ferenda detorſio a genuino Senſu. dic Sodes numquid Sedem Tuamenſem (ejuſdem Eccleſiæ Pontifici Pallium authoritate Apoſtolicâ pariter conferendo) *Metropoliticam* conſtituit Legatus Paparonius, et quidem *providâ conſideratione inductus*, cum nihil improvidè ſed Summâ circumſpectione, maturitate, et deliberationis gravitate cenſeatur actum a Sede Apoſtolicâ, ejuſve miniſtris:

istris: *can Apostolicæ* 37. *quæst* 9. *cap. ad audientiamac ibi glos. et DD. de Rescript.* Ergo Ecclesiam Tuamensem Metropoliticam totius Regni constituit, cum indefinitè *prolata illa vox* &c. ratione non nugis, aut captiosis gerris procedendum esset in re Seriâ.

88. En aliud Sublime argumentum, quo fol. 30. contra torrentem Testium probare enititur Cardinalem Paparonium " non Kenusæ, " vulgò Kells quatuor Pallia tradidisse quatuor Archiepiscopis, sed " Dublinij primum simul cum Primatu Pallium traditum Dublini- " ensibus, quod dicit patere ex indulgentiis perpetuis a Cardinale " Legato concessis in Dominicâ quartâ Quadragessimæ, vulgò Domi- " nica Lætare, et per totam Octavam, *eo Scilicet nomine quod illâ* " *die tantam Dignitatem accepissent Præsules Dublinienses.* " Quippe tantæ molis erat Dublinienses Pallio insigniri, ut debuerit dies ille magnus præcipuo honore Solemnizari! quidni et annuis festivitatibus annumerari instar Cathedræ S. Petri Romæ, aut Antiochiæ? habeant Dublinienses indulgentias, et lucrentur, proficiant ipsis, non invidemus. an inde oportuit præsentem interfuisse Dublinij Cardinalem Legatum? quasi verò absentes non possent elargiri Indulgentias.

89. Ut autem pateat quis fuerit status Ecclesiæ Dublinensis tam ante, quam post adventum Cardinalis Paparonij; audiatur testimonium Felicis o Ruadani Tuamensis Archiepiscopi, (qui tunc vixit) et Suffraganeorum Suorum, quod ex Ecclesiæ Dublinensis Archivis transcriptum à se profert Wareus de præsul fol. 107. Dom Ioannes " Papiron Legatus Romanæ Ecclesiæ veniens in Hiberniam *invenit* " *Dublinij Episcopum habitantem, qui tantum intramuros Episcopale* " *officium exercebat* invenit in eadem Diæcesi aliam Ecclesiam in " montanis, quæ similiter dicebatur Civitas, et habebat quemdam " Coepiscopum. Constituit autem idem Legatus illam optimam " Civitatem Dublinensem *Metropolim illius Provinciæ*, tradens Palli- " um Episcopo illi, qui tunc regebat illam Ecclesiam Dublinensem, " et constituit, ut divideretur illa Diæcesis, in quâ ambæ erant civi- " tates, ut pars una cederet Metropoli, et pars altera remaneret illi, " qui erat in montibus, ut firmiter credimus, eâ intentione, ut pars " illa rediret Metropoli obeunte illo qui tunc præerat illi Ecclesiæ, " quod statim fecisset, nisi detulisset insolentia Hibernensium, qui " tunc habebant potestatem in Terrâ illâ, quam intentionem dicti " Legati cum Dom Henricus Rex Angliæ a pluribus didicisset, con- " cessit illam Metropoli inhærens intentioni, et voluntati Domini

" Legati:

" Legati: Similitèr Dom. Joannes Rex Angliæ qui nunc eſt, partem
" eandem Joanni Anteceſſori iſtius qui præſens eſt, conceſſit habendam
" auditis magnis viris, et in Terrâ vetuſtis Super facto, et intentione
" prædicti Domini Legati &c.

90. Ad tam conuincens, imo irrefragabile ex Archivis ſuis deſumptum Teſtimonium tunc viuentium (dum prodiret Bulla Innocentij 3. pro unione Glandelacenſi) et oculis inſpicientium Eccleſiam Dublinienſem non conſtitutam Metropolim Totius Regni, Sed unius duntaxat Provinciæ, haud ſecus ac Caſſeliam, et Tuamiam excandeſcens " fol. 33. P. D. queritur *perperam* ita detorqueri ad Provinciam " Lageniæ a Dublinienſium adverſariis Tuamenſibus," at quomodo adverſarij ? unde illud hauſit ? qui plurima paſſim hujuſmodi obtrudit ſine Teſte, ſine adminiculo, quandonam contigit diſſidium de juriſdictione, aut limitibus inter Dublinienſes, et Tuamenſes non contiguos, nec vicinos ?

Id certè filet Wareus, ſilent omnes alij Hiſtorici, nec alibì ſubſiſtit extra imaginationem afferentis. patet e contrario ex facto Alexandri Quarti adjudicantis Cauſam Armacanis, interceſſiſſe Litigium inter Præſules Armacanos, et Tuamenſes (vid num. 20.) ac iterum ob Diæceſim Kenanenſem, nunc Clunmacnoſe, quæ poſt longam ea de re contentionem Romæ agitatam inter dictos Præſules, Provinciæ Armacanæ adjudicata fuit, Wareus de antiquit cap. 16, et de præſul, fol. 96.

91. Quanto autem Studio ferebatur in Dublinienſes præfatus Felix ó Ruadanus perſpicuum eſt ex eo, quod abdicato Archiepiſcopatu Tuamenſi (cui non multò poſt traditum Dublinienſibus Pallium præfuit ſub Innocentio 3.) reliquum ætatis in Cœnobio B. Mariæ Virginis Dublinij tranſegerit, ibiquè Sepulturam elegerit poſtquam plumbo —— cooperiri fecit Eccleſiam cum Campanili ita ex Annalibus dicti Cœnobij refert Wareus de præſul, fol. 245. en Adverſarius, qui quidquam comminiſcatur in præjudicium Dublinienſium.

Et etiam dato quod vere adverſaretur, attamen non adeo perfractæ impudentiæ, aut projectæ omninò Stultitiæ fuiſſet tam piæ converſationis Venerabilis Præſul cum ſuis Suffraganeis Epiſcopis, ut ad perpetuam ſuam infamiam in facto recenti omnium ore, et memoriâ celebratiſſimo, contrariam, ac publicam teſtificationem, etiam in ipſis Archivis Dublinienſibus conſervandam Scriptis mandaret apud homines, qui Seriem rei geſtæ a Cardinale Paparonio, et Innocentio

centio 3. præsentes vidissent, vel nullo labore detexissent inspiciendo Originalia Monumenta.

92. Hæreret ad hæc tantisper, et Sisteret impetum quisquis assuetus manifestæ cedere veritati: Sed qui nunquam adeo demissus in angustiis, quin effugio exceptionis, et criminationis erumpere attentet Petrus Dubs. censurâ perstringendo omnes qualiscunque gradûs aut dignitatis, qui statum Ecclesiæ Dublinienſis in principio, et in decursu fideliter exponunt, aut illi præferunt Primatialem Armacanam ne solos se rejectos a testimonio ferendo, et indignos quibus credatur, doleant Tuamenses, acrioribus aculeis pungit alios.

Ideoque *Mendax Jocelinus*, *Mendax*, imo *mendaciis Scatens Regiſtrum Armacanum*, Rmi. Episcopi Ossorienſis *Davidis Rothei ad Totius Hiberniæ Primatum anhelantis âmbitus evertit illius authoritatem.* Richardus Arsdekin Societatis Jesu celebris theologus, et Professor SS. Theologiæ in Universitate Lovanienſi *bonus Pater, incautus Scriptor*, qui *Pallio S. Patricij ex Lanâ caprinâ contexto Stephani protomartyris assuit Reliquias' et obtrusit*: Quatuor Magistri, et alii vernaculi Scriptores *homines illiterati, et studio partium adeo ducti, imo et Stipendiis conducti, ut nihil veri ex eorum Scriptis concludi possit. nulla fides habenda est Doctori Ketino, cujus insigne plane, sed insanum est opus.* Colganus *incertorum corrasor, et Adversarius.*

93. Petrus Lombardus profundissimæ eruditionis, et Scientiæ Doctor, ac Professor S. Theologiæ in Universitate Lovanienſi, in magnâ æstimatione habitus a Clemente 8, et in Congregatione de auxiliis inter primos, assessores delegatus, illiusque deinde Congregationis Præses a Paulo quinto institutus: Usserus, Cambrenſis, aliique quotquot Suffragantur Primatui Armacano *ex verbis Divi Bernardi perperam intellectis, et ex Vulgi ignorantia hauserunt errorem*, S. *Bernardus nomen totius Hiberniæ Metropolitani, aut Primatis Divo Celso concedit, ut vulgari loquendi modo se accommodaret Sciens illud Philosophi, loquendum cum multis Sentiendum cum paucis.* doctissimus, et pius Præsul Richardus Armacanus *temerarius*: Waeus etsi Dublini natus et commoratus *Armacanis plus æquo addictus.*

Prorex Straffordus in Armacanos propensus contra Dublinienſes pertinax, Regij Consiliarij in Sanctiori Concilio meticulosi, illitterati, adulatores, et linguæ Latinæ inscitiâ laborantes, et (ne parceret ipsi Sanctuario) Rmus. Dionysius Mazarius SS. Congregationis de propagandâ fide Secretarius, *Provinciæ Dublinienſis, hostis infensissimus*

decepit

decepit Summum Pontificem falsò Suggerens in gratiam Armacanorum. hisque infamibus notis proscindit Sacros, et profanos, Episcopos, Laureatos Theologos, Venerabiles Religiosos, et Summos Regni Proceres, et quotquot offendit fictitio suo Primatui, aut prætensæ exemptioni oppositos. hinc percipiet Lector quantum præcipitis animi impetus etiam in viris primariis Æmulationis Stimulo commotis, acumen Sagacitatis obnubat, ac communis Urbanitatis, et mansuetudinis quandoquè eliminet decorem.

94. Non dissimili conviciandi more neoterici traditionem Ecclesiasticam de Sacrificio missæ, de Purgatorio, de Veneratione Sanctorum, de Sacramentis, aliisque articulis fidei, et sacris ritibus, imperiti vulgi errori, et ignorantiæ ascribunt, nec tantum Sanctos Patres suis innovationibus refragantes veluti eodem errore imbutos despiciunt, sed etiam integros Libros e canone sacræ Scripturæ expungunt. nam. (ut ait S. Augustinus epist 166.) *quomodo potest malus Litigator laudare judices, quibus judicantibus victus est?*

Memini cujusdam, qui cum confutandos præsumeret Libros Bellarmini, et arduam, ac vires suas longè excedentem experiretur Provinciam, desperans de Successu, in hæc prorupit Scurrilia verba: *per totum mentiris Bellarmine.* dignum exemplar quod pondere rationum, Venerabilis antiquitatis Testimoniis, ac indubitatis monumentis et irrefragabilium nube testium oppressus imitetur catholicus Præsul Petrus Talbotus, cujus pervolventi Libellum occurrit, quod de alio similibus conviciis referto Libello (qui inscriptus fuit *Lominus*) sensit, ac cecinit gravis Author.

Lominum legi turgentem Scommate totum
Scommata si tollas, continet ille nihil.

Judicet Lector, an idem, et tam æquo jure non quadret casui præsenti:

T—m legi turgentem Scommate totum,
Scommata si tollas &c.

95. Sed ut de his obiter notatis aliquantulum diffusius et singillatim differatur. quodnam potuit esse tam immane flagitium, aut notoria infamia Rmi. Episcopi Ossorienſis, Davidis Rothei, Patris Richardi

Richardi Arſdekin, Equitis aurati Jacobi Warei, ut legitima exceptione teſtes repellerentur a Concivibus, ſeu Comprovincialibus ſuis Dublinienſibus in Cauſâ Armacanâ? fuit enim Wareus, ut antea diximus natus Dublinij, ibique Regius Auditor generalis, et (ſicut jure fatetur Talbotus) in Antiquitatibus Hiberniæ optimè verſatus. Rotheus, et Arſdekin Kilkenienſes Diæceſis Oſſorienſis in Lagenia, et Provinciâ Dublinienſi nullo vinculo adſtricti Armacanis, ſed omni majori præſumptione devincti Metropolitanis ſuis, niſi quantum ſinceros Hiſtoricos patentiſſima obſtringeret veritas. in promptu cauſa eſt, quia quicquid ex indubitatæ fidei Monumentis ſedulo labore deprompſerunt, Scriptis candidè conſignarunt pro præeminentiâ Primatiali Armacanâ per totum Regnum Hiberniæ; hoc piaculum, hæc infamia.

96. Ut ipſa Cenſoris verba proferantur *hæret* (inquit fol. 9.) *P. Richardus Arſdekin in ſuâ Paſtorali inſtructione hoc anno editâ* (ubi ſcilicet Primatum Armacanum confirmat, docetque Pallium conceſſum S. Patricio a Summo Pontifice omittens nomen concedentis) *ſed cum nomen Pontificis ignoraret, Stephani proto-Martyris nomen, ac Reliquias obtrudit*, quas ſimul cum Pallio ſummus Pontifex donavit S. Patricio, *unum ſuâ incautâ Scriptione bonus Pater eſt aſſecutus, nimirum ut ipſe poſtremus eſſet, qui Pallio Joceliano ex Lanâ Caprinâ contexto proto-Martyris Reliquias aſſueret, ultimumque adderet complementum.*

Quis hæc legens tantâ confidentiâ a tanto viro, et quidem inſultante aſſerta, non verè arbitretur Patrem Arſdekin novo commento cerebri ſui finxiſſe a Summo Pontifice Reliquias S. Stephani traditas S. Patricio? Sed deſuper conſuleret (de quo num. 1.) authorem Sexti ſæculi S. Evinum part. 3. cap. 82. hæc referentem: " Placuit altiſſimo ut hujus Inſulæ (ex quâ plurium Gentium prodituri erant " Apoſtoli, et innumeri Verbi Dei præcones pro fide propugnandâ " Sanguinem fuſuri) *Metropolis Armacha velut altera Roma* Sacris " Apoſtolorum conſecraretur cineribus." Et recenſens quas Româ Secum detulerat Reliquias S. Patricius, ait: " Inter eas etiam erant " Sanctorum Petri, et Pauli Apoſtolorum, Sanctorumque *Stephani*, " et Laurentij Martyrum." Et Jocelinus relatus num. 3. Scribit, " Exenia plura, et pretioſa munera collata, S. Patricio a Summo " Pontifice, inter quæ erant Reliquiæ Apoſtolorum Petri, et Pauli ac

" *Stephani proto Martyris*, et aliorum plurimorum Martyrum." idem diu ante prædocuit, S. Benignus, cap. 84.

97. Unde liquidò patet Petrum Dubm. vel nunquam legiſſe S. Benignum, S. Evinum, aut Jocelinum, quem tamen ignotum (niſi tantum de auditu) ſicut quoſcunque alios in commentitio Primatu ſecum non colludentes condemnat, vel parum ſincere eo collimaſſe, ut defamaturus Patrem Arſdekin imponeret Lectori. fuit vere bonus, et pius P. Richardus Arſdekin, qui vincens in bono malum, tam indignè ſuggillantis Rmi. Talboti vitam Scripſit, et Typis edidit, tot annis Theologiam Summâ cum laude docuit in Collegiis ſuæ Societatis Lovanij, et Antverpiæ, doctis, et proficuis ſuis voluminibus tum practicis, tum Speculativis, aſceticis, et polemicis de Miſſione Hibernicâ, imo de totâ Eccleſiâ Catholicâ optimè meruit.

98. Proſequitur Petrus Dubs. et ad ea quæ, num. 15. ex Rmo. Rotheo retulimus reſpondet, fol. 62. *quod ambitus Davidis Oſſorienſis evertat illius authoritatem, quando hæc ſcripſit Rotheus ad totius Hiberniæ Primatum anhelabat* (en Armachiæ Primatus totius Hiberniæ ipſo etiam vel invito fatente Rmo. Talboto) *et quia Senior, vel Armachiæ vicinior Epiſcopus tunc fuit, ſe Viceprimatem vocabat, adeoque novum titulum anicularum fabulis ex mendoſo, ac mendaci Regiſtro collectis, ſtabilire contendens id Solum aſſecutus eſt, ut crambe recoctâ Lectoribus faſtidium pariat, ſibi vituperium; maximè cum poſtea ipſemet adeo impugnaverit Primatum Armacanum, ut Hugoni Reilleo Archiepiſcopo Armacano nec Juriſdictionem, nec præcedentiam concedere voluerit in ſua Diœceſi Oſſerienſi.* unde collegerit mendax, aut mendoſum Regiſtrum Armacanum non oſtendit, nec probat, niſi quia ipſe gratis dixit (ſicut pleraque alia nullâ veri apparentiâ excogitavit) quemadmodum et Rotheum fuiſſe Seniorem, *vel* viciniorem Epiſcopum Armachiæ, quæ disjunctiva oſtendit, de neutro fuiſſe ſecurum, niſi quantum incidit imaginationi.

99. An autem Rotheus ſenior fuit (quod nihil refert, nec relevat) non moror: at viciniorem non fuiſſe convincitur ex eo quod decem Diœceſes Armacano Primati Suffraganeæ nunquam a Memoriâ hominum ſimul vacaverint, quin continuâ ſerie ſupereſſent, nunc unus, nunc alius, imo paſſim plures, adeoque longè viciniores, quam in remotiſſimâ parte Lageniæ Epiſcopus Oſſorienſis, quam autem incompetens, et a veritate ſimul, et charitate Chriſtiana aliena ſit execrabilis pictura, qua tam tetris, et odioſis coloribus ignominioſè delineatur

atur Illmus: Rotheus (quem ob Singularem eruditionem, et pietatem ingentibus laudibus exornant, et commendant ipſi Proteſtantes, præſertim Uſſerus, et Wareus ambo Dublinienſes) demonſtrant quæ Supra adduximus num. 27. ubi viſum eſt juriſdictionem, et præcedentiam in Synodo nationali Kilkenniæ Diæceſis Oſſorienſis non tantum ab Epiſcopo Diæceſano Rotheo, ſed etiam a Metropolitano Dublinienſi, et omnibus aliis Archiepiſcopis, et Epiſcopis totius Regni nemine contradicente conceſſam fuiſſe præfato Hugoni Reilleo; et P. Henricus Fitzſymons Lagenienſis (et quantum memini) etiam Dublinienſis, ſocietatis Jeſu in præfatione ſui Libri de Sacrificio Miſſæ perhibet, non niſi ægrè importunis precibus, et potentibus ſuaſionibus præ humilitate renitentem Rotheum induci potuiſſe, ut conſentiret promotioni ſuæ ad Epiſcopatum Oſſorienſem.

100. Ac Thomas Meſſingamus pariter Lagenienſis Protonotarius Apoſtolicus, et Præſes collegij Hibernorum Pariſiis, florileg. Sanctor. Hibern pag. 87. ait: *Rmus. Dominus David Rotheus oſſorienſis Epiſcopus vir in omni Scientiarum genere verſatiſſimus, Rhetor facundus, Philoſophus ſubtilis, Theologus profundus, Hiſtoricus percelebris, acerrimus vitiorum reprehenſor, Eccleſiaſticæ libertatis defenſor, Patriorum Privilegiorum propugnator, Hibernicarum calamitatum Zelator devotiſſimus, Pacis denique, et Unitatis inter Eccleſiaſticos Propagator diligentiſſimus, qui idcirco congregationem vulgò dictam Pacificam in Hibernia inchoavit, quæ cum magno Eccleſiaſticorum fructu magis, magiſque indies per totum illud Regnum dilatatur, qui varia ſui ingenij monumenta Poſteris reliquit, quorum Catalogum non ſine cauſa hic inſerere ſuperſedemus, et majora ab eo brevi Speramus &c.* hic ille eſt Rotheus qui ambitionis tumore ſupra ſe elatus, ac omnis modeſtiæ, et moderationis oblitus *ad totius Hiberniæ Primatum anhelaret* (cum tamen Librum ſuum compilante Rotheo an 1615. viveret adhuc Archiepiſcopus Armacanus et Primas Petrus Lombardus, qui anno 1625 Romæ obiit) *Scriptiſque ſuis tædium Lectori pareret, ſibi Vituperium*, incuſante Petro Dnblinienſi.

101. Qui fol. 63. Rmo. Rotheo opponit Thomam Rivium, non niſi mendaciis, et conviciis famoſum, ac ut fuit novitatibus Anglicanis addictiſſimus aſſecla, ita virulento calamo, et rabido dente non tantum in Eccleſiam Armacanam, ſed in clerum Hiberniæ, in Sedem Apoſtolicam, et Summos Pontifices Scurriliter debacchatur eo potiſſimum nomine offenſus Rotheo, quod is Apoſtolicam Romanam fidem,

Sanctæ Sedis prærogativas, et Supremam jurisdictionem Papalem contra Novatores propugnaret docens quam iniquè Legibus municipalibus, et Parlamentaribus Edictis opprimerentur catholici hujus Regni: ideoque Librum suum, seu potius maleficentissam Satyram in Analecten (Scilicet Rotheum) inscripsit Rivius *Defensio Regiminis Anglicani.*

Ibique inter alia apertissima commenta asserere non erubuit lib. 3. pag. 38, et pag. 44. Armacanum Primatem Protestantem jussum post Archiepiscopum Dublinienſem in Parlamento, et Synodo locum tenere ex Decreto emisso sub Rege Jacobo primo; cum id manifestissimè refellatur Decreto mox referendo Sanctioris Concilij num. 106: et toti Regno sit notissimum Primatem Protestantem Dublinij tenere etiam Curiam, et inibi jus dicere inter Partes litigantes, et experientes undique ex Quatuor Regni Provinciis, ac insuper primum consessum obtinere, tum in Parlamento, tum in ipsâ Metropolitanâ Ecclesiâ Dublinienſi, et alibi ante Dublinienſem Archiepiscopum, et Veredicus Wareus (satyrico Rivio, ejusque Pedissequis quoad Historiam Hibernicam millenis passibus præferendus) testatur ubi Supra num. 25. et 26. restitutam *Primatiam totius Hiberniæ* Georgio Dowdallo per Reginam Mariam, Semper hucusqué firmam retinuisse Præsules Armacanos sine ullâ revocatione, aut immutatione sub Reginâ Elizabethâ, vel Succedentibus Regibus.

102. Nec hic subsistunt malignantis Rivij impudentissimæ calumniæ, qui Splendido mendacio impetere non dubitavit clerum nostrum dicens lib. 3. pag. 53. quod ante Henrici Secundi Angliæ Regis adventum non viuebatur in Hiberniâ more Romano, sed Græco, scilicet quod Ecclesiastici Hibernici Græcos imitantes uxoribus commiscerentur. sed ut hæc Calumnia convellatur, et obstruatur impudens os virus suum ubique evomens, narrat Wareus de Scriptor Hibern lib. 2. cap. 2, et de Annal in Henrico 2 ad an 1186 quomodo in Synodo Provinciali indictâ Dublinij a Joanne Cummin Anglo, Archiepiscopo Dublinienſi Albinus Abbas de Baltinglass, postea Episcopus Fernensis prolixiorem texens Sermonem de continentiâ clericorum, totam in clerum, qui de Angliâ, et Walliâ venerant, culpam refuderit docens munditiam cleri Hiberniæ, et quanta fuerit, donec ex contagio Advenarum corruptelam contraxerunt.

103. Id contigit (ut fol. 133. de Præsul. tradit Wareus) an 1185, qui fuit decimus tertius ab accessu Regis Henrici, ut discat Lector qualem

qualem continentiam, ſeu potius corruptelam a novis Hoſpitibus aſſecutus ſit clerus Hiberniæ. Albino concinit in ſuo proſpectu Hiberniæ Petrus Waleſius (etſi orginem duxerit ex Anglis) agens de S. Laurentio o Tuathill Archiepiſcopo Dublinienſi, et qui Albino ſic Sermocinanti adfuit, ac ægrè tulit totam culpam refundi in Anglos Gyraldus Cambrenſis, quamvis Hibernis iniquiſſimus Hoſtis, tamen facti evidentiâ compulſus, dum Topograph diſt 3. cap. 27. loquitur de Clero Hiberniæ, ait: " eſt autem Terræ iſtius clerus ſatis Religione " commendabilis, et inter varias (quibus pollet) virtutes, *caſtitatis* " *prærogativâ præeminet, atque præcellit*, item pſalmis, et horis, " Lectioni, et orationi vigilanter inſerviunt et intra Eccleſiæ Septa " ſe continentes; a divinis, quibus deſtinati, officiis non recedunt; " abſtinentiæ quoque, et parcimoniæ ciborum non mediocriter indul- " gent, ita ut pars maxima quotidiè ferè donec cuncta Diei com- " pleverint horarum officia, uſquè ad crepuſculum jeiunent.

Ut autem fanatici furoris (quo in omnes Catholici nominis ordines, et gradus indiſcriminatim Sæviret Rivius) Specimen exhibeamus: omnia enim recenſendo, integrum opus exſcribere oporteret, cum nulla reperiatur pagina atrociſſimis dicteriis, et malignis Scommatibns non referta. Imprimis " ad unum omnes (ait) Romanæ Religionis " Sacerdotes, et Magiſtri Scribæ ſunt, et Phariſei Papalem Tyran- " nidem legitimo Principis proferunt imperio . . . . ex Seminariis " ultramarinis tanquam ex gladiatorum ludis quotannis Romanæ " Superſtitionis Alumni, Siccarij, et Homicidæ, Regi, Regno, com- " muni Patriæ peſtem, perniciem, mortem minitantes prodeunt. . . . " A. B. Romæ aliquot annos enutritus in Angliam, et Hiberniam " venit, ſecumque mores Romanos Libidinem, Avaritiam, Superbiam, " et malitiam pluſquam diabolicam advexit . . . . Romani flagitia " Cleri ſui, et Scelera ſive adulteria ſint, ſive homicidia, quantum " poſſunt, tecta, et Legibus impunita eſſe volunt.

" Pontificia Religio orthodoxa non eſt: qui enim recta dici poteſt, " quam ad Lesbiam humanarum Traditionum Regulam, non ad " Divini verbi normam dirigi nemo ambigat . . . . Religio Romana " factio eſt, non Religio, nec Chriſti Regnum, ſed Papæ Tyrannidem " aſtruere conatur . . . . ea eſt quæ Salvo Regis jure, ſalvâ Digni- " tate, Salvâ vitâ, Regni Legibus Salvis, Salva denique prudentia " tolerari nequit - - - - unde mirum non eſt ſi cum cæteræ Religi- " ones in diverſis Regnis, et Imperiis tolerentur, ſoli Romanæ Liber-

" tas.

" tas illa non concedatur - - - - cui Turca in Dominiis ſuis Liber.
" tatem tribuit, quia Turca eſt, Rex autem Angliæ non tribuit, quia
" Chriſtianus eſt.

"Pontifex Romanus homo non ſolum externus, ſed etiam inimicus,
" et Hoſtis, et perpetuus inſidiarum, Parricidiorum, et Rebellionum
" Author - - - - a Papali Tyrannide oppreſſum fuit Evangelium
" - - - - Monarchiam Eccleſiaſticam, vel potius Tyrannidem detor-
" tis Sacrarum Scripturarum verbis Pontifices Romani ſibi vindica-
" runt - - - - Adrianus Papa ait Hiberniam ad jus B. Petri, et Ro-
" manæ Eccleſiæ pertinere, quid vero hoc eſt aliud quam quod de ſe
" prædicabat Diabolus, omnia mundi Regna mihi tradita ſunt, et
" cui volo, dono illa? quid ergo? an quia hæc ſibi Dæmon arrogabat,
" ideo eum Regnorum, et Imperiorum omnium Dominum, et largi-
" torem agnoſcemus?

" Nos (ſcilicet Proteſtantes) Chriſti Milites adverſum Antichriſ-
" tum, et purpuream illam Romanæ Superſtitionis Meretricem pro
" Chriſti nomine, ejuſque Evangelij Libertate, ut jus, et fas eſt, pi-
" um, et purum Bellum gerimus - - - - nunc Roma quæ fuit, Ba-
" bilon facta eſt, et Roma quid ſit, plane neſcit, qui eam Superſtiti-
" onum omnium Sentinam eſſe non intelligit - - - - Eccleſia Papa-
" lis Sordium ciſterna eſt - - - - - Babilonia, et Jezabel Romana
" mendicatis Eccleſiæ coloribus fulgens - - - - per foramina, et fe-
" neſtras proſpiciens præcipitetur deorſum, ut omnes videant fædita-
" tem ejus.

Negat perfricte S. Patricium Apoſtolum hujus Regni a Cæleſtino, vel alio Romano Pontifice miſſum, ſed a Cælo ad Epiſcopatûs munus vocatum ex quodam fragmento didiciſſe ſe comminiſcitur - - - - B. Laurentius Archiepiſcopus Dublinienſis " ad nova incendia feſti-
" nans, Seditioſus homo, et rerum novarum cupidus - - - - eâ fuit
" præditus Sanctitate, quæ tum in uſu erat, ſcilicet ſub ambitio-
" ſiſſimo Pontifice Eccleſiæ opes adaugere, et Romani Pontificis dig-
" nitatem tueri Summa Sanctitas habebatur. Thomas Cantuarienſis
" non Chriſto Teſtimonium morte ſuâ perhibuit, ſed Romani Pon-
" tificis anthoritatem, et Tyrannidem ad injuriam Regis, et Regni
" perniciem ſtrenue promovit, &c." Hæc Rivius propriis verbis (quamvis non eodem plane ordine) videndis apud ipſum, Lib. 1. pag. 8. p. 14. p. 22. p. 49. p. 50, et 51. Lib. 2. pag. 37, 38, 39. p. 51, 52, 53, et 57. Lib. 3. pag. 17, 18. p. 32, 33. p. 60. p. 81. et 82.

Nec

Nec in nequiſſima ſua Maledictorum ſtrue, et fædiſſima convicio. rum cloaca inverecundus Rabula parcit Patribus Societatis, lib. 1. pag. 43, et lib. 2. pag. 63. profligatiſſime effutiens " Jeſuitas ipſo " genere incendiarios, Regis hoſtes, Regni peſtes, pacis publicæ, et " communis tranquillitatis perturbatores, Regnorum omnium furias, " et faces." Ex hoc ſaltem nomine juſta indignatione commotus, qui tot annis inſtitutum Societatis magno ſuo commodo coluit, et profeſſus fuit Petrus Dublinienſis belluinam illam rabiem ipſis etiam Neotericis, imo et moderatis Mahometanis deteſtandam, ſi pro viribus refrænare non ſatageret, execraretur ſaltem, et nullum cum inſaniente fœdus iniret, nullumve ex flagitioſo tot calumniarum tripode emendicaret patrocinium.

104. At non ita, hoc enim habet boni Rivius, ut pari impudentia inſectetur Eccleſiam Armacanam, illiuſque prærogativas deprimere enitatur aſſentando Dublinienſibus; ideoque diſſimulatis reliquis ejus criminationibus, figmentis, et mendaciis, tanti æſtimatur, ut illum ſibi Patronum adoptet, et magiſtrum aſciſcat, ipſiuſque fabulas exſcribat ſuoque inſerat libello præſertim fol. 23, et 63. imo Rmo. Rotheo, totque celeberrimi nominis, Sanctitatis, Eruditionis et pietatis Authoribus omni exceptione majoribus opponat, et præferat Præſul Catholicus, qui in præfatione ſui Libelli jactabat *pari ſaltem numero eſſe, authoritate vero longè majori, qui ſedi Dublinienſi ſuffragentur quam Armacanæ.* Magnifica quidem verba, quæ reducantur ad unicum, illumque Satyricum Rivium. Parturiunt montes, &c. Sed ſolidioribus deſtitutos ſuffulcris oportet etiam fragili incumbere Arundini, et calamo caſſato, ne illicò labantur. ac ut obſervat S. Bernardus, Serm. 1. de Adventu : *Similes ſunt his, qui ſubmerſi periclitantur in aquis, nimirum videas eos tenentes tenere, nec ullâ ratione deſerere quod primum occurrerit manibus quicquid illud ſit, licet tale ſit aliquid quod omnino prodeſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum, cæteraque Similia.*

105. Sed ut accuſationum Petri Dublinienſis filum proſequamur: acerbe conqueritur, et excandeſcit, fol. 22. quod Uſſerus Armacanus decreto Sanctioris Concilij præcedere in Parlamento Lancellottum Buckleum Dublinienſem Antiſtitem juſſus ſit, idque contigiſſe ait, " quia imperioſi Proregis Straffordi tanta fuit in Uſſerum propenſio, " ac contra Buckleanas Partes pertinacia, tanta in conſiliariis meti- " culoſis, ac illitteratais Proregi ſubmiſſio, tanta adulatio, ac Linguæ

" Latinæ

" Latinæ inſcitia (unum ſi excipias Rapotenſem, huncvero minime
" competentem judicem fateberis, utpote Armacani Suffraganeum)
" ut contra publica Cancellariæ monumenta, et clariſſimam D. Ber-
" nardi mentem contra Sententiam latam tempore Regis Jacobi
" imo contra praxim ejuſdem temporis iniquum fuerit decretum pro
" Sede Armacanâ promulgatum.

Ita ille non erubeſcens aſſerere clariſſimam S. Bernardi mentem, et praxim ejuſdem temporis repugnare decreto, quod tamen clariſſimè falſum eſt, nec veritus ne poſtularetur de Scandalo magnatum, aut flammis addiceretur Libellus tot infamibus conviciis famoſus in ampliſſimum, et ſupremum Regium Senatum, de cujus præſtantiſſimo munere, vigilantiâ, et in adminiſtrando integritate dependet plerumque (ſi non Semper) incolumitas, et Salus Reipublicæ, et propterea in omni bene ordinato Regimine Seliguntur primarij Proceres, aliique maturioris judicij, conſummatæ prudentiæ, eruditione, Sapientiâ, et æquitate conſpicui. attamen meticuloſi illitterati, adulatores, Linguæ Latinæ rudes, et iniqui Decreti Promulgatores illicò evadunt, dum edicunt pro Armacano: æquiſſimi, et digniſſimi futuri ſi è contra quo jure, quâve injuriâ decernerent pro Dublinienſi, tunc non minus canonizandi calculo Petri Dublinienſis, quam Satyricus Rivius unicus deſperatæ cauſæ Patronus, dignum patellâ operculum, Similes habent labra lactucas.

106. Ut rei Series innoteſcat, Lancellottus Buckleus Dublinienſis Prædeceſſoris ſui Georgij Bruni Superbiæ, et ambitionis hæres, ac æmulator ægrè ferens ſe poſtponi, aut Subjici Armacano, Simulque confidens a Rege et Concilio Proteſtantico confirmandam donationem Regis Proteſtantis Edwardi Sexti, et penitus abolendam reſtitutionem factam per Catholicam Reginam Mariam calcaneum arroganter erexit, primò in Chriſtophorum Hamptonum Armacanum, poſtea in illius Succeſſorem Jacobum Uſſerum, tantumque obſtrepuit in aulâ, et alibi, ut querelis defatigatus Rex Carolus primus demandaverit Proregi, et Sanctiori Concilio decidendam Controverſiam, quare an. 1634. Prorex Vicecomes Wentworth poſtea factus Comes Straffordiæ, et Supremus Senatus terminando negotio manus apposuerunt.

Biduò diſceptatum fuit in pleno Concilio, utrâque Parte allegante ſuas rationes, nec ſibi defuit, aut quidquam omiſit Buckleus cauſidi corum turbâ ſtipatus. tandem perpenſis Bullis Pontificiis, antiquitatis monumentis,

monumentis, actis Conciliorum, tum Nationalium, tum Provincialium, Traditione, et possessione duodecim Sæculorum, Scriptis S. Bernardi, cæterorumque Authorum, et decisione Reginæ Mariæ nervosum promulgarunt Decretum, palmam adjudicans, et præeminentiam Sedi Armacanæ, quam declarant ultra hominum memoriam Semper extitisse *Primatialem totius Hiberniæ*, alios autem tres Archiepiscopos non nisi Primates Provinciarum duntaxàt quod decretum quia nomine, Authoritate Regiâ editum, ac confirmatum, ipsi Regi Carolo attribuit ad dictum annum 1634. filius, et Continuator Warei in compendiosâ chronologia de gestis Hibernorum adjunctâ annalibns Elizabethæ fol. 178. en ipsum Decretum eodem quo prolatum est idiomate Anglicano.

Wentworth,

WHEREAS the King's most Excellent Majesty by his Letters of the 8th of *July*, in the Second Year of his Highness's Reign, directed to the *Lord Deputy* of this Kingdom, and to the Chancellour, and Keeper of the GREAT SEAL, to the chief Governour, or Governours of this Kingdom, which for the Time should be, and to all other his Highness's Officers, and Ministers here, to whom it shou'd, or might in any wise appertain, was Graciously pleas'd to take notice of a contention between the late Lord *Primate*, and the now Lord Archbishop of *Dublin* touching Precedency, and therein declar'd his Royall Pleasure, and accordingly requir'd the Lord *Deputy*, and Councill here, to take due Examination of the said difference viewing the Records, and hearing what wou'd be produc'd, and alledg'd on either side, and thereupon, to sett down order for the Speedy, and final Ending of the same, that so the Scandal arising upon such unseemly Contention, betwixt Prelats might be avoided, whereof nothing had been hitherto done in Execution of his Majestie's commandment.

AND whereas his Majesty having in his High Wisdom, found reason to call a Parliament in this Kingdom, which is to be assembled the fourteenth day of *July* next, wherein as well the now *Lord Primate* the Lord Archbishop of *Armagh*, as also the Lord Archbishop of *Dublin*, must necessarily have many occasions to meet as well in the

Parliament Houſe, as in the Convocation Houſe, and otherwiſe, and for as much as we hold it fitt, that before the publick Meetings, there ſhou'd be an End put to that Controverſy to avoid the Scandal, which may otherwiſe ariſe thereupon.

W E therefore by virtue of his Majeſty's ſaid Letter, called both the ſaid Archbiſhops, before us at this Board, where we have two ſeveral Days taken due Examination of the difference, and view'd the Records, and heard what wou'd be produc'd, and alledg'd on either ſide: Upon debate whereof, it appear'd as well by the Teſtimony of *Bernard*, in the life of *Malachias*, as by the old Roman Provincialls, and divers other Evidencies, that the See of *Armagh* hath from all Antiquity been acknowledg'd to be the prime See of the whole Kingdom, and the Archbiſhop thereof, reputed not a Provinciall Primate (as the other three Metropolitan are) but a National, that is to ſay, the Sole Primate of *Ireland*, properly ſo called, which Title hath hitherto in ſuch a peculiar manner been attributed unto him, that he is thereby ſtill vulgarly known, and diſtinguiſh'd from all the reſt of the Archbiſhops of the Land.

A N D whereas in latter times, *George Brown*, Archbiſhop of *Dublin* had by Siniſter Practice, procur'd Letters from King *Edward* the *Sixth*, for the Tranſferring of the Dignity of the Primacy of all *Ireland*, from the See of *Armagh*, to the See of *Dublin*, it appear'd out of the Rolls of the *Chancery* that (complaint being thereof made by *George Dowdall*, Archbiſhop of *Armagh*, he did Surrender the ſame, and upon the Cancelling thereof, new Letters, Patents iſſued under the G R E A T S E A L, bearing date the 12. day of *March*, in the firſt Year of Queen *Mary*, wherein firſt it is declar'd, that the Archbiſhops of *Armagh*, ſince beyond the Memory of Man had enjoy'd the Dignity, and Stile of the *Primates of all Ireland*: Secondly, both the Offices, and Title of the Primacy of all *Ireland* is Reſtored, and Confirm'd to them for ever: Thirdly all other Archbiſhops, and Biſhops are commanded to Anſwer, and *Obey* them in the Exerciſe of ſaid Office of Primacy.

It was further alſo made manifeſt that in the Succeding Days of Queen *Elizabeth*, the Archbiſhop of *Dublin*, (ſo long as he was not Keeper of the G R E A T S E A L, or Chancellour) both at the Councill Board, and in the Execution of the high Commiſſion, for Cauſes Eccleſiaſtical, (even for ſuch things, as did properly concern

cern the Dioceſs of *Dublin* it ſelf,) did conſtantly Subſcribe after the Archbiſhops of *Armagh*, and Laſtly as in the Body of the Statute for the Erections of free Schools, in Parliament held at *Dublin* the Twelfth Year of Queen *Elizabeth*, the Archbiſhop of *Armagh*, is nominated before the Archbiſhop of *Dublin*, ſo at the Parliament held at the ſame Place in the ſeven and twentieth Year of the ſaid Queen of Famous Memory, where all the Archbiſhops, and Biſhops are rank'd in their Order. *Armagh* was found ſet down in the firſt Place, and *Dublin* in the Second, as the Parliament Rule exhibited unto us, did moſt plainly Teſtify.

Upon all which, we conceive it to be very fit, and juſt, and accordingly do Order, Judge and Decree, That the ſaid Lord Archbiſhop of *Armagh*, and his Succeſſors for ever, ſhall from Time to Time, and at all times hereafter, take Place, and have Precedency, and be rank'd and inſerted before the Lord Archbiſhop of *Dublin*, and his Succeſſors, as well in the Parliament, as in the Convocation-houſe, and in all others Meetings, and in all Commiſſions, and other Things whatſoever upon all Occaſions, wherein they ſhall be mentioned, either together, by themſelves, or with others, and in all Places, as well within the Dioceſe, or Province of *Dublin*, as otherwiſe, until upon better Matter to be ſhew'd on the Part of the Lord Archbiſhop of *Dublin*, than hath hitherto been ſhew'd by him, it ſhall be adjudg'd otherwiſe by his Majeſty, or by this Board: Whereof we require as well the ſaid Lord Archbiſhop of *Dublin*, as his Succeſſors, and all others whom it may Concern, from Time to Time, to take Notice, and to yield Obedience thereunto accordingly.

Given at his Majeſty's Caſtle of *Dublin* the ſix and twentieth Day of *June*, 1634.

Et ſic vertitur in Latinum inhærendo ſenſui, et etiam verbis quantum patitur proprietas, et ſpecialis elocutio utriuſque Linguæ.

Wentworth.

" QUONIAM Excellentiſſimæ Regiæ Majeſtati ſuis Litteris " octavo Julij anno Secundo ſui Regiminis directis ad Pro- " regem hujus Regni, ad Cancellarium, Cuſtodem magni Sigilli, et " Supremos Gubernatores pro tempore exiſtentes, omneſque alios ſuæ " Celſitudinis Officiales, et Miniſtros, ad quos quoquo modo perti- " neret, aut ſpectare poſſet, gratioſe placuit animadvertere contenti- " onem inter nuperum *Primatem*, et modernum Archiepiſcopum Du- " blinienſem de præcedentiâ, et inibi declaravit Regium ſuum Bene- " placitum, ac proinde mandavit Proregi, et concilio debite exami- " nandam dictam contentionem inſpiciendo vetera Monumenta, et au- " diendo quæ utrinque allegarentur, ac deſuper ſtatuerent pro celeri, " et finali cauſæ terminatione ad evitandum Scandalum exurgens ex " tam indecenti litigio inter Prælatos : quâ de re nihil hactenus con- " fectum fuit pro Executione Regij Mandati.

" Et quandoquidem ſua Majeſtas pro eminenti ſuâ prudentiâ cen- " ſuit convocandum in hoc Regno Parlamentum die 14 inſtantis Ju- " lij, ubi tam modernus *Primas* Archiepiſcopus Armacanus, quam " Archiepiſcopus Dublinienſis neceſſario frequentes debebunt habere " occaſiones occurrendi tum in Parlamento, tum in Convocatione cle- " ri, et alibi, ac arbitramur decere, ut ante hujuſmodi Conventus " publicos, illi controverſiæ finis imponatur ad præcavenda Scandala, " quæ aliter orirentur.

" Quapropter vigore dictarum Litterarum Regis, ambos præfatos " Archiepiſcopos vocavimus coram nobis ad hoc Tribunal, ubi duobus " diverſis diebus exactè diſcuſſimus differentiam, pervolvimus publi- " cas Tabulas, et perpendimus producta, et allegata ab utrâque parte, " in quorum diſceptatione innotuit tam Teſtimonio S. Benardi in " vitâ S. Malachiæ, quam ex antiquis Romanis Provincialibus, et " variis aliis Evidentiis ſedem Armacanam ab omni antiquitate agni- " tam fuiſſe Primariam *Totius Regni*, et illius ſedis Archiepiſcopum " habitum non *Provincialem Primatem* (ſicut ſunt Tres alij Metro- " politani) ſed *Nationalem, id eſt ſolum Primatem Hiberniæ propriè* " *nuncupatum*, qui titulus hactenùs peculiari modo adeo ipſi attribu- " tus fuit, ut per illum vulgariter agnoſcatur, et diſtinguatur ab " omnibus aliis Archiepiſcopis Regni. " Et

" Et Siquidem posterioribus temporibus Georgius Brunus Archie-
" piscopus Dublinienſis Siniſtris artibus procuravit a Rege Edwardo
" Sexto Litteras pro transferendâ Dignitate Primatiali Totius Hi-
" berniæ a ſede Armacanâ ad Dublinienſem, patuit ex Rotulis Can-
" cellariæ (conquerente Georgio Dowdallo Archiepiſcopo Armaca-
" no) Brunum abdicaſſe illum Titulum, quo antiquato novæ prodie-
" runt Litteræ Patentes ſub Magno ſigillo datæ die 12 Martij primo
" anno Reginæ Mariæ, quibus declaratur primò quod Archiepiſco-
" pi Armacani ſupra hominum memoriam poſſederint *Dignitatem,*
" *et Stylum Primatum Totius Hiberniæ*: Secundò quod *officium, et*
" *Titulus Primatiæ Totius Hiberniæ illis reſtituatur, et confirmetur*
" *in perpetuum.* Tertiò omnes alij Archiepiſcopi, et Epiſcopi juben-
" tur illis *reſpondere, et obedire* in exercitio dicti officij Primatûs.

" Inſuper manifeſtum fuit, quod in Succedentibus diebus Reginæ
" Elizabethæ Archiepiſcopus Dublinienſis (quamdiu non erat Cu-
" ſtos magni Sigilli, aut Cancellarius) in curiâ Concilij ſimul, et in
" Executione ſublimium Commiſſionum pro Cauſis Eccleſiaſticis (e-
" tiam iiſdem illis rebus, quæ propriè ſpectabant ad ipſam Diæceſim
" Dublinienſem) conſtanter ſubſcripſerit poſt Archiepiſcopum Ar-
" macanum. Denique ſicut in corpore ſtatuti pro erectione Schola-
" rum in Parlamento habito Dublinij, anno 12 Elizabethæ Archie-
" piſcopus Armacanus nominatur ante Archiepiſcopum Dublinien-
" ſem, ita in Parlamento ibidem, anno 27 præfatæ Reginæ famoſæ
" memoriæ, ubi omnes Archiepiſcopi, et Epiſcopi referuntur ſuo
" ordine, Armacanus reperitur conſtitutus primo loco, et Dublinien-
" ſis Secundo quemadmodum Rotulæ Parlamentariæ nobis exhibitæ
" clariſſimè teſtificantur.

" Quibus omnibus penſatis exiſtimamus valdè decere, et juſtum
" eſſe, ac conformiter ordinamus, judicamus, et decernimus quod præ-
" fatus Archiepiſcopus Armacanus, illiuſque Succeſſores perpetuò de
" tempore in tempus, et omni tempore inpoſterum Locum capiant,
" et præcedentiam habeant, ſtatuantur, et inſerantur ante Archie-
" piſcopum Dublinienſem, et illius Succeſſores tam in Parlamento,
" quam in Domo Convocationis, et in omnibus aliis congreſſibus, et
" in omnibus Commiſſionibus, aliiſque Rebus quibuſcunque, et caſi-
" bus, quibus de illis fiet mentio, ſive ſimul inter ſe duntaxat, ſive
" cum aliis, et in omnibus Locis tam intra Diæceſim, et Provinci-
" am Dublinienſem, quam alibi, donec Soldiori fundamento produ-

" cendo

" cendo ex parte Archiepiſcopi Dublinienſis, quam haſtenùs oſtendit,
" aliter judicabitur per ſuam Majeſtatem, aut per hoc Tribunal
" QUARE mandamus dicto Archiepiſcopo Dublinienſi, et Succeſ-
" ſoribus, aliiſque omnibus quorum intereſt, aut intereſſe poterit, ut
" hæc obſervent, iiſque pariformiter præſtent obedientiam.

Actum in Regio Caſtro Dublinienſi die 26 Junij, An. 1634.

107. Hinc patet quam falſus, imo perverſus ſit Hiſtoricus Thomas Rivius obtrudendo prætenſam Sententiam ſub Jacobo primo, et commentitium Monumentum pro præeminentiâ Dublinienſi (de quibus hic nulla fit mentio) quamque nugatorius, et inanis Propheta, dum Lib. 3. pag. 43. aſſerere non erubeſcit, et audet prognoſticare cleri, et Sedis prærogativam in Diæceſi Dublinienſi Armacanis Semper fuiſſe negatam, et negandam in æternum. cæterum ex præcedenti decreto confirmante factum Reginæ Mariæ (convenientibus Catholicis, et Proteſtantibus in eandem Sententiam) invictiſſimum deſumitur argumentum pro Primatiali præeminentiâ Eccleſiæ Armacanæ, haud ſecus ac in Scholis dicitur, quod dum conſentiunt in unâ concluſione theologicâ S. Thomas et Scotus oporteat illam firmiſſimis probationibus inniti.

Contigit diſceptatio inter duos Proteſtantes Præſules coram Prorege, et Concilio Proteſtanti in Urbe Dublinienſi capite Regni, et Regiminis Anglicani a Sæculo duodecimo, ubi Sedes Regia, aula Proregis, et Curia Concilij in remotis a Civitate Armacanâ, etſi olim Splendore, et multitudine ædificiorum celeberrimâ, nunc multum imminutâ (deficiunt enim urbes, ſicut homines) utique Poetæ dictum Veritati conſonum eſt.

Non indignemur Mortalia corpora Solvi,
Cernimus Exemplis oppida poſſe mori.

Quam Civitatem Armacanam neutiquam præferrent Dublinio Habitaculo ſuo, niſi patentiſſima veritas, et juſtitiæ debitum aſtringeret, ſi verè ſub Rege Jacobo prodiiſſet Sententia favens Dublinienſibus contra Armacanos, cur non contentus poſſeſſione, et exceptione rei judicatæ ſe alioſque vexavit Buckleus? quis credat quod mandaſſet Carolus primus judicium Prædeceſſoris, et Patris ſui denuò ad trutinam

tinam revocandum? vel quod Prorex, aut Consiliarij ausi fuissent invertere regnante filio quicquid Rex Jacobus firmum judicasset?

108. Si se læsum pertinaciâ Proregis, adulatione, inscitiâ aut iniquitate Consiliariorum sensisset Buckleus, cur non postea sublato Prorege Straffordo movit pro revisione causæ ventilandæ de novo sub æquioribus judicibus? cur non idem moverunt illius Successores præsertim Michael Boyle singulari gratiâ, et authoritate præpollens apud Regem Carolum Secundum, tot annis Supremus hujus Regni Cancellarius, et bis Justiciarius, aut modernus Gulielmus King præcipuos honores affecutus in præsenti Regimine, et præcedentibus, Regius in Arcano Concilio Consiliarius, et toties justiciarius? sed quia perspicacis ingenij, animi moderatioris, et Eruditionis non vulgaris apprimè edocti de Prærogativis Armacanis, Decreto juri, et æquitati consentaneo acquieverunt, rectè intelligentes quæcunque pro prætensâ exemptione, aut imaginario Primatu Dublinienſi obtruduntur, omninò fictitia esse, aut etiam ad Sensum quantumvis alienum detorta nihil ad rem pertinere, ideoque Dublinij, et alibi præcedentiam, et jurisdictionem Primatibus concedunt, quos satius pari moderatione imitarentur Præsules Catholici, quam offendiculo pusillorum, et eruditorum indignatione contra stimulum calcitrare.

109. " Non parum (ait fol. 24. P. D.) juvit Usseri causam quod " Præsules Armacani paulo ante creati fuerint Vicarij Regis in " Spiritualibus: hâc prærogativâ Regij Primatûs Suffulti toti Clero " Protestanti in Hibernià nunc præsunt, sicut Clero Catholico Sedis " Apostolicæ Delegati. " Notorium est omnibus ullius Litteraturæ, aut Experientiæ Catholicis Vicarios, seu Legatos Apostolicos jure præeminere, et præesse toti Clero illarum Regionum ad quas mittuntur. Et quoniam opinione Protestantium Rex in sua ditione est caput Ecclesiæ ad se Suosque Vicarios, et Vicegerentes in Spiritualibus devolutam contendens eam omnem authoritatem, quæ Summis Pontificibus, eorumque Legatis, competebat, quæ potuit esse pertinacia Proregis, Adulatio, inscitia, aut iniquitas Consiliariorum decernentium Vicariis Regis in Spiritualibus illam in clerum Protestantem jurisdictionem, quam ubique Gentium Legatis Pontificiis deferrent Proreges, et Consiliarij orthodoxi? quomodò reconcilianda hæc incohærentia, imo repugnantia verborum, ut, juxta tradita, æquum simul, et iniquum decretum fateri oporteat?

110. Nil

110. Nil refert. agitur de fictitio Primatu Dublinienſi quocunque artificio, et ſtrophâ ſtabiliendo, et cum ſe Aſſertor imparem Sentiat, cauſæ ſuæ caducæ et ruinoſæ adverſantia peſſundat, nunc Perſonas quantumvis Sublimes, ſtudij partium, nunc ambitionis, corruptionis, adulationis, et ignorantiæ inſimulans. at hæc vana ſunt, et nugatoria impotentis animi diverticula Sine teſte, ſine Tabulis ſicut alia paſſim cervelotică licentiâ excogitata: cum in præfato Decreto Concilij ſtatus ne verbum reperiatur, aut mentio fiat in controverſiæ de Vicariatu Regio, ſed Præſuli Armacano, tanquam vero, et ſoli *totius Hiberniæ Primati* confirmata fuit authoritas, quâ deinde (ſicut antea ejus deceſſores) toti præeſt Clero Proteſtanti, ſi autem Armacani Antiſtites fortè creati ſint Vicarij Regis in Spiritualibus, quemadmodum ab antiquo fuerunt Vicarij Generales ad exercitium Regium (et Solet eſſe privilegium Primatiale) id aſſecuti ſunt, quia nullis aptiùs tale demandaretur munus, quam iis, qui pro Sedis ſuæ Super omnes alias in Regno prærogativâ, majori cum honore, Splendore, et utilitate eſſent geſturi: ita Sæpiſſimè Romani Pontifices ſuos Vicarios, ſeu Legatos Speciali Diplomate conſtituerunt variarum Regionum Primates, ut ordinariâ, et extraordinariâ, vel Legatinâ coaleſcente poteſtate, cum majori reverentia, et firmitate in clerum, et Eccleſias jure Primatiali antea Subjectas authoritatem exercerent.

111. Sicque evaneſcit prætenſa Sententia ſub Jacobo Rege, et antiquum (quod obtrudit Rivius) monumentum magno Hiberniæ Sigillo munitum, decernens Archiepiſcopi Dublinienſis locum in Parlamento ad Regis dextram, Armacani verò ad Siniſtram, quoties conventus ille haberetur Dublinij: cum ne quidem commemorentur, nec utpote mera figmenta) pro ſe adduxerit Buckleus in biduanâ illâ diſcuſſione, ubi allegationes utriuſque Partis, vetera, et recentia documenta, ac geſta ſub præcedentibus Regibus ad amuſſim perpenſa fuerunt. omittit tamen Petrus Dubs. quæ fabuloſæ illius narrationis author, et intimus Patronus adjungit Rivius. lib. 3. Regimin, Anglic. pag. 43. Scilicet ſi Conventus haberetur alibi, ut Armacanus ad dextram Regis Sedeat, Dublinienſis verò ad Siniſtram. ſed oportuit hic quoquè mutilare contextum, Senſum corrumpere, quia inviſa clauſula tam late attribuens Armacanis præcedentiam ubique extra Dublinium, commentitium per totam Hiberniam penitus diruit (etiamſi cætera deeſſent) Primatum Dublinienſem.

Ulteriùs

Ulterius procedit Rivius, et poſtquam omne evomuit virus in ſummos Pontifices, in Catholicos omnes, in clerum Hiberniæ, et Præſules Armacanos, quos criminatur uſurpaſſe Primatiam, tandem videtur tot calumniarum pœnitentiâ ductus palinodiam canere, et corrigere errorem dicens eod. lib. 3. pag. 42. quod etſi tempore Edwardi tertij Regis Archiepiſcopus Armacanus non verus, et legitimus, ſed uſurpator, et prætenſus Primas diceretur, poſtea tamen ex Innocentij ſexti Sententiâ, hujus Tituli jus obtinuit, et obtinet in præſenti. ubi quoquo modo reſipiſcens deſerens cauſam Clientis ſui Petri Dubs. erroneè contendentis nullo unquam tempore potitos fuiſſe Primatu Armacanos.

112. Philippicas ſuas prælo commiſit Rivius An. 1624. qui fuit 263, a deceſſu Innocentij 6. cui indignam, et æquitati Romani Pontificis repugnantem attribuit Sententiam Satyricus, et ſedis Apoſtolicæ infenſiſſimus hoſtis. quaſi vero ſupremus Legiſlator in remunerationem intruſionis, et Arrogantiæ voluiſſet tam eminentem titulum, et juriſdictionem Primatialem concedere Armacanis, quos ex officio, et pro plenitudine poteſtatis plectere potius deceret (ſi verè Uſurpatores eſſent) et depellere etiam antea poſſeſſis, uti in ſimili contigit aliena, et indebita uſurpanti Georgio Bruno Dublinienſi (vid. num. 26.) et Proculo Maſſilienſi Epiſcopo juſtâ animadverſione S. Zozimi Papæ, qui (ut liquet ex illius Epiſtolis ad Patroclum Arelatenſem, et Maſſilienſes) dictum Proculum quia Metropolitanam Dignitatem in Secundâ Narbonenſi Provinciâ arroganter uſurpaverat, apertè damnavit, ac ipſa etiam Maſſilienſi ſede, et Eccleſia exturbavit: Cabbaſut. notit. eccleſ. fol. 197.

At frendeat licet invidia, tabeſcat livore ambitio, hujuſmodi figmentis non indiguit ſedes Armacana a S. Patricio authoritate Romani Pontificis totius Inſulæ Princeps Metropolis, ſeu Primatialis conſtituta prope mille annos ante Innocentium Sextum, et confirmarunt tot alij Pontifices præſertim Innocentius 2. Eugenius 3. Urbanus 3. Alexander 4. Urbanus 4, et Joannes 22, alijque poſtea recenſendi.

113. Non omittendum tamen quod nonnulli referunt ex cujuſdam Doctoris Lynch Libro inſcripto Alithinologia, cujus non potui habere copiam, et dicitur aſſerere ſedem Primatialem Armacanam multum decidiſſe a primævâ juriſdictione, quam antiquitùs habuit in Archiepiſcopos, Epiſcopos, et clerum Hiberniæ ſubjungens hæc verba: " quare alij Hiberniæ Metropolitani nullam poteſtatem a Primate

" mutuati ſuas per ſe Provincias more cæterarum totius eccleſiæ, " Provinciarum adminiſtrant, nec aliud obſequium Primati præter " priorem in inceſſu, et conſeſſu locum, cauſarumquè cognitionem " per viam Appellationis deferunt.

Duas itaque agnoſcit tantum competentes Primatibus Prærogativas, *Præcedentiæ* ſcilicet, et *cognitionis cauſarum per viam Appellationis.* Mirum quod tertiam excludat Viſitationum, quæ apud Eccleſiaſticos congruo tempore jus admittendi Appellationes comitatur individua, et patebit inferius ipſam Doctoris Provinciam Tuamenſem (ſi verè ex opulentâ Lynchiorum Galvienſium familiâ ſit oriundus) ultimis etiam ſæculis Primatiali authoritate ab Armacanis fuiſſe luſtratam. quamvis contrariis machinis inſurgant Lynch, et Rivius, hic commiſcendo Armachiæ accreviſſe ſæculo decimo quarto honorem Primatûs, quo antea caruit uſque ad Innocentium Sextum: ille verò in oppoſitum docendo multum imminutam a primitivâ authoritate: conveniunt tamen in ſequentibus, quæ veroſimiliter Lynch mutuatur a Rivio, dum reſtringit prærogativam præcedentiæ, quam Dublinij denegat Primati ex Libro (ut ait) Parlamentario ita ſtatuente.

114. " In Hiberniâ Rex ſedebit in medio principalis Scamni, et " ad ejus dextram Archiepiſcopus loci Armacanus, vel Dublinienſis: " et ſi extra eorum limites ſit, tunc a dextris Regis Armacanus, et " Caſſelienſis; a ſiniſtris vero Dublinienſis, et Tuamenſis." Itaque conveniente Parlamento Armachiæ Primas ſedebit ad dextram Regis, et Archiepiſcopus Dublinienſis ad ſiniſtram, ſi Dublinij conveniat, dextram tenebit Dublinienſis, lævam Armacanus: ſi alibi, Archiepiſcopi Armacanus, et Caſſelienſis aſſidebunt a dextris; a ſiniſtris autem Archiepiſcopi Dublinienſis, et Tuamenſis juxta hunc Doctorem.

Qui omnibus penſatis longe potiores facit præ reliquis partes Armacani, cui attribuit jus præcedentiæ ante omnes alios Archiepiſcopos Regni ubique extra Dublinium. Attamen multum incohærenter (meo judicio) procedit denegando Dublinij præcedentiam Primati, cui nihilominùs aſſerit competere jus cognitionis cauſarum per viam Appellationis a Dublinienſi, ſicut a duobus aliis Archiepiſcopis, quorum conſequenter neceſſe eſt ut ſit judex, et ſuperior: Appellatio enim (ut antea vidimus) eſt Receſſus, ſeu Provocatio a Minori judice ad majorem: *can. Anteriorum, 2. quæſt. 6. gloſſ. unic. in can. Liceat ibid: cap. non putamus ac ibi gloſſ. et abbas de conſuetud. in 6. L. perfecti. ff. de Minor.*

115. Nuſ-

115. Nuſquam autem Gentium (ni fallor) ſtatuto, aut conſuetudine invalult, ut priorem locum in conſeſſibus occupet inferior præſente ſuperiore. indicaret ſaltem ubi reperiendus ſit Liber ille Parlamentarius, quo loco, quo anno, aut ſub quo Rege convenerit ita conſtituens Parlamentum, an ſub Regibus Hibernicis, an ſub Dominio Anglorum tempore Henrici Secundi, aut Succeſſorum ? quæ omnia denotanda forent, ut fidem mereretur adeò a praxi, et jure communi exorbitans fabula, cum conſtanter affirment Practici, et doceat experientia a Regimine Henrici Secundi ad hunc uſque diem nullum Archipræſulem ad ſiniſtram Regalis ſolij ſedere, ſed ad dextram omnes, primo loco Primatem, ſecundo Archiepiſcopum Dublinienſem (ſi videlicet Dublinij teneatur Conventus) tertio, et quarto Caſſelienſem, et Tuamenſem, &c.

Ut vel hinc etiam colligas, quam futile, et nullius momenti cenſeri debeat ſupra obtruſum a Rivio Monumentum de Archiepiſcoporum ad Regis dextram, et ſiniſtram conſeſſibus. Quare Librum ſuum Parlamentarium, ſeu verius imaginarium tantundem a perſpicuâ veritate deviantem rejici Doctor Lynch non ægre ferat.

116. Sed cætera errata proſequamur Petri Dubs. obtrudentis fol. 5. quod Eccleſia Dublinienſis honorabilior fuerit quam Armacana et ante et poſt Pallium; nam (ut ait) " fatetur Colganus Triad. thau- " maturg. pag. 300. quod Celſus Epiſcopus Armacanus communi " conſenſu Hibernorum, et Normannorum an. 1121. deſignatus fuit " Epiſcopus Dublinienſis: unde Sedem hanc fuiſſe nobiliorem Arma- " canâ facile concludes, cum in honorem Celſi per illam promotionem, " et Dani, et Hiberni conſpiraverint " ita ille ubi obſerves, Sicut alibi frequentiſſimè, corruptelam, et adulterationem Textûs. Colgani enim genuina verba ſunt: " *S. Celſus Archiepiſcopus Armacanus* com- " muni conſenſu Hibernorum, et Normannorum deſignatus *etiam* " fuit Epiſcopus Dublinienſis. at Celſum vocari *Archiepiſcopum* non patitur tenera conſcientia Petri Dublinienſis, qui totum invertit Senſum omiſſione conjunctionis *etiam* intimantis Archiepiſcopum Celſum retinendo Sedem Armacanam ſimul præfuiſſe Dublinienſi; quod expreſſis verbis tradit ibidem Colganus dicens *S. Celſum duas tunc Sedes Armacanam, et Dublinienſem rexiſſe.* id tamen more ſuo Supprimit Petrus Dubs.

117. Nec hic Subſiſtit corruptela, ſed ut Lectori fucus fiat, propria ſua (æque ac Authorum quos citat) verba charactere Italico

exhibet a latere. certè contigit Sæpiſſimè ut Archiepiſcopi, et Primates, inferiorum etiam, ac Suffraganearum Diæceſium per ſe curam gererent a Sede Apoſtolicâ adminiſtrationem affecuti, cujus rei exemplum (præter alia innumera) non procul abeſt, et poſt mortem S. Willebordi Trajectenſis Præſulis S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus, et Germaniæ Primas a Sergio Papâ ſtabilitus fuit Trajectenſis Antiſtes, ut illam *quoque* regeret præfecturam, ut Scribit in vitâ S. Suiberti dignus utriuſque colaborator, et Comes Marcellinus. Quis tamen niſi planè inſipiens ex hoc concludat Sedem Trajectenſem nobiliorem, aut honorabiliorem fuiſſe Eccleſiâ Moguntinâ.

118. Imprimis per illam deſignationem S. Celſi ut eſſet *etiam* Epiſcopus Dublinienſis inconſultis Cantuarienſibus Archiepiſcopis, liquet quam precaria fuerit, et infirma authoritas Cantuarienſium in Dublinienſes: cum juxta canonicas conſtitutiones (quæ tum maximè vigebant, et poſtea pro Summo ſuo jure ſibi reſervavit Summus Pontifex) præfici non debuerit Epiſcopus abſque præſentiâ, et conſilio Metropolitani *can. non debet*, et *can. Epiſcopus diſt. 65. per totam, et diſt. 64.* ac teſtatur ſuo tempore obſervatum, qui S. Celſo diu ſupervixit Innocentius 3. ſcribens Turonenſi Archiepiſcopo an. 1198. *cap. quod Sedem de offic. jud. ordin*, et Decano, ac Capitulo Andegavenſi anno 1199. *cap. inter corporalia de Tranſlat. Epiſc* : conſule deſuper etiam Conſtitutiones Concilij Arelatenſis, et Lucij 3. an. 1185, idem monentes *cap. nec Epiſcopi*: et *cap. ſi Archiepiſcopus de temp. ordinat.*

Vidimus ſupra num. 18, n. 82, et 89, ex ipſis Incolis Dublinienſibus, ex Bulla Innocentij 3. et Authoribus contemporaneis qualis ante, et poſt Pallium fuerit Eccleſia Dublinienſis, primo ſimplex, et inferioris notæ Parochia in Diæceſi Glandelacenſi, deinde circa Medium Sæculi undecimi ex impotenti tunc Dublinium occupantium Danorum libidine, et iniquo in Hibernos odio contra jus, et canones Eccleſiaſticos a proprio Præſule avulſa fuit, novum nacta Epiſcopum, qui tantum intra muros juriſdictionem, et Epiſcopale officium exercebat ſicque remanſit coarctatus tempore S. Celſi, ejuſque Succeſſorum S. Malachiæ, et S. Gelaſij, donec An. 1152. Gregorius Dublinienſis a Cardinale Paparonio donatus fuit pallio, et dignitate Archiepiſcopali, quam ut aliquali decore ſuſtentaret ultra terminos unius Parochiæ aſſignavit illi pro territorio Cardinalis Legatus partem Diæceſis Glandelacenſis.

119. Confer

119. Confer nunc si placet adducta superius a num. 1. ad 30. (et pigeret repetere nisi impelleret importunitas adversarij) ex SS. Fieco, Benigno, et Evino, ex Probo, et Jocelino, officiis Ecclesiasticis, ex tot aliis primæ Notæ authoribus præsertim S. Bernardo, pro Prærogativis Ecclesiæ Armacanæ, quam Apostolus noster S. Patricius sibi, et Successoribus Sedem delegit, ac *authoritate Romani Pontificis totius Insulæ Principem Metropolim constituit.* circa medium quinti Sæculi, quamque *sedem primam* et *caput* vocat S. Bernardus: et *in tantâ ab initio cunctis veneratione habetur, ut non modo Episcopi et Sacerdotes, et qui de clero sunt, sed etiam Regnum, ac Principum Universitas subjecta sit Metropolitano in omni obedientiâ, et unus ipse omnibus præsit ----- Archiepiscopus, et Metropolitanus totius Hiberniæ.* adeoque S. Celsus Regibus, et Majoribus Terræ præcipiendo, non tantum Episcopos quandoque etiam reluctantes mandavit consecrandos, sed et *alteram Metropoliticam sedem de novo constituit primæ tamen Sedi, et illius Archiepiscopo subditam tanquam Primati*: quam ita subditam primæ sedi, et Primati comfirmavit Papa Innocentius 2.

120. Attamen Parochialem illam Ecclesiam Dublinienſem intra portas restrictam, *et ante et post Pallium, nobiliorem fuisse Armacanâ facilè concludes* juxta Logicam Petri Dubs. quis tales ferat ineptias vel in infimo Tyrone Summulistico? nisi quod hinc etiam colligas quomodo sensum obfuscet, et pervertat judicium affectata præoccupatio. potius ex jam adductis juxta veras Logicæ regulas, et ipsum dictamen rationis penitus non obtusæ concluderet ipse, concluderent omnes non nisi commentitias ab aliquo correctore Dublinienſi vel certè omninò subreptitias (quas post Magistrum suum Rivium obtrudit fol. 4. et iterum repetit fol. 23.) Litteras Regis Edwardi tertij declarantis (enimverò) Ecclesiam Dublinienſem honorabiliorem esse Terræ Hiberniæ, &c.

Cæterum S. Celsus pro sua Pastorali Solicitudine per totam Hiberniam, curam gesserit Dublinienſium, ut eorum *etiam* designatus Episcopus paternis visceribus ad debitum obsequium revocaret deviantes a proprio capite manifestum tamen est usque ad mortem perseverasse Metropolitanum Armacanum, testante S. Bernardo, qui cap. 7. vit. S. Malachiæ hæc tradit.

121. *Dum hæc aguntur contigit infirmari Archiepiscopum Celsum, et cognoscens quia moreretur, fecit quasi Testamentum quatenus Malachias deberet*

deberet ſuccedere ſibi, quod nullus videretur dignior qui epiſcoparetur in ſede primâ; hoc præſentibus indixit, hoc mandavit abſentibus, hoc ſpecialiter ambobus Momoniæ Regibus, et Majoribus Terræ S. Patricij *authoritate præcepit - - - - - nec fruſtratus eſt a ſpe ſuâ, nam illo mortuo ſubſtitutus eſt Malachias.* Quæ non potuit ignorare, etſi diſſimulet Petrus Dubs. nam nonnullas lineas ex dict. cap. 7. inſerit ſuo Libello, fol. 16. exordiens a commate: " hoc ſpecialiter ambobus Momoniæ Regibus, et Majoribus Terræ S. Patricij authoritate præcepit.

Cum ita incipiat ipſum caput (ut jam vidimus) *dum hæc aguntur, contigit infirmari Archiepiſcopum Celſum*, &c. cujus loco etiam hic ponit *Celſus Armacanus.* Sed ita debuit præcidere ne tam exoſa, et piarum aurium offenſiva dignitas Archiepiſcopalis S. Celſo aſſerta a D. Bernardo (dum exiguus Epiſcopatus Dublinienſis terminaretur intra muros) amplius innoteſcat, aut nominetur inter ſapientes, ideoque nunc mutilat, nunc confundit deluſurus lectorem. quia talis eſt quorundam indoles, ut vix unquam ſincerè referant, imo potius invertant, et ſupprimant quicquid non adſtipulatur quantocunque erroneo intento ſuo.

122. Alio capite poſtremus Petri Dubs. Succeſſor præeminentiam Dublinienſis Eccleſiæ præ Armacanâ *demonſtrabilem* imaginatur, quia ſcilicet Proteſtantium Primas Adamus Loftus allicientibus Cuſtodis Magni Sigilli, Cancellarij, totiuſque Regni juſticiarij muneribus ſub Reginâ Elizabetâ Armachiâ migravit Dublinium, cum eo tempore adeo inteſtinis Bellis concuſſa eſſet Ultonia, ut ab Incolis innovationem in Religione execrantibus rejectus, nec Armachiæ, nec in viciniis tuto morari, aut ſubſiſtere poſſet, devaſtatis fundis, et Redditibus Eccleſiaſticis, ſed adverteret viciſſim pro uno Lofto tres fuiſſe Archiepiſcopos Proteſtantes Dublinio tranſlatos Armachiam Jacobum Margetſonium, Michaelem Boyle, et Narciſſum Marſhium; unde paritate argumenti verè ridiculi, ſi quid concluderet, tripliciter (ut ita dicam) *demonſtrabilis* foret præeminentia Armacana præ Dublinienſi, et idem Adam Loftus, qui dum præeſſet ſedi Armacanæ præceſſit etiam Dublinij Archiepiſcopos Dublinienſes, et conſiliaribus aliiſque actis ſubſcripſit ante illos, poſtea conſtitutus Dublinienſis Antiſtes primum locum ubique, et Subſcriptionem detulit Succeſſori ſuo in Eccleſiâ Armacanâ Primati Thomæ Lancaſtro.

123. Lofti Exemplum imitantur ſubſequentes Proteſtanticæ communionis Præſules Dublinienſes novam illam, et prætenſam *demonſtra-*

tionem

tionem despicientes non nisi valdè recenti, et hactenus inauditâ extravaganti innixam. reperiet etiam bonus Præsul Antecessores suos Robertum Waldby, et Hugonem Curvinum, qui abdicato Archiepiscopatu Dublinienſi facti sunt ille Episcopus Cycestrensis, hic Oxfordiensis in Angliâ: Wareus de præsul, fol. 114, et 120. ideone demonstrabile admittet sedes Cycestrensem, aut Oxfordiensem Metropolitanâ Dublinienſi nobiliores, et honorabiliores? Nugæ nugarum!

Omitto quod etiam in diebus nostris Georgius Ash Protestantium Clocherensium Episcopus rejecerit ultrò oblatum Archiepiscopatum Tuamensem, qui tamen paulo post procuravit translationem suam ad Suffraganeam Ecclesiam Derrensem; nec inde sedem suam ignobiliorem, aut minus honorabilem facilè admittent Clocherenses. Caveant tamen Tuamenses ne suo Archiepiscopatui ambas Ecclesias tum Clocherensem, tum Derrensem præferant, aut demonstratione convincant præeminere accurati Censores Dublinienses.

124. Sed quid de indulto Joannis Comitis Mortoniæ, tunc Domini Hiberniæ, postea Angliæ Regis: "SCIATIS me intuitu Dei, " et pro salute Animarum Antecessorum, et Successorum meorum " concessisse, et præsenti chartâ meâ confirmasse Venerabili Patri meo " Joanni *Dublinienſi Archiepiscopo*, et Successoribus suis omnes liber- " tates, et liberas consuetudines a prædecessoribus meis concessas, et " quod præfatus *Archiepiscopus*, et Successores sui post ipsum per to- " tam Terram Hiberniæ habeant Curiam, et justitiam hominum suo- " rum, tam in Civitatibus, quam in Terris exterioribus: prohibeo " ne quis eidem Archiepiscopo, vel Successoribus suis super præmissis " damnum audeat inferre, molestiam, vel gravamen: et si quis ei in " aliquo deliquerit, id ei sine dilatione emendetur, testibus, A. Fer- " nensi Episcopo, Stephano Ridello Cancellario, &c.

Singulare hoc privilegium, et Primatui annexum dicit fol. 32. Petrus Dubs. adjungens fol. 72. Litteras (quas ait) Richardi Secundi Henrici quinti, et Edwardi 3. *Primates* nominantium Archiepiscopos Dublininenses, *idque pluribus annis ante decisionem vel decretum Innocentij Sexti.* Observavimus supra num. 32, et meritò fatetur alibi Petrus Dubs. omnes dignitates Ecclesiasticas institutas ab Ecclesiâ Romanâ, doceret ergo non Regalibus litteris (quas confictas, vel multis strophis a correctoribus Dublinienſibus vitiatas non sine causa liceat suspicari. vid. num. 85, et 86.) sed constitutione Pontificiâ Primatem Dublinienſem. Et cum nullibi reperiatur in Bullis, aut

Re-

Reſcriptis Papalibus Dublinienſes vocari Primates, nec ante, nec poſt commentitiam deciſionem Innocentij Sexti, oportet quoque commentitium Primatum Dublinienſem illicò evaneſcere, aut certè non Papalis ſed Regalis fuiſſe inſtitutionis, adeoque jure explodendum. Advertis etiam in hoc prætenſo privilegio (quod fingitur Primatui annexum) Dublinienſem Antiſtitem non nominari *Primatem* ſed *Archiepiſcopum* tantum.

125. Quæro inſuper quid devenerint Indultum Joannis, Suppoſititiæ Regum Litteræ (cum prætenſâ Sententiâ ſub Jacobo Rege, et commentitio monumento Cancellariæ de quibus num. 111.) dum integro biduo coram Prorege, et Supremo Concilio ventilaretur cauſa inter Uſſerum, et Buckleum, qui utpote Actor, et paratus proculdubiò nihil prætermiſit eorum, quæ vel minimùm patrocinarentur intentioni ſuæ? omnia inania, futilia, et nullius momenti cenſuit ac deſpexit gravis ille, et Supremus Senatus Armacanis adjudicans palmam. liquet autem Proregem, et Regios Conſiliarios legitimos eſſe interpretes, et judices competentes diplomatum, et Indultorum, quæ a defunctis Regibus promanârunt.

Quæro iterum quo angulo, quibuſve latebris delituerint dum extortam Armacanis violentia Edwardi Sexti Primatiam totius Hiberniæ reſtitueret Regina Maria colaborante Legato Apoſtolico Cardinale Polo? credibile eſt quod tunc non extiterint, nec ulli innotuerint, vel certâ ſine Succo, et ſale cum primo Sole emarcuerint. nec mirum, quia *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt Sapient.* 4.

126. Ex primo, et intemerato fonte S. R. E. omnium hujuſmodi dignitatum inſtitutricis primatum ſuum derivant Præſules Armacani Suffulti etiam indubitatis Diplomatibus, et Litteris Regiis, ut liquidò patet ex jam recenſitis decretis Caroli primi, et Reginæ Mariæ, præter alia videnda apud Authores, præſertim Wareum de præſul. fol. 23, 25, 33, et 112, ac ex Archivis Armacanis in Regiſtro Joannis Prene pag. 564. de Henrico 3. Edwardo 3. Henrico 6, et Edwardo 4. qui reſpective quantum ad ipſos Spectabat Regali authoritate Primates agnoverunt, et nominarunt, ac Privilegia confirmarunt Sedis Armacanæ.

Quod manifeſtum eſt etiamnum viventibus de Carolo 2, et Jacobo 2, Siquidem Rex Carolus altiori promotione, et Sublimiori dignitate remuneraturus *multiplices virtutes* (verba ſunt Warei de præ-

ſul.

ſul. fol. 30) Jacobi Margetſonij Archiepiſcopi Dublinienſis ipſum juſſit aſcendere ad Primatialem Sedem Armacanam an. 1663. Jacobus autem Regiâ Munificentiâ Præſulibus catholicis ſubveniens an. 1686, (ut Singulari indicio, non ſermone tantum, ſed et opere diſcerneret inter caput, et membra) trecentas libras Sterlingas ex Regio ærario quotannis enumerari voluit Primati, dum cæteri Archiepiſcopi non niſi ducentas Singuli acciperent. omitto ſicut toties vidimus ex S. Bernardo, quod ab initio Regum, ac Principum univerſitas Subjecta ſit Metropolitano (Armacano) *in omni obedientiâ*, et unus ipſe omnibus præſit.

127. Sed ut verum fuerit, non commentitium, (ſicut paſſim alia inſerta Regiſtro Dublinienſi) indultum Joannis, nihil inde colligi poteſt, niſi quod conceſſerit, ut Archiepiſcopi Dublinienſes haberent Curiam, et juſtitiam hominum ſuorum iis in locis per Hiberniam ubi Manneria, ſeu Dominia poſſidebant. nec relevat quod fol. 32. dicat Petrus Dubs. patere ex Bullis Pontificiis editis in Syllog. Uſſer. S. Laurentio ô Tuathill, et Joanni Cummin ejus Succeſſori conceſſis Archiepiſcopum Dublinienſem in ſolâ Provinciâ Lageniæ temporalia poſſediſſe.

Hoc etſi verum ſit, ignorare potuit, et ſine dubio ignoravit Joannes Comes Mortoniæ impubes, et duodennis dum appelleret in Hiberniam (teſtantibus Daviſio fol. 7. et 19, Hanmero fol. 165, ac Campiano fol. 67.) et tam flexibilis in eâ tenerâ ætate, ut ſine ulteriori indagine facilè ſubſcriberet omnibus, quæ Suggereret illius Indulti Impetrator, et præcurſor ſuus Joannes Cummin miſſus ab Henrico 2. ad præparandos animos, viamque ſternendam filio ſuo Joanni mox Secuturo, et inſtituendo Domino Hiberniæ, ut docet Wareus de Annal. in præfato Henrico ad an. 1184, et Hanmerus loco jam citato.

128. Advertendum etiam venit quod nec Joannes ipſe toto tempore Dominij, aut Regiminis ſui, nec Succeſſores Reges Angliæ per multos inſequentes annos potuerint habere Curiam hominum ſuorum, vel immittere Vicecomites (vulgò Sheriffs) juſticiarios, judices circulares, ſeu itinerantes ultra tertiam partem Terræ Hiberniæ, ut in ſuâ hiſtoricâ relatione ad calcem novæ impreſſionis omnium operum Warei fol. 27, et 50. aſſerit Eques auratus Joannes Daviſius Regius Cognitor Generalis ſub Jacobo primo. inſuper certis finibus coarctatum fuiſſe per Hiberniam Dominium Joannis demonſtrat commiſſio Clementis tertij an. 1190. conſtituentis Gulielmum Longchamp

Episcopum Elienſem Legatum Suum in Angliâ, Walliâ, *ac illis Hiberniæ partibus, in quibus Joannes Mortoniæ Comes poteſtatem habet et dominium.* Matthæus Paris in Richardo primo fol. 15, et 19: Wareus in Annal. ad dict. an. 1190, et Daviſius fol. 7.

Attamen ubi non potuit Joannes, non potuerunt multi Succeſſores habere curiam, et juſtitiam hominum ſuorum, voluit ut tam in Civitatibus, quam in Terris exterioribus eſſent Curiæ, et homines Archiepiſcopi Dublinienſis per totam Terram Hiberniæ, credat qui poteſt reconciliare repugnantia; et ex abundanti ad penitus conterendum figmentum facit quod nec vigore illius, alteriuſve indulti, aut prætenſi primatus, juſtitiam, vel juriſdictionem civilem, aut Eccleſiaſticam unquam exercuerint extra quatuor Diæceſes Suffraganeas Dublinienſes Antiſtites.

129. Huic peremptoriæ exceptioni, dum perplexum obmuteſcere oporteret, reſponſum adhibet pejus nihilo Petrus Dubs. (tacendo enim quoquo modo cauſæ lateret infirmitas, quæ perperam loquendo manifeſtatur) dicens fol. 81. " a Sexcentis et amplius annis ita com-
" motam, ac inteſtinis Bellis concuſſam fuiſſe noſtram Hiberniam, ut
" vix locus, aut tempus opportunum fuerit Dublinienſibus exercendi
" juriſdictionem Primatialem .... pacatâ verò Hiberniâ tempore
" Regis Jacobi, per Proteſtantes non licuit Primatum a Romano
" Pontifice derivatum exercere.

Et in juſtificationem hujus ſui diverticuli allegat fol. 83. Capitulum *quod Sicut de Elect*, ubi agitur de Electione Præſulis Armacani, cui intereſſe debuerant Epiſcopus Midenſis, ac Mellifontis Abbas, et ita reſolvit Innocentius 3. *quoniam ſi ad locum inter Hibernenſes non poterant Securè proficiſci, nec cæteri ad alium locum inter Anglicos tutè poterant convenire, ſi ita eos vocatos eſſe conſtiterit, ſi vocari abſque periculo potuerunt, et illos noluiſſe, vel non potuiſſe ad Electionem celebrandam venire, Electio non debet irritari.*

130. Libellum ſuum excudit anno 1674, etſi ante biennium compilaverit, ut teſtatur ipſe in Epiſtolâ ſuprà memoratâ num. 30. an. 1672. ad Creveum jactans ſe ridiculum reddidiſſe Illmum Oliverum Armacanum, ac luculenter probaſſe Primatum Dublinienſem, et Doctorem Goolding præfationem brevi tranſmiſſurum Creveo. Unde habes quam parum Sincerè apponatur in fine præfationis affixæ dicto libello, quod " (neſcio præſule Illuſtriſſimo Scriptumque hoc in lucem
" edere minimè cogitanti prælo nondum adhuc ultimâ ductâ lineâ ſit
" com-

" commiſſum " quam inepte probaverit imaginarium ſuum Primatum, et uter in hâc diſceptatione dicendus ſit verè ridiculus Oliverus Armacanus, an Petrus Dubs. æqui Lectoris judicio relinquitur.

Interjacens autem Spatium ab an. 1672. ad an. 1152. quo ad Dignitatem Archiepiſcopalem evecta fuit Eccleſia Dublinienſis non conficit Sexcentos, aut amplius, ſed ad Summum (ni fallor) 520. annos, atque adeo juxta Arithmeticam hujus Authoris inteſtinis bellis impediti fuerunt Præſules Dublinienſes ab exercendâ juriſdictione Primatiali, non tantum a tempore erectionis Archiepiſcopatûs per integros, et continuos 520. annos, ſed etiam per 80. ante originem, niſi forte eâdem apparentiâ veri putet commotione bellica vetitos Primatiale munus obire per alias Provincias cum coarctati terminis ſimplicis Parochiæ Diœceſis Glandelacenſis, defectu amplioris Territorij intra muros duntaxat exercebant officium.

131. Cum ergo fateri cogatur Prædeceſſores ſuos tot Sæculorum curriculo nullam exercuiſſe authoritatem extra quatuor Diœceſes Suffraganeas, meritò concludes prætenſam eorum authoritatem omninò vanam eſſe, et inanem, nam ut docet Ariſtoteles de cæl T. 32, *fruſtra eſt potentia, quæ nunquam reducitur in actum, ad quid enim cauſa nullum productura effectum*? niſi (ut ipſe ait de Pallio S. Patricij) ſuſpenſus, volitanſque per aera ſine fructu, aut fruge effætus Primatus Dublinienſis expectare debeat conſummationem Sæculi.

Notavimus num. 13. S. Gelaſium Primatem poſt traditum Pallium Dublinienſibus totiès luſtraſſe Provincias hujus Regni, expoliendis Cleri, et populi moribus acriter incubuiſſe, Nationalia Concilia indixiſſe etiam in Lageniâ non procul ab ipſâ Urbe Dublinienſi, in loco Cloaniâ vulgo Cleane, Diœceſis Kildarienſis, ubi communibus omnium Epiſcoporum, et Abbatum Suffragiis Sancitum fuit ne ullus impoſterum per totam Hiberniam ad Sacræ paginæ profeſſionem, ſive ad Theologiam publicè docendam admitteretur, qui non priùs Armacanam Academiam fræquentaverit.

132. Et refert Gratianus Lucius pag. 88. ad Comitia a Rotherico Rege indicta Athbythlaiæ 1167. magnam præſulum, ac Procerum vim confluxiſſe, Sequè nominatim Stitiſſe *Primatem Gelaſium*, Laurentium ò Tuathill Lagenienſium *Archiepiſcopum*, Catholicum ò Duithy Archiepiſcopum Conaciæ præter alios e Clero quam plurimos. mirum hiſce pacificis temporibus nullum prætenſæ ſuæ Primatiæ Signum

edidiſſe Dublinienſes, ſed S. Laurentium locum ceſſiſſe S. Gelaſio Armacano, qui præſidens Concilio more Majorum in diſtrictu Dublinienſi Primatiale munus obivit.

Ac in Bulla, quam idem S. Laurentius impetravit ab Alexando 3. an. 1179. et 27. ab erectione Eccleſiæ Dublinienſis in Archiepiſcopatum, eſtque Syllog. veter. epiſt. 48. (quam non niſi obiter, et verbulo tangit Petrus Dubs. reticens contextum, quia vel Sola fictitium Suum Primatum evertit) diæceſes Glandelacenſis Darenſis, Fernenſis, Leighlenſis, et Oſſorienſis Metropolitano Dublinienſi ſubjectæ confirmantur cum omnibus poſſeſſionibus ad dictam Metropolitanam Eccleſiam Spectantibus, quæ ſingillatim recenſentur. unde clarè concipies nullam fuiſſe Præſulibus Dublinienſibus poteſtatem niſi in quinque enumeratas diæceſes; alioquin eam non omiſiſſet exprimendam, et confirmandam pariter a Summo Pontifice S. Laurentius adeo Sollicitus ut prædia omnia imo minutas terrulas inſeri, et nominari procuraverit.

133. Sine dubio ſub ingreſſum Anglorum an. 1169. hoſtilibus armis inſectantium incolas multum fuit commotum hoc Regnum per aliquot annos, et interrupta per nonnullas Provincias Primatialis authoritas Armacanorum. at pacatis utcunque rebus a promotione Lucæ Netervill Anglici (juxta odioſam illorum temporum diſtinctionem. quæ modo non minus ridicula, quam perniciosa foret, et innumera hactenùs genuit mala) ad Archiepiſcopatum Armacanum an. 1217, viginti, et plures præſules Anglici ſtemmatis ſucceſſerunt in illa ſed ante tempus Jacobi primi, qui prærogativâ Primatiali functi non in Ultoniâ tantum, ſed paſſim alibi, ac in ipſa Provinciâ, et Urbe Dublinienſi.

Et Gualterus le Rede, ac Walterus de Salerne ambo pariter Anglici, initiati Archiepiſcopi, hic Tuamenſis an. 1256, ille Caſſelienſis an. 1330. plures genticos ſuos habuere Succeſſores, ſicut multi Epiſcopi origine Angli præfuerunt civitatibus Waterfordienſi, Corkagienſi, Limericenſi, aliiſque in Caſſelienſi Provinciâ æque obtemperantibus Regi Angliæ, ac ipſum Anglicani dominij caput Dublinium, quo pro libitu ultro citrò que commeabant.

134. Et ſiquidem hi omnes in ſuis Eccleſiis commorati munus Paſtorale accuratè obierunt, quomodo tot ſæculorum curriculo non incidit novæ fabricationis Primatibus Dublinienſibus Metropoles, et Provincias ſibi Subditas ex præſcripto canonum viſitare, commiſſarum ovium ſaluti invigilare, et emendare abuſus Senſim irrepentes? aut

aut si id ex segnitie non placuit, vel præ formidine non licuit, cur indè causas Appellatione devolutas domi saltem securi a periculis in prætenso Primatiali consistorio nunquam terminarunt, aut receperunt? et quam demiranda fuisset stupiditas, ac stupenda conspiratio omnium in hoc Regno, ut ne unus quidem ad hunc usque diem jus illud Primatiale dicto, aut facto agnoverit pro sublevandis gravaminibus recurrendo Dublinium, cum toties inde appellatum fuerit Armachiam.

135. Sed ne excidat decretalis Innocentij tertij detorta in patrocinium erroris, quia Episcopo Midensi, aut Mellifontensi Abbati non tutum fuit duodecimo sæculo interesse electioni Antistitis Armacani: Territorium Anglicum (vulgò THE ENGLISH PALE) quatuor complectitur Comitatus Dublinienſem, Kildarienſem, Midenſem, et Louthenſem, ubi a primâ expugnatione leges et statuta Regiminis Anglicani observabantur inconcussè, ac Incolæ icto fædere sub nomine confraternitatis S. Georgij pro conservandis finibus contra quoscunque incessentes mutuis auxiliis Societatem inierunt, de quibus fusè Davisius, fol. 14, 15, 43. 47. 49, et 50. Comitatus autem Louthensis, in quo sita Mellifontensis Abbatia, Diæcesis est Armacanæ, et Midensis Comitatus (unde Denominatur Episcopus Midensis Armacano Suffraganeus) ad quintum a Dublinio lapidem protenditur.

136. Itaque si ob recrudescentes hic et nunc bellicas commotiones Anglici Louthenſem, et Midenſem Comitatus inhabitantes ad locum inter Hibernenses non poterant tutè proficiscì, nec Hibernici ad locum inter Anglicos tutè poterant convenire, unde contigit, ut ne in illis quidem partibus Diæcesis, et Provinciæ Armacanæ Dublinienſium armicis, sociis, confæderatis, vicinis, et contiguis strictè, et assiduò sine obice invicem communicantibus ullum unquam Primatialis authoritatis exhibuerint indicium, aut vestigium reliquerint, adeo socordes, et sui juris, muneriſque prævaricatores Præsules Dublinienſes, si veri, et non commentitij Primates fuissent? " id quidem (inquit) " tentarunt Archiepiscopi Dublinienſes, sed a sexcentis, et amplius " annis ita commota, ac inteſtinis bellis concussa fuit noſtra Hibernia; " ut vix locus, aut tempus opportunum fuerit Dublinienſibus exer- " cendi juriſdictionem Primatialem." Vides Lector quam solidis Primatus Dublinienſis fulciatur argumentis, imo quantis, quamque inextricabilibus anguſtiis, et labyrinthis seſe implicent, qui desperatam causam ſuſcipiunt propugnandam.

137. Pri-

137. Primus Dublinienſium refragatus juriſdictioni Primatiali Armacanæ innixæ Authoritati Papali, conſtanti traditioni, et poſſeſſioni pacificæ octingentorum annorum reperitur Archiepiſcopus Lucas circa medium Sæculi decimi tertij, cui ut ex voto ſucceſſiſſe temerarium auſum ſimulet Petrus Dubs. allegat fol. 76. quod dicit Lucam ab Innocentio quarto impetraſſe ſequens diploma.

" Innocentius Epiſcopus Servus Servorum dei Venerabili fratri " *Archiepiſcopò Dublinienſi* (nuſquam fit mentio Primatus) ſalutem, " et Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam ſpecialem honore " proſequi debemus, quæ ad hoc intenta eſſe dignoſcitur, ut grata " nobis, et Eccleſiæ per ſinceræ devotionis ſtudium habeatur: Hinc eſt " quod nos *fraternitatis tuæ precibus inclinati*, authoritate tibi præſen- " tium indulgemus, ut nullus ſedis Apoſtolicæ delegatus, vel ſubdele- " gatus ab eo, aut Executor, etiam Conſervator a ſede deputatus " eâdem, in *Perſonam tuam* Suſpenſionis, vel interdicti, aut Excom- " municationis poſſit ferre ſententias abſque ſpeciali mandato noſtro " plenam faciente de hac *indulgentiâ* mentionem. Nulli ergò omninò " hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c.

138. Hocque indultum more ſuo *ſingulare Privilegium* vocat, et *ſolis Primatibus eo tempore conceſſum.* Sicque quicquid in Bullis Pontificiis, aut Regum Litteris occurrit quantumvis alienum a Primatu, et ad aliud omninò collimans, novo miraculo Primatiale privilegium illicò evadit, ſi quoquo modo ſpectet ad Dublinienſes, haud ſecùs ac per fictionem poeticam Midas olim dono Deorum Saxa, plantas, et lutum, aliaque obvia ſolo contactu vertebat in aurum. Sed ſeriò agamus. quomodo abbreviata manus Pontificis ut de plenitudine poteſtatis, hujuſmodi indultum non concederet (quemadmodum toties conceſſit ſingularia privilegia) Epiſcopis Suffraganeis, aliiſque Prælatis inferioribus quin Primates efficerentur? Si talem indulgentiam aſſequeretur, ſicut potuit aſſequi Epiſcopus Kildarienſis favore Apoſtolico reſtringente ſimiliter quoad hoc ſuorum Delegatorum, et Subdelegatorum poteſtatem, putaſne eo ipſo Primas fieret, aut Archiepiſcopus ſubductus authoritati Metropolitani Dublinienſis? haud id, credo, admittet P. D. utpote præeminentiæ ſuæ, ſicut et rationi, et juri contrarium.

139. Præterea Perſonale fuiſſe hoc oſtentatum Privilegium illis verbis convincitur, in *Perſonam tuam*, nec Sedi, nec Succeſſoribus commune (privilegium autem Perſonale Perſonam ſequitur, et extingui-

tur

tur cum illâ Reg. 7. de Regul. jur. in 6.) nullâ factâ mentione Primatis Armacani, aut litigij inter ipsum, et Impetratorem Lucam eo tempore vertentis, ut fatetur P. D. quamvis nulla fuerit quæstio uter esset Primas, sed an Armacanus habuerit jus bajulationis Crucis, tractandi negotia, &c. Dublinij, de quo susius posteà. Vidimus autem num. 68. quod privilegium lite pendente impetratum non subsistat, nisi in eo litis mentio fiat: *cap. causam. 19. de testib.* et *cap. bonæ memoriæ de confirmat. util. vel inutil.* et nullus ante cognitionem judicij, ac definitivam sententiam de sua possessione sit spoliandus: *cap. a memoria. ut lit. pendent.*

Unde per se corruit suppositititium hoc privilegium, nec respicit non memoratum Primatem, aut illius pacificam possessionem octo sæculorum, et amplius, prout in simili probavimus num. 71. omissis ineptis deductionibus Glossatoris, seu nugis indignis attentione, si illius exemplo conjecturis sit agendum, verosimilius apparet Archiepiscopum Lucam exagitante stimulo conscientiæ veritum insolentis suæ præsumptionis, et arrogantiæ pœnam infligendam ab Armacano postulasse a Papâ Innocentio tutelam, et exemptionem: tamque arrogans attentatum denegasse summum Pontificem, qui ut memorem repulsæ aliquantulum deliniret, indulsit ut sine speciali mandato nullus sedis Apostolicæ delegatus, aut subdelegatus in Personam Lucæ possit ferre Sententiam Suspensionis, Excommunicationis, aut interdicti, nihil coercendo jurisdictionem aliorum Superiorum, quam intactam reliquit, sicut quibusdam Supplicantibus solent concedere Pontifices absolutionem casuum Papalium, sine præjudicio tamen ordinariorum, aut casuum quos sibi reservant, nisi specialiter relaxentur in diplomate Pontificio.

140. At cum conjecturis non sit locus ubi verba clara sunt: *L. licet. Imperator. ff. de Legat. Abb. lib. 2. conf. 97. n. 1. Socin. lib. 1. conf. 13. n. 38.* hujus indulti (si non Suppositititium sit a Correctoribus Dublinienſibus confictum) aliorumque omnium Personalium non derogantium jurisdictioni Ordinariorum intelligentiam manifestam facit Clemens quartus *cap. ne aliqui de Privileg. in 6.* statuens: " ne " aliqui de indultis Apostolicis confidentes alios confidentius in suo " jure molestent, et ordinariorum jurisdictionem contemnant pariter, " et eludant, omnes indulgentias, et privilegia quibuscunque singu- " laribus Personis Ecclesiasticis, vel sæcularibus cujuscunque sint præ- " eminentiæ, Dignitatis, conditionis, aut statûs, quod interdici a quo

" cum-

" cunque vel excommunicari non poſſint, nec terræ, vel Eccleſiæ ip-
" ſorum Eccleſiaſtico interdicto ſupponi, ſub quâcunque formâ ver-
" borum conceſſâ (illis per quæ Regibus, et Reginis, eorumque filiis,
" nec non et Religioſis quibuſcunque, non Perſonarum tantum, ſed
" ordinum privilegiatorum, vel locorum ratione —— immunitas hu-
" juſmodi conceditur duntaxat exceptis) de fratrum noſtrorum con-
" ſilio *ad Ordinariorum Sententias, et Proceſſus Edicto perpetuo prohi-*
" *bemus extendi.*

141. Eſt autem Ordinarius Primas reſpectu Metropolitanorum, ſicut Archiepiſcopi Præſulum Suffraganeorum *can. per ſingulas.* 1, et 2. *cauſ.* 9. *quæſt.* 3. *can. in illis diſt.* 80, et *diſt.* 99. *in initio. cap. ſolicitudinem cum gloſſ.* et *DD. de Appellat*: et attentatum Lucæ caruiſſe ſucceſſu evincitur ex eo quod nullus illius Succeſſor per inſequentes ſeptuaginta annos auſus fuerit refragari prærogativis Primatialibus uſque ad Joannem Leach, qui ægre tulit, quod Rolandus Jorſius Archiepiſcopus Armacanus in Provinciâ Dublinienſi crucem ante ſe geſtari permiſerit: de hoc enim tantum, et non de Primatiali dignitate tum in confeſſo apud omnes competente Archiepiſcopo Armacano, ut jam innuimus, diſceptatum fuit vid. Wareum de præſul. fol. 111.

Notatu dignum eſt quanta ſolicitudine Romani Pontifices (ne ullatenus aſſentari viderentur ambitioni arrogantium jus alienum) hactenus præcaverint ab inſerendo titulo Primatis ipſis iiſdem Bullis, ut prætenditur, conceſſis ad erigendum, confirmandum, aut ſtabiliendum phantaſticum Primatum Dublinienſem, ut ne ſemel quidem, aut etiam in ullis diplomatibus, aut Reſcriptis Papalibus Dublinienſes Archiepiſcopi nominentur Primates, quod irreparabiliter evertit figmentum.

142. Sed ſemper paratus nodum Gordianum ſi non ſolvere, ſaltem eludere quantum poteſt, et quærere effugium, reſpondet fol. 50.
" nihil eſſe abſurdius quam exiſtimare ad Primatum Eccleſiaſticum
" alicujus Regni neceſſario requiri, ut in Diplomate Pontificio expri-
" matur verbum *Primatus*: id enim locum habere poterit, quando
" contra conſuetudinem, canoneſque Primatus collocaretur non in ca-
" pite Regni, ſed in aliquo loco obſcuro, vel ignobili civitate, nam
" tunc oportet ut Pontifex ſuam mentem declaret, ſiquidem contra
" canones in tali caſu procedit - - - - - at verò quando Pallium datur
" Regni capiti, ac primæ civitati, ut tali, ſemper ſupponitur con-
" ferri per pallium Primatus, ita enim ſtatuunt canones, ac praxis

" Eccle-

« Eccleſiæ, : : . . : certè Supervacanea eſt vocis *Primatus* Similium-
« que verborum in tali caſu expreſſa mentio."

Indignaris Lector, et meritò excandeſcis cum ſtupendâ licentiâ hic iterum, ſicut toties ad nauſeam contra notorietatem publicam obtrudit per canones, et praxim Eccleſiæ (quæ per totam Europam eſt manifeſtè contraria) Primatum ſtatuendum in capite, ſeu primâ civitate Regni, ſed hoc obiter notato.

143. Ut quid Joannes Allanus effinxit Bullam Jnnocentij Sexti indulgentem ut Archiepiſcopus Dublinienſis ſe *Primatem Hiberniæ exararet*? ſi antea conſtituto in capite Regni competeret, cur ipſe Petrus Dubs. enixis, ac importunis precibus toties efflagitavit apud Clementem decimum, ut ſibi ad inſtar Armacani concederetur titulus Primatis? et cum ſpe exciderit obtinendi a Summo Pontifice ad tam inſolens attentatum dedignante reſponſum, *Supervacaneam* arbitratur vocis *Primatus expreſſam mentionem, imo nihil abſurdius quam exiſtimare ad Primatum Eccleſiaſticum alicujus Regni neceſſariò requiri, ut in diplomate Pontificio exprimatur verbum Primatus.* haud minus lepidè dolorem diſſimulans vulpes fabulæ cum racemos uvarum plenos jam, ac matureſcentes perſpiceret pendentes ex alto, cupida de illis manducare, omnem viam fruſtrà machinata quâ illos comprehenderet, mæſtitiam vertens in gaudium ait, Racemi illi immaturi adhuc ſunt, ac nimium acerbi.

144. Quam ſocordes juxta præcedens dogma, et obtuſos mente, ac ſpritu imo ſui muneris, dignitatiſque prævaricatores oportet eſſe. Antiſtites Pariſienſes, et Ulliſſiponenſes inſignitos pallio in capite Galliæ, et Luſitaniæ, cum ſe utriuſque Regni reſpective Primates non vindicent? quid de Epiſcopo Lucenſi in Tuſcia pariter in capite Supremi Gubernij, ſeu præfecturæ, qui etſi pallio decoratus, nedùm Primatialem, ſed nec Archiepiſcopalem dignitatem aſſumit (ut infra videbitur num. 231. ſed ſimplicis Epiſcopi honore contentus eſt? at novum deſpicientes commentum, ex quo ſequitur univerſim quemcunque Epiſcopum in primaria Urbe Provinciæ, et inferiorem Dignitarium in capite Comitatus per aſſecutionem pallij, aut Pedi, et Mitræ a Summo Pontifice ſine ullâ expreſſione Archiepiſcopalis, vel Epiſcopalis prælaturæ, illum Archiepiſcopum, hunc Epiſcopum illicò conſtitutum: quæ ſequela, et inordinata praxis hactenùs non innotuit in Datariâ Romanâ, aut alibi per orbem Catholicum, adeoque riſum meretur, non reſponſum.

Novum (inquam) deſpicientes commentum Sapientiſſimi Præſules, Uſurpatores ſe arbitrarentur, et injurios ſedi Apoſtolicæ, ſi alium arrogarent Titulum, quam in Bullis ſuæ Electionis expreſſum reperirent, rati quicquid ſuæ Dignitati ex conſuetudine, vel Privilegio, aut jure debitum, non defuturum in Proviſionibus Pontificiis, aliter rejiciendis tanquam ſubreptionis vitio obnoxiis (ut eſt communis opinio expertorum) niſi in illis exprimeretur titulus competens dignitati, ad quam quis aſſumitur, et innumeris patet exemplis paſſim obviis.

145. Unum non prætereundum, ſatis recens: cum defuncto Præpoſito *Inſignis*, et collegiatæ Eccleſiæ S. Petri in Oppido Caſſetenſi Diœceſis Iprenſis in Flandriâ an. 1710. ſubſtituiſſet Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus 14. Joannem de Lupè, qui munitus nominatione Regiâ, et affixâ Bullâ Clementis XI. perſonaliter comparuit in Capitulo, ac petiit mitti in poſſeſſionem, quod deliberatione habitâ, et conſultis juriſperitis abſolute denegarunt Decanus, et Canonici non aliud cauſati, niſi quod in Bullâ non exprimeretur Vocula *Inſignis* debita ſuæ Eccleſiæ, nequicquam minitante novo Præpoſito indignationem Regiam, ſimul et Pontificiam. at Rex ritè informatus non ægre tulit, nec improbavit Summus Pontifex, ſed aliam juſſit ſine morâ expediri Bullam Supplendo priorem omiſſionem termini *Inſignis*: quâ exhibitâ pacificam poſſeſſionem conſecutus eſt D. de Lupè.

Ita ſemper ſui muneris eſſe judicarunt canonici, et alij jus habentes ſtricte invigilare ne ob eorum negligentiam, aut incuriam ex hujuſmodi omiſſionibus præjudicium patiatur qualiſcunque prærogativa ſuæ Eccleſiæ, cujus conſervandis juribus, et privilegiis Solemni juramento in primâ inſtallatione obſtringuntur. quapropter fixum habet ab immemorabili capitulum, et Clerus Armacanus nullum agnoſcere, aut admittere ſuum Metropolitanum, niſi in Diplomate inſtitutionis expreſſis, vel æquivalentibus terminis declaretur Armacana Eccleſia *totius Hiberniæ Primatialis*

146. Ex dictis non abnuit Petrus Dubs. poſſe Summum Pontificem non in capite Regni, ſed in aliquâ ignobiliori Civitate collocare Primatum. et certè non tantum poteſt, ſed reverà ita collocavit, alioquin nullus reperiretur in Occidente verus Primatus, cum omnes conſtituti ſint in Urbibus inferioribus, unde iterum patet quam abſonum et ineptum ſit aſſerere quod conſuetudo et praxis Eccleſiæ ſtatuant Primatum collocandum in capite Regni. et etiam hoc gratis dato nihil ad Dublinium nunquam caput Hiberniæ ante annum. 1172. vid. num. 44. et 46.

Sed

Sed quærendum remanet, cujus conditionis, aut naturæ cenſeri debeat ſupremâ authoritate collocatus in ignobiliori civitate Primatus, de cujus conceptu Eſſentiali, et definitivo prætendit collocationem in capite, ſeu Metropoli Regni, et inde aſſumat probandum a *priori* Primatum Dublinienſem? poteſtne Summus Pontifex quantum vis ſupra Leges humanas conſtitutus immutare Eſſentias rerum? et hinc etiam habes, quam inanis, et imaginaria ſit a Petro Dubs. excogitata definitio Primatus.

147. Qui fol. 71. jactat " pro Primatu Dublinienſi ſtare Litteras " Regum Angliæ, Principum, Legatorum, Generalium non unius " ſed plurium ordinum, Libros a viris doctis et prudentibus in lucem " editos, imo ab ipſo Colgano Adverſario, in quibus omnibus ait " inveniri titulum Primatis Hiberniæ collatum Archiepiſcopo Dub- " linienſi " quanto putas avidiùs arriperet, et ſolidius, ac exultantius, et meritò quidem gloriaretur ſi vel unicum adducere potuiſſet diploma Romani Pontificis ſibi, aut prædeceſſoribus conferentis denominationem Primatis? facilis eſt enumeratio, et Arithmetica multiplicatio Super raſa charta æque patenti falſo, ac vero.

148. Sed qui alias tot ſuperfluis, et inutilibus indulget tautologiis infra recenſendis, nunc in facto exorbitante ab omni veroſimili apparentia non tam parcus laboris contentus vaga denunciatione, aliquos ſaltem ex dictis Principibus (prætenſas enim Regum litteras jam penſavimus num. 124, et 125.) Legatis, Generalibus ordinum, aut Sapientum libris conſulendis in fonte, et tam inſoliti aſſerti veritatem evicturis indicaret Singillatim. Nominibus fortè caruerunt, et reali Exiſtentiâ extra beneplacitum imaginantis?

Potuit quidem contingere, et forſitan quandoque contigit, ut Archiepiſcopi Dublinienſes innixi commento Joannis Allani Primates Hiberniæ ſe ſubſcripſerint in Litteris ad viros Primarios, qui viciſſim ſine diſcuſſione, aut ulteriori indagine, ſed obiter ex conſuetâ urbanitate in ſuis reſponſis eundem titulum retulerunt: ſicut haud dubie feciſſent reſpondendo Archiepiſcopo Tuamenſi, ſi ille in ſuis pariter ad eos Litteris ſe Primatem Hiberniæ inſcripſiſſet. nullus tamen Sapiens (ni fallor) ex hujuſmodi quantumvis Venerabilium Perſonarum perfunctoriis reſcriptis ſolidum deducet Argumentum, aut etiam apparentiam pro aſſerendo Primatu, ſecluſis inſtitutionibus Summi Pontificis, cujus eſt ſolius declarare, et conſtituere Primates.

149. Fertur Definitorium Provinciale Patrum Prædicatorum hujus Regni ab aliquot annis in Litteris ad Archiepiſcopum Dublinienſem vocaſſe illum *Primatem Lageniæ*, id tamen non niſi incongruè et impropriè aut juxta figuram Synecdoches Sumpto etiam vocabulo *Primatis* in latâ illâ, et inferioris ordinis Significatione, quâ communiter attribuitur Archiepiſcopis in ſuis reſpectivè Provinciis, cum prope dimidium Lageniæ (viz. Comitatus Louthæ, Midiæ, Weſtmidiæ, Longfordiæ, et Regis) jure Metropolitano Subſit Armacano.

Unde in præfatâ Significatione, juxta verum Senſum, Dublinienſis Præſul dicendus eſſet Primas duntaxat dimidiæ Lageniæ, vel ſuper quatuor Diæceſes in Lagenia Suffraganeas, relictâ Oſſorienſibus curâ inveſtigandi an id ipſum competat, aut etiamnum Subſiſtat exemptio a juriſdictione, et Superioritate Archiepiſcopi Dublinienſis, quam in Curiâ Romanâ an. 1347. obtinuiſſe Richardum le Drede Epiſcopum Oſſorienſem tradunt Lucas Waddingus annal. Minor. tom. 7, Joannes Clynnus Minorita in Suis Annalibus Hiberniæ, et refert de præſul. fol. 144. Wareus, qui ejuſdem Clynni honorabilem habet mentionem lib. 1. de Scriptor. Hibern. cap. x.

150. Nec obſtat quod SS. Fiecus, Laurentius o Tuathill, et alij a pud patrios Hiſtoricos quandoque nuncupentur Archiepiſcopi Lagenienſium. Tunc enim Provincia Lageniæ multo arctioribus finibus quam modo circumſcribebatur, accreſcentibus poſtmodum Pragmaticâ Regiâ quatuor Comitatibus Louthæ, Midiæ, Weſtmidiæ, et Longfordiæ, quorum primus continetur in ipſâ diæceſi Armacanâ, reliqui tres (ut jam vidimus) ſubſunt Primati in ſpiritualibus jure Metropolitano. longe potiori ratione ſe ſuarum Provinciarum Primates exararent Archiepiſcopi Caſſellenſis, et Tuamenſis, ſiquidem ille præeſt toti Momoniæ, hic Conaciæ, ſi comitatum Letrenſem excipias ſubjectum Armacano, et quilibet eorum, præſertim Caſſelienſis multo plures complectitur Suffraganeos.

151. At Præſuli Dublinienſi titulum Primatis confert *Colganus adverſarius.* quo quæſo loco, aut ſcripto? ſcilicet in dedicatoriâ ad ejuſdem ſecum Seraphici inſtituti, et antea in ſcholis Magiſtrum ſuum (cujus impenſis ipſum opus impreſſum fuit, et induſtriâ libri, ac antiqua Monumenta, quibus elucidatius prodiret, ſubminiſtrata fuerunt, ut ibidem declaratur) Rmum. Thomam Flemingum Archiepiſcopum Dublinienſem epiſtolâ, in quâ ex communi loquendi modo, ſeu uſitatâ urbanitate ſolent plerumque dedicantes non tantopere expendere, quid

quid verè competat, ſed quid placeat, vel arrideat Patronis de magnificis præſertim (quos aſſumunt) titulis, ac auribus ſervire potiùs quam ad ſedulæ diſcuſſionis trutinam hujuſmodi titulos, vel encomia ponderare. Etenim ipſe Apoſtolus Paulus alloquens Præſidem Feſtum virum Ethnicum idololatriæ ſuperſtitionibus, et ſordibus commaculatum, imo et ipſi Paulo impiè inſultantem Religioni non duxit *optimum* appellare, *optime Feſte*, act 26. etſi ſciret dictum juxta ſaniorem verborum intelligentiam *Nemo bonus niſi unus Deus* Marc 10. non alio cenſetur ductus motivo Juſtinus Martyr dum in Apologia apud Euſebium, lib. 4. cap. 12. Senatum Romanum, etſi Chriſtianorum perſecutorem infenſiſſimum, idolorumque cultu profanum, *ſacrum* nominat.

152. Sed in doctis, et eruditis a Colgano editis voluminibus, quibus ſolidè, et de induſtriâ exhibet vitas, et geſta Sanctorum hujus Regni, ac pro re natâ de eccleſiarum tum Cathedralium, tum inferiorum erectione, et dignitate, deque iis (qui inſtituerunt, præfuerunt, aut coluerunt) Præſulibus, aliiſque ſpeciali notâ dignis in Vineâ Domini collaboratoribus abundè differit, nulla mentio Primatûs Dublinienſis, alteriuſve illius Sedis prærogativæ, niſi tantummodò Archiepiſcopalis. quæ autem unquam contigit ſimultas Colgani cum Dublinienſibus, ut *Adverſarius* reputaretur? an quia natus in Ultonia? abſit tam iniqua præſumptio, vel etiam ſuſpicio a Præſule Catholico, ut ex loco Originis virum Religioſum ſuis ejuſdem Regni, et Nationis concivibus cenſeat adverſari, certè non cohæret juſto, et ſalubri ipſius Petri Dubs. monito in præfatione, de amovendo ridiculo, et pernicioſo diſcrimine Provinciarum Hiberniæ.

Fuit Colganus ordinis Seraphici, Religione, et pietate inſignis, Sacræ Theologiæ in Collegio Lovanienſi tot annis Profeſſor emeritus, in antiquitatibus, et Hiſtoriis tum Hibernicis, tum extraneis peritiſſimus, a contemporaneis, et poſterioribus Scriptoribus multum celebratus, cujus opera, et eruditionem ſublimibus elogiis exornant viri doctiſſimi Nicolaus Verneleus, Jacobus Pontanus, aliique Doctores Lovanienſes cum Patribus Societatis.

153. Animo revolvens Religioſus vir calamitoſiſſimis temporibus quibus ob confeſſionem fidei Catholicæ ſpoliarentur, et opprimerentur Hiberni noſtri ingenti fructu quem ex vitis Sanctorum ſuorum diligenter lectis percipere poſſent, eos privari doluit vehementer, et ex innumeris pænè Sanctis quorum tantâ copia affluebat olim Hibernia, ut SANCTORUM INSULA jure nominaretur non multos inno-

innotuiſſe quia eorum geſta in tenebris deliteſcerent, doluitque ex his, qui in lucem publicam prodierunt, pleroſque attribui modernis Scoto-britannis ex errore nominis *Scotiæ*, quod primitus proprium, et ſpeciale Hiberniæ noſtræ fuiſſe nullus poteſt eruditus ignorare, et invictiſſime probant, inter alios, Thomas Meſſinghamus tract. præamb. ad florileg Sanctor: Gratianus Lucius a pag. 219. et Uſſerus de primord, pag. 729. et ſeqq. doluit quoque ipſos Sanctos, quod incogniniti eſſent, debito honore ab hominibus non affici.

154. Sanctorum igitur, et Patriæ zelo commotus arduo operi manum impigrè appoſuit, abſtruſa pervolvit, diſperſa collegit tam vetera manuſcripta quam Typis edita Monumenta, nonnulla vernacula latinitate donavit, ac ſervato dierum, et menſium ordine, ſimulque aſſignato loco, et tempore nativitatis ſine diſcrimine Provinciæ, Diæceſis, aut familiæ vitas Sanctorum publico conſpectui exhibuit, eoſque ab impetitione recentiorum Scotorum ſtrenuè vindicavit: tamque ſedulò, et feliciter negotium confecit, ut omnes quibus cordi eſt fama, aut decus hujus nationis unanimiter concinant Gratiano Lucio, ſeu Joanni Lynch Archidiacono Tuamens, pag. 160. quod *præ cæteris indefatigabili ſtudio admodum Rus. Pater Joannes COLGANUS S. T. Profeſſor emeritus, ac Scriptis de Patriâ optimè mortalium meritus deſudaverit.*

155. In tantâ ſerie Sanctorum emicabant, et juxta hominum æſtimationem præcellebant (Agmen ducente S. Patricio) ad minus triginta inter Sanctos relati Archiepiſcopi Armacani, quorum geſta proſecutus ſinceré renſuit quantâ ſedulitate, et curâ invigilaverint tum gregis ſui, tum totius Regni incolumitati curſu viſitationis omnia perluſtrando, Nationalia concilia indicendo ad Diſciplinæ Eccleſiaſticæ (ſi qui abuſus irrepſiſſent) reformationem, et cleri, ac populi Mores in melius mutandos, cæteraque ex præſcripto canonum perficiendo authoritate Primatiali, nihil fingens, aut comminiſcens de ſuo, ſed ſicut in Venerandæ Antiquitatis Monumentis Patriis Annalibus, probatæ, et integræ vitæ Authoribus (quorum alij Sanctis dudum adſcripti, alij Sanctitatis opinione, omnes eruditionis, et pietatis commendatione conſpicui) deprehendit, propriis paſſim ipſorum verbis fideliter Scriptis conſignavit.

156. Et ſi ex hoc *Adverſarius* cenſeri mereatur Dublinienſium, quid de ſupra enumeratis, et aliis infra enumerandis tot Nationalibus, et externis primi nominis Scriptoribus, quid de ipſis Lagenienſibus

ſibus Authore Annalium de Clunenagh, de Rmo. Rotheo, P. Richardo Arſdekin, Thomâ Meſſinghamo, Thaddeo Dowlin Cancelario Leighlinenſi, quid de Monacho cænobij Sancti Salvatoris, ejuſque Abbate Carolo Cavanagh in Comitatu Kilkennienſi? numquid omnes Adverſarij Dublinienſium? an etiam Adverſarius Dublinij natus, et commoratus Wareus (meritò fatente Rmo. Talboto) in Antiquitatibus Hiberniæ optime verſatus, qui ex iiſdem limpidiſſimis fontibus eaſdem, quas Colganus, deprompſit aquas, et cum eo concordat, ut videre eſt in ſuis Hiberniæ Annalibus, et antiquitatibus, ſed potiſſimum in tractatu de Præſulibus Armacanis per totum.

157. Hoc habent ſpeciale nonnulli, ut quotquot erroribus ſuis quantumvis juri, et apertæ veritati contrariis non blandiuntur, Adverſarios exiſtiment, quales expertus fuit Iſaias Propheta, cap. 30. dicentis: *Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* et quamvis tantus eſſet Colganus ut obſtruſiora quæque, et magis ambigua de rebus geſtis, et tranſactionibus Eccleſiaſticis hujus Regni, ejus ſolius calculo elucidari, et enucleari poſſent, illum tamen prætermiſimus, ſicut Rmos. Petrum Lombardum, Hugonem Cavellum, alioſque Armacanos, et Ultonienſes Authores (vid. num. xi.) ne teſtes affectu præoccupatos (etſi ab omni falſitatis ſuſpicione alienos) in tam claræ cauſæ patrocinium afferre videremur habentes aliundè ſuperabundantes probationes, et invictiſſima documenta.

158. Aſſeruit in præfatione P. D. pari ſaltem numero eſſe, authoritate verò longè majori, qui Primatui Dublinienſi ſuffragentur, quam Armacano. Sed cum non nudis, et inanibus verbis, ſed experimento id probandum eſſet: prodiit in arenam unicus Thomas Rivius, qui exhauſtâ bile tot conviciis jactis in Eccleſiam Armacanam redditus accuratior fatetur Armacanam ſedem ritè ad Dignitatem Primatialem tandem evectam, et quidem totius Hiberniæ (vid. num. 104, et 111.) ita ſimiliter pro ſupra memoratis Libris (quos a viris doctis et ſapientibus in lucem editos affirmat) conferentibus Archiepiſcopo Dublinienſi titulum Primatis, veroſimile eſt unicam adducendam ejuſdem Rivij Satyram. conſului quos potui Authores, ac Libros pervolvi, et ſincerè teſtor in nullum me incidiſſe, qui vel fumum faciat, aut levem apparentiam exhibeat fictitij Primatus Dublinienſis.

159. Dicit fol. 46. Samuelem Epiſcopum Dublinienſem a S. Anſelmo Cantuarienſi, " reprehenſum, eo quod tanquam Metropolita-

" num

" num Hiberniæ, ac Primatem ſe gerebat antequam ſedes illa pallis " decorata fuiſſet." ſed lege ſi placet, (quæ eſt veter. Epiſt. Hibern. Syllog. pag. 99.) ad Samuelem deſuper S. Anſelmi epiſtolam, in quâ ne mentio quidem Primatis, aut Metropolitani Hiberniæ. Sed hic oportuit, ſicut paſſim alibi, adulterare textum, ſenſum corrumpere, ut crederet incautus Lector etiam S. Anſelmum ſenſiſſe quod ad dignitatem Primatialem, ſeu Metropolitanam Hiberniæ non defuerit Præſuli Dublinienſi, niſi acquiſitio pallij a Romano Pontifice, quo accepto confeſtim fierat Primas.

Præſumpſit quidem Samuel (et in eo merito reprehenditur, quamvis non niſi in anguſtâ parochiâ Diæceſis Glandelacenſis noviter conſtitutus Epiſcopus) jubere portari crucem ante ſe in viâ, quod dicit S. Anſelmus non pertinere niſi ad Archiepiſcopum a Romano Pontifice pallio confirmatum, addens quod (utinam debitè obſervarent abſtinentes a novis, et indecentibus attentatis Recentiores Dublinienſes) *neque decet te ut ullâ præſumptione inſolitæ rei te notabilem, et reprehenſibilem hominibus oſtendas.* Sicque ab incunabulis orta immoderata ambitio Dublinienſium mimice æmulantium Armacanos (qui Prærogativæ ſuæ Primatiali competentibus inſignibus utebantur) poſtea adolevit gradatim, et tandem crevit in immenſum.

160. Magni ponderis argumentum imaginatur eod fol. 46 Primatum Hiberniæ Dublinienſis ſedi per Cardinalem Paparonium ab Eugenio tertio ſimul cum pallio fuiſſe collatum, quod Dublinienſes per hoc pallium exempti fuerint a juriſdictione Cantuarienſis Archiepiſcopi, cui antea Subjiciebantur, quoniam ab illo ſolerent primi Danorum Dublinium occupantium Epiſcopi munus conſecrationis accipere, adeoque Pallium illud fuiſſe Primatiale. Sed doceret nos Author quo pallio hactenus ſeſe contexerint a juriſdictione Cantuarienſium Præſules Waterfordienſes, et Limericenſes nunquam Primatiali, aut Archiepiſcopali pallio donati, ſed Suffraganei remanent Archiepiſcopo Caſſelienſi, cum eorum Prædeceſſores (Danis occupantibus Waterfordiam et Limericum) conſecrari pariter conſueviſſent a Cantuarienſibus: Wareus de antiquit cap. 24. ad an. 1096, et 1140, et de præſul fol. 183, ac 191, et ſi aptam rationem adduxerit, illam reperiet meritò applicandam caſui ſuo.

161. Teſtantur Annales hujus Regni quanto devotionis, et obſequij ſtudio S. Patricium ejuſque Succeſſores in ſede Armacanâ a primâ converſione proſequerentur Dublinienſes, qui non dubitarunt præter

ter præsens oblatum S. Patricio munus, Sempiternâ Religione se obligare ad annuum Redditum Sancto Patrono, ejusque Successoribus *Primatibus* Armacanis persolvendum; de quo fusius Jocelinus in vita S. Patricij cap. 71. Usserus de primord pag 862. et Gratianus Lucius pag. 186.

Verum hanc Melodicam Harmoniam inter caput, et membra turbarunt, sicut et Hiberniæ Ecclesiæ eousquè mirificè coruscantis faciem miserum in modum defædarunt Sæculo nono irruptiones Ethnicorum Danorum, qui Sacra, et profana ferro, flammisque depopulantes Indigenas immanissimâ, et Egyptiacâ Servitute (quam pag. 303. ex Ketino, aliisque Authoribus describit Lucius oppresserunt, principante crudelissimo Tyranno Turgesio, qui non Dublinij sed in Agro Midensi dominatus sui Sedem fixit prope Fouram, ubi ejus fortalitij rudera etiamnum visuntur.

162. Extincto tandem Turgesio stratagemate Malaghlini Regis, et Danis partim cæsis, partim domum fugere compulsis, non multo post tempore (ut perhibent Giraldus Cambrensis topograph. Hibern. lib. 3. cap. 43, et Wareus de antiquit cap. 24. ad an 853) de Reliquiis Gentis prioris, qui vel oculatâ fide, vel Majorum relatione Terram optimam noverant, in Hiberniam appulerunt Ducibus tribus fratribus Amalao, Sytharaco, et Jvoro: ac sub pacis obtentu, et mercaturæ exercendæ prætextu de assensu Principum Terræ constructis (potius munitis) tribus civitatibus Dublinio, Waterfordiâ, et Limerico: Dublinij principatus cessit Amalao, Waterfordiæ Sytharaco, Limerici Jvoro. at dissimulatam pacem non diu sustinuit Gens fædifraga pessimorum Parentum iniquissima Soboles, sed ex quo Civitates fossatis, et muris accuratè cinxerant, antiquas inimicitias altâ mente repositas renovare, et acriter rebellare cæperunt Summâ immanitate circumquaque grassantes.

163. De atrocibus, et cruentis Dublinienſium continuâ Serie bellis cum Hibernis fusè Scribunt Wareus dict cap. 24, ac Lucius pag. 78, et Seqq. quot Regum, et Principum cædes, quot Millenorum hominum Strages dum Hiberni suos, et Ecclesiæ Dei infensissimos hostes Regno depellere, et amissas possessiones recuperare satagerent: illi vicissim possessa conservare, imo novis indies copiis e Norvegiâ Subvenientibus adjuti niterentur dilatare terminos suos; in tantum mutuis odiis exasperantur utrinque, ut Dani etiam conversi ad fidem aversantes commercium, et consuetudinem Hibernorum, ne inde ex

 ciderent

ciderent tandem usurpato dominio primos Episcopos suos in Hibernia consecrari detrectaverint. Magis sacrilego consilio etsi forte non multum absimili ratione politica Jeroboam 3. Reg 12 *dixit in corde suo, nunc revertetur Regnum ad domum David, si ascenderit populus, ut faciat Sacrificia in domo Domini in Jerusalem.*

164. Suos ergo Episcopos miserunt Cantuariam id ægrè ferentibus (ut fatentur ipsi Dublinienses epistolà ad Radulphum Cantuariensem Syllog. veter. epist. Hibern. pag. 100) et reclamantibus Præsulibus Hibernis, maximè Armacano indignante hujusmodi prævaricationem in Authoritatem Suam, et Sacros canones strictè inhibentes consecrari Episcopum absque assensu sui Metropolitani: edicit enim canon Sextus Nicæni primi: si *quis absque Metropolitani Sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit non oportere Episcopum esse.* concordat canon quartus ibidem; et ob similem prævaricationem contra jus Metropolitani Bremensis, seu Hamburgensis Archiepiscopi acribus litteris ad Haraldum Norvegiæ Regem conquestus fuit Papa Alexander 2. vid Baron ad an 1062.

Plures ejusmodi Constitutiones referuntur dist. 64, et 65, quarum Observantiam viguisse in Ecclesiâ etiam in fine Sæculi duodecimi visum est Supra num 118. nec Primati tantum irrogarunt injuriam, sed etiam Episcopo Glandelacensi, in cujus diæcesi Dublinium fuit parochia: quoniam statuit canon 65 Concilij plenarij Carthaginensis Sexti, (cui Subscripsit qui aderat cum ducentis Septem, et decem Episcopis S. Augustinus) ut *plebes quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex plenario concilio cujusq; Provinciæ, et Primatis, atque consensu ejus ad cujus diæcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant.* idem antea statutum fuit concilij Carthaginensis quarti can. 42.

165. Conformiter ad hæc de se testatur S. Augustinus epist. 261. ad Cælestinum Papam, in suæ Diæcesis Hyponensis oppido Fusallâ Sedem novam feciisse Episcopalem, cui primum præfecit Episcopum Antonium de *consensu Primatis Numidiæ*, cui Subjecta erat Hipponensis Ecclesia. at illa non morantur transgressores Dublinienses concepto in Gentem hibernicam implacabili odio, et retinendæ usurpationis avidissimo studio plus obsequentes quam colendis Regulis Ecclesiasticis.

Addunt Doctor Ketinus lib. 2. pag. 53: et Petrus Walesius in suo prospectu Hiberniæ pag. 256. veritos ne exclusis prælaturâ Concivibus

suis

ſuis Subjicerentur Epiſcopis Hibernigenis, ac in Synodis Electionibus, aliiſque conſeſſibus Hibernorum Superarentur Suffragiis, maluiſſe (ſegregatam ab Indigenis Eccleſiam affectando) ordinationem accipere a Normannis ſuis Cantuarienſibus, quoniam Angliâ nuper potiti fuerant Normanni, ad quorum originem ex communi Stipite Norvegienſium referebant genus Suum. ſiquidem Scriptor vitæ Griffithi filij Cononi apud Wareum de antiquit cap. 24: et Uſſerum Syllog veter epiſt pag. 163. tradit " unum e tribus illis fratribus qui in " Hiberniam venerunt, cum Norvegienſibus ſuis in Galliam conceſſiſſe, " et Francis devictis Sedes in Normanniâ fixiſſe; hunc Rodolphum " ille vocat, quem alij Rolonum, a quo Gulielmus, et alij Normanni, " qui in Angliâ regnaverunt, Genus deducunt Suum.

166. Popularium ſuorum Dublinienſium exemplum eodem ducti motivo imitantes Dani Waterfordienſes, et Limericenſes ſuos pariter Epiſcopos initiandos direxerunt Cantuariam: ſicque perduravit Tranſgreſſio donec ſubactis tandem dictis tribus civitatibus, viribus potiſſimum, et armis Regum ô Briennorum adveniens Legatus Apoſtolicus Cardinalis Paparonius Archiepiſcopo Momonienſium authoritate S. Celſi nuper inſtituto Caſſeliæ avulſas violentiâ Danorum reſtituit, et Subjecit Sedes Waterfordienſem, et Limericenſem. videatur Wareus de antiquit cap. 16. fol. 75. idem Legatus deambulatorium antea Archiepiſcopatum Lagenienſium, et nullo tempore obnoxium Cantuarienſibus fixit Dublinij, illius Sedis Epiſcopo Gregorio tradito Pallio: et *Armacanum Archiepiſcopum ſuper omnes alios (prout decuit) Primatem ordinavit.* Collige dicta Superius num. 16. et Seqq.

167. Unde Gregorij Succeſſor S. Laurentius o Tuathill non Cantuariæ, aut a Cantuarienſibus, ſed Dublinij in Eccleſiâ SS. Trinitatis conſecratus fuit a Gelaſio Archiepiſcopo Armacano an. 1162: Wareus ad dict an. de Antiquit cap. 24. et de Præſul fol. 105. ſed Author vitæ S. Laurentij, quam pure Sincereque (aſſerente Baronio) Scripſit pius eruditus. et Synchronos Monachus Abbatiæ Augenſis in Normanniâ, ubi beatus vir feliciſſimum curſum conſummavit an. 1180. et Surius 4. Novembris cap x hæc habent: *a Gelaſio totius Hiberniæ Primate in ipſa Dublinnienſi Eccleſiâ multis Epiſcopis præſentibus Gratias agente Populo conſecratus eſt* (Laurentius) quæ non ab Adverſariis, vel Armacanis, ſed ab ipſo S. Laurentio, aut concomitantibus Dublinienſibus didicit Author.

168. Qui ibidem Beatum Laurentium ejuſque prædeceſſorem Gregorium *Archiepiſcopum* vocat, non *Primatem*, titulum ſcilicet tunc temporis, et multis retrò ſæculis nunquam attributum, aut aſſumptum a Præſulibus Dublinienſibus uſque ad commentum Joannis Allani cum Armacani ab erectione ſuæ ſedis *authoritate Romani Pontificis in totius Inſulæ principem Metropolim*, nominarentur ſemper, et veri eſſent *totius Hiberniæ Primates.* hinc factum eſt, ut quam obedientiam, et ſubmiſſionem obtentu conſecrationis, Archiepiſcopis Cantuarienſibus ſponderent Dublinienſes Antiſtites, eodem titulo, et veteri Prærogativâ Primatiali debitam poſtliminio recuperaverint Armacani. Et tandem contigit, ut duabus Nationibus Hibernicâ, ac Danicâ coaleſcentibus in unam ſub uno Monarchâ, unoque Primate Præſules Cantuarienſes quod ſupererogationis officium præſtiterunt declinantibus a proprio capite mox ſubtraxerint, ſicque ab eorum juriſdictione Waterfordienſes, et Limericenſes acquiſiverunt abſque pallio Libertatem, quam Dublinienſes cum ſuo Pallio, etſi non Primatiali aſſecuti ſunt.

169. Præmiſit tamen Petrus Dubs: in præfatione ſui Libelli quod Sedis Dublinienſis *Primatus* (adderet imaginarius) *non ſuam vel ex impotenti Danorum libidine, vel eorumdem Sævo in Gentem Hibernicam odio, non etiam ex Anglorum dominatu, aut gentis æmulatione pertraxit originem, Sed eam veterum Hibernorum Regum* (ô *Brienorum imprimis de gente*) *pietati, ſtudio, ac operæ acceptam meritò refert, hi enim Regiam Urbem, Regnique Metropolim, Eccleſiæ canones ſecuti tam ſummo Sacerdotio, quam Regio faſtigio cæteris ſupereminere, et voluerunt, et res ex voto ſucceſſit* (ſi ſuperis placet) et fol. 36. *piiſſimi Hiberniæ Monarchæ Terdelachus, et Muriertachus o Brien Primatum Dublinij figere maximè cupiebant, de quorum pietate, zelo, et affectu erga Præſules Dublinienſes vide litteras SS. Lanfranci, et Anſelmi apud Baron annal Tom.* XI. et fol. 44. *non dubito quin duo præfati Monarchæ Primatum Dublinienſem tanquam remedium opportunum* (ſcilicet contra octo uxoratos oppreſſores Eccleſiæ Armacanæ) *petierint a ſede Apoſtolicâ, et aſſecuti ſint.*

170. Sicut hæc ex ſcrinio vagantis imaginationis ſine teſte, ſine Tabulis gratis afferuntur, ita tanquam indigna reſponſo, et attentione rejici, et deſpici meritò poſſent. Verum ut urbaniùs cum confingente agamus non tricis, aut futilibus cerebri adinventionibus, ſed ſolidioribus argumentis convincamus erroris. recenſitis tum totius Hiberniæ,

tum

tum Provinciarum Legibus, qui omnes (ut jam notavimus num. 163. ex Wareo, Gratiano Lucio, &c.) perpetuò Dublinienſes truculentiſſimos Patriæ hoſtes exagitabant, et plures contra illos in acie fortiſſimè dimicantes ceciderunt ; Aillilius Rex An. 871. Edanus 888. Angavius Regis filius 916. Nellus Glunduff Rex 919. Mortachus 943. Congelachus Danaldi Regis filij 977. Brienus 982. Brienus Borrous ſive Borruma 1014, &c. hæc ſingillatim ex Wareo dict. cap. 24. de antiquit, quem utpote civem Dublinienſem, et Adverſariis propterea nullâ ratione meritò ſuſpectum hic, et alibi libentius citamus. quis autem unquam vel ſemiſomnis arbitrabitur his, vel aliis veterum Hibernorum Regibus, qui meliori Succeſſu Dublinienſes toties profligarunt, fictitij Dublinienſis Primatus originem referendam ? aut ab illis ulliſve Regni Comitiis caput, vel Metropolim conſtituendam in Spiritualibus, aut temporalibus hoſtilem civitatem Dublinienſem, idololatriæ ſordibus tamdiu conſpurcatam ?

171. Sed ut redeamus ad Regiam ô Brienorum familiam, cujus caput, et inclytum decus (a quo et cognomen deſumpſit) Brianus Borrous Republicâ optimis legibus ſtabiliendâ, et gloriâ militari, Hibernorum Regum nulli ſecundus : *Eccleſiaſticos* quoſque (verba ſunt Gratiani Lucij, pag. 305.) *per turbas a Danis excitatas ex Eccleſiis, et Redditibus deturbatos ad priſtina jura poſtliminio revocavit, præterea omnes ingenij, virium, opum, ac potentiæ nervos ad Religionem Catholicam Sartamtectam conſervandam, et a Danorum injuriis vindicandam intendit, nulla pericula declinans, quibus illorum furorem compeſceret, ac manus eorum a ſacris rebus damno afficiendis coerceret - - - - - Iniſcathiam a Danis inſeſſam An. 975. armis expugnavit, profligatis, et illinc abactis Danicis copiis, eorumque Ducibus Amaro, ac ejus filiis Amnalo, Dubgenioque, imo ſuſcepto ſemel conatui Hiberniæ Danorum unguibus bello eripiendæ adeo mordacius, et conſtanter inſtitit, ut prælia præliis annectere nunquam antea deſtiterit, quam in pugnâ ad Patriam, et Religionem tuendam, vitam denique poſuerit, ut hinc eum Joannes Wilſonus in ſuum Martyrologium, et Pater Fitzſymons in Catalogum Sanctorum Hiberniæ retulerit, utroque Marianum Scotum imitato.*

172. Hactenus Lucius poſtquam pag. 79. aſſeruit Brianum viginti quinque Victorias ab hoſtibus retuliſſe. En quomodo Sanctorum conſortio, ac præmio dignus eſt habitus Brianus Monarcha, quia ſummo, et Chriſtiano Zelo omnem conatum adhibuit ad deprimendam hoſtilem, et Paganicam Urbem Dublinienſem. et Wareus, cap. 4. de antiquit.

tiquit dicens *Brianum ob animi virtutes Principem celeberrimum, qui Danos multis prœliis vicit* ; perhibet cap. 24. ad An. 1013. quod *Lagenia primum a Murchardo filio Briani Borroi, deindè a Briano ipso ad muros usque Dublinij misere direpta sit, Lagenienſibus interim, et Oſtmannis pace inter ſe factâ conjunctis copiis ſe ſuaque fruſtra tueri nitentibus.*

Sub initium anni 1014, *vel paulò ante Brienus Borrous Rex cum pluribus Hiberniæ Regulis egit, ut conjunctis viribus Sytricum, omneſque Oſtmannos Dublinij, utpotè publicos Regni hoſtes ex Hibernià expellere conaretur, Sytricus contra certior factus quod Brienus moliebatur, nullum non movit lapidem, ut ſe ſuoſque propugnaret, pace igitur cum Melmurio Murchardi filio Rege Lageniæ factâ ſuppetias tam ab eo, quam a Danis ſive Norvegis, qui Manniam, et Hebrides incolebant, obtinuit, magnis copiis ſic utrinque coactis concurritur tandem Clontarfæ prope Dublinium Aprilis* 23. *ubi poſt longam acerrimamque pugnam Victoria* (*ſic plerique habent*) *ceſſit Brieno, qui tamen ex vulnere quod in prælio acceperat mortifero mox expiravit*, ita Wareus.

173. Rex Terdelachus o Brien Brieni Borroi e Thadæo filio nepos avitæ necis ultor, et odij in Dublinienſes Hæres illos acriter inſectatus fuit, ac fractis eorum viribus, et ferociâ ad deditionem victricibus armis compulit, nec tamen Dublinij, ſed in ſua urbe Kincorâ Regiam habuit, et diem clauſit extremum : Wareus de antiquit cap. 4. et Lucius pag. 82. defuncto Terdelacho populus ille graſſationibus, et rapinis aſſuetus ægrè jugum ferens ſub rege Muriertacho o Brien Terdelachi filio ter rebellavit conſtituto ſibi Rege, ſeu Regulo Godefrido, quem totidem vicibus expulſo Godefrido perdomuit Muriertachus : Gratianus Lucius ibid.

De expeditione Regis Muriertachi in Dublinienſes, ac ejectione, *Reguli Godefridi Merenagh* (ſic eum vocans) tractat Wareus, cap. 24. de antiquit ad An. 1059. et hanc civitatem primò oppidulum uſque ad An. 853. deindè ab infeſtiſſimis hoſtibus inſeſſum donec vi ſubjugavit Rex Terdelachus circa annum 1074. poſtea ſub Muriertacho toties perduellem, adeoque atrociora quæque ſupplicia merentem, voluerunt *veterum Hibernorum Reges, et imprimis o Brienorum de Gente Terdelachus, et Muriertachus maxime cupierunt Primatialem efficere, ut non dubitet* Petrus Dubs. *quin Primatum Dublinienſem petierint a ſede Apoſtolicâ, et aſſecuti ſint.*

174. Et

174. Et quid unquam dubitabit, qui tantum, tamque confidenter vanis ſuis conjecturis, et imaginariis proprij cerebri adinventionibus contra notorietatem publicam, et lucidiſſi nam veritatem indulget, meminiſſet ſcriptum Eccle. 19. *qui credit cito, levis eſt corde, et minorabitur*, ac ſenſiſſe Epicarmum apud Ciceron, de petit conſulat, nervos, atque artus eſſe Sapientiæ non temerè credere. Et quamvis verè caſu fortuito Armachia decideret Primatu, illum proculdubiò Monarchæ ô Brieni Momoniæ prius quam totius Hiberniæ Regis (Wareus de antiquit cap. 4.) non alibi, ſed Caſſelliæ, quæ Regum Momoninienſium præcipuum Habitaculum fuit (Wareus de Præſul, fol. 160, et 162.) cuperent maximé collocandum.

Siquidem (ut ſcribit Lucius, pag. 83.) Rex Muriertachus Lethmoæ Proceribus, et Præſulibus Caſſeliam accitis Huadunano Epiſcopo annis ſupra cæteros venerabili præſente facinus a deceſſorum nemine præſtitum edidit, nimirum Caſſelium Domicilium ante Momoniæ Regum a Regibus alienavit, et in Eccleſiaſticos *pro ſuo erga Deum, et S. Patricium ſtudio* immunem Tributo contulit. num putas etiam Primatum (ſi vacaret, aut ambiguus foret) illi Eccleſiæ, non Dublinienſi in Urbe hoſtili, et rebelli ex voto Regis Muriertachi conferendum?

175. Sed quid de Terdelachi, Muriertachi *pietate, Zelo, et affectu erga Præſules Dublinienſes colligendis per litteras* (ſi credimus Petro Dubſi.) *SS. Lanfranci, et Anſelmi apud Baron. Annal. Tom* XI? vagæ hæc eſt remiſſio, annum apud Baronium deſignaret, non integrum Sæculum. at pervolveret in fonte duodecim Tomos Annalium Baronij, vel (ubi ad longum perhibentur ſyllog. veter. epiſt. Hibern. fol. 71, 93, et 95.) Litteras Lanfranci, et Anſelmi ad præfatos Monarchas Terdelachum, et Muriertachum, itidem, pag. 97. Muriertachi ad Anſelmum epiſtolam, et ſi in iis voculam, aut mentionem Primatis, ſingularis affectûs, alteriuſve ſpecialis prærogativæ Præſulum Dublinienſium præter Simplicem Epiſcopalem Ordinationem, ad quam Terdelachus, et Muriertachus conſenſerunt, et petierunt promoveri Patricium Donatum, Samuelem, et Gregorium Epiſcopos Dublinienſes coarctatos intra muros urbis repererit, obliterentur a me dicta, ac dicenda, et æternæ oblivioni tradantur.

176. Non in hoc ſolo, ſed alibi paſſim deprehenditur Petrus Dubs. legere, et obtrudere ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. poſtquam præfati Regis ſubjugatis inimicis, Regno vindicarunt hoſtiles Danicas civita-

civitates, noluerunt (in hoc canones ſecuti) Hierarchico Regimini ſeſe immiſcere, aut invertere ordinem, quem jam uſitatum (etſi perperam) invenerunt, donec Supremus Paſtor pro Summo ſuo jure repararet injurias, libidine Danorum per acceſſum ad Cantuarienſes, irrogatas reſpectivè Primatibus, et Archiepiſcopis Momoniæ, ſed ut novos ſuos ſubditos Neophytos, ac teneros in fide, nutantes in obſequio demulcerent, dum tandem conſuetudine, et familiaritate Hibernorum fierent pacatiores; indulſerunt ut Cantuariæ (ſicut antea) conſecrarentur Danicarum Civitatum Epiſcopi, et etiam ſuis litteris commendarunt Archiepiſcopis Cantuarienſibus nolentibus poſt tranſlatum dominium a Danis ad Hibernos Reges, ſine illorum conſenſu, et epiſtolis commendatitiis munus conſecrationis impendere.

177. Imo adeo in hoc reluctantes erant Cantuarienſes Antiſtites, ut oportuerit Regis Angliæ implorare authoritatem: quandoquidem dict Syllog. pag. 101 Henricus primus Anglorum Rex ad Radulphum Cantuarienſem ita Scribit: *Mandavit mihi Rex Hiberniæ* (Muriertach ô Brien) *per Breve ſuum, et Burgenſes Dublinij, quod elegerunt Gregorium hunc in Epiſcopum, et eum tibi mittunt conſecrandum. Unde tibi mando ut petitioni eorum Satisfaciens, ejus conſecrationem ſine dilatione expleas Teſte Ranulpho Cancellario apud Windeſor.*

Unde iterum habes quam precaria fuerit, et indebita Subordinatio Præſulum Dublinienſium Cantuarienſibus, quorum ſi jure fuiſſent Metropolitani, aut Primates, non indigerent hujuſmodi commendatitiis, vel Mandatis Regum, nec (quos ex officio juxta canones deberent) detrectarent ordinare vid præcedent num. 118, et num. 164. Scripſit quoque Rex Muriertachus ad S. Anſelmum pro ordinando Epiſcopo Waterfordienſi Malcho (dict Syllog pag. 92.) fortè tantâ pietate, Zelo, et affectu ferebatur erga Præſules Waterfordienſes, ut etiam illos conſtitui Primates, aut Waterfordiæ Primatum erigendum maxime cuperet.

178. Author eſt S. Bernardus allegatus num. 6: " Metropolim " Armacanam in tantâ ab initio cunctis Veneratione habitam, ut non " tantum Epiſcopi et Sacerdotes, et qui de Clero ſunt. *ſed etiam Regum et Principum Univerſitas Subjecta ſit Metropolitano in omni obedientiâ, et unus ipſe omnibus præſit.* in continuatâ hâc Serie Venerationis, et obedientiæ Regum erga Eccleſiam Armacanam oportuit comprehendi Monarchas ô Brienos Terdelachum, et Murlertachum defunctos antequam vitam S. Malachiæ an. 1148. in Cælum vocati Scripſit S. Bernardus an. 1152.

Et

Et ut Specialius innoteſcat Principum ô Brienorum Pietas, Zelus, et affectus erga Præſules Armacanos, et Primatialem S. Patricij Sedem, cum Brienus Borrous glorioſſimus Rex in prælio ad Cluntarf contra Dublinienſes, et in conſpectu Urbis ex mortifero vulnere occubuiſſet, corpora ejus (ſine dubio Sicut moriens mandavit) et Murchardi filij ibidem occiſi Armachiam multis Milliaribus diſtantem deportata fuere, et in Eccleſiâ Cathedrali, cui Benefactor fuerat Brienus magnâ ſolemnitate condita: Wareus de præſul fol. x, qui cap. 25. de antiquit. ad an. 1004. Singulare Brieni Borroi pietatis, et Munificentiæ in dictam Eccleſiam Specimen exhibet.

179. Et Muriertachus Rex rebellium Dublinienſium toties Expugnator, qui numeroſæ Synodo indictæ (ut anteà vidimus num. 12) a S. Celſo an· 1112. adfuit, et Authoritate Regiâ quantum ad ipſum Spectabat, Regulis vitæ, et morum Clero, ac populo præſcriptis robur addidit, ob eximia merita a S. Anſelmo dict. Syllog. pag. 93, et 95, multum commendatus, tandem abdicatis Regni curis, ut Deo, et animæ ſaluti liberius vacaret, ac priora pietatis exercitia coronaret, Armachiam Clericatu inito Seceſſit, ibique delicta amariſſimè plangens naturæ debitum ſolvit: Doctor Ketinus lib. 2. pag. 102; et Gratianus Lucius pag. 82.

Nec tanta hæc Regum Veneratio erga Eccleſiam Armacanam a principio chriſtianitatis in hoc Regno perſeverans uſque ad tempus S. Bernardi, deſiit in Subſequentibus, niſi cum tranſlato ad exteros ſupremo dominio, quoniam generis hibernici ultimus Monarcha Rodericus ô Conner Regnum auſpicatus anno. 1166. *pro ſuo in S. Patricium*, et litteras ſtudio Profeſſoribus Armacanis an. 1169. Salarium locupletavit, et ad idem quotannis perſolvendum Succeſſores ſuos obſtrinxit: Lucius pag. 89. et 90.

180. *Viris prudentibus*, et quidem *multis* (ait fol. 54. Petrus Dublinienſis) *videtur optimum, et expeditiſſimum ſopiendæ altercationis medium, honorarium Primatis Titulum Armacanis concedere, Dublinienſibus vero Primatis jnriſdictionem, ac nomen confirmare*: at quinam ſunt illi multi viri prudentes tam imprudenter inſipientes, ut fictitium (qui nunquam extitit) Primatum Dublinienſibus diplomate Pontificio arbitrentur confirmandum? cum confirmatio ſit actus præcedentis, et quidem legitimè inchoati, ac celebrati Complementum. *L. Aurelius § Teſtamento ff. de liberat. Legat: cap. ſi Apoſtolicæ Sedis de prabend. in 6.* et *cap. 2, ac ibi gloſs, et D. D. de confirm. util, vel inutil.*

Verbo aut Scripto id tradiderunt viri prudentes? quo loco reperiendi, aut consultandi de optimo, et expeditissimo remedio? Anonijmi sunt verosimiliter, et incogniti in Regionibus Sublunaribus, adeoquè quærendi in Spatiis imaginariis, optimum, expeditissimum, imo, et unicum reparandi Scandali medium videtur viris prudentibus, ut recentiores Dublinienses intra modestiæ, et moderationis limites contenti desisterent ab usurpato commentitij Primatûs Hiberniæ titulo, aut tandem in pœnam insolentissimi attentati a Supremo judice redacti in ordinem spoliarentur ipsâ dignitate Metropolitanâ, exemplo Georgij Bruni, Proculi Massilienſis &c: vid. num. 112.

181. Non dissimile est, sed ejusdem farinæ (nam similes habent labra lactucas) quod ibidem asserit " animarum Salutem exigere " ut Dublinij resideat Præsul, qui in totnm Clerum Hiberniæ " jurisdictionem obtineat, non solum ut Proregi, aut Regimini de " cleri fidelitate spondeat, atque ad calumnias, et querelas quæ " indies Ecclesiasticis suboriri soleant, respondeat, verum etiam ut " sine strepitu, et Scandalo litigantes ad judicium legitimum valeant " accedere, omnes enim Regni Proceres aliique plurimi Dublinium " quater Saltem in anno confluunt, ibique nullo discrimine aliis " permixti (nisi gravior aliqua Suscitetur persecutio) hospitari, " morariquè Sacerdotes, ac Religiosi poterunt.

Actum ergo de Salute Animarum in hoc Regno nisi Præsul Dublinienſis Primas constituatur novo prætextu anilis fabulæ, utinam qui curæ animarum Dublinij incumbunt, toties ad latebras non compellerentur, et abdita in locis ruralibus; certè ipse Rmus. Talbotus paulò postquam hæc intimavit, non tutus Dublinij, aut in viciniis aufugiendum sibi duxit. in Gallias. Et Illustrissimus Armacanus Oliverus Plunkettus, qui Ruri securius delituit, detectus, et captus fuit Dublinij, ac inde ductus ad Martyrium.

180. Et adverteret P. D. quod sicut modo Curiam Dublinij habent, et auditorium Primates Protestantes, idem Saltem jure Romano competat Primatibus Catholicis, qui proinde (si quam vim haberet, vel etiam micam salis argumentum, aut allata congruentia) possent, dum per Leges municipales comparere liceret, Proregi, et regimini de Cleri fidelitate Spondere, et confluentes ad Suum Tribunal Dublinij erectum litigantes pari facilitate sine strepitu, et Scandalo admittere, etiamsi alibi (cujus contrarium experientiâ constat) nusquam tutum esset experiri.

Idem

Idem repetit, fol. 69. dicens " canones favere Dublinio utpote " Hiberniæ Capiti, ac Civitati primæ, et juxta can. 2. dist. 29. d- " cernitur : Nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi qui pri- " mas tenent Civitates - - - - - in illâ residet Prorex, in illâ sunt " Tribunalia, Consiliarij, Regimenque totius Patriæ." de imaginario capite Regni toties ad fastidium producto in scenam egimus superiùs num. 44, 45, et 46. et ostendimus nihil spectare ad Dublinium. discussimus quoquè num. 40, et 43. citatum, et solito more mutilatum canonem 2, et can. 1. dist. 99. nihil ad rem facientes, quamvis illos potissimum calleat, aut certè colat Petrus Dubs. suæque miserandæ causæ basim constituat: at ipse Prorex, et Consiliarij dum coram illis mandato Regis Caroli primi ventilaretur controversia inter Usserum Armacanum, et Buckleum Dublinienscm, non tantum suæ residentiæ, aut modo Regni Capiti Dublinio detulerunt, quin Canones, et justitiam secuti Armacano palmam adjudicaverint: vid. num. 106.

183. Adducta hactenùs humana sunt, et leviscima vanæ adinventionis puerilia terriculamenta, quæ citra dispendium Religionis, aut veritatis, imo utrâque impellente sedato animo perpendens rejicere meritò et despicere quis cogatur. sed ecce tremenda cervicibus imminens machina, quâ non ultro amplectentes Primatum Dublinienscm, et quidem super totum Regnum, e fidelium numero deleti extra ecclesiam, et Synagogam fiant. quandoquidem Petrus Dublinienscis, fol. 26. sic prosequitur.

184. " Nunc de Primatu Dublinienscí aliquid dicamus, cui nemo " Crtholicus audeat contradicere ; ex principiis enim fidei et conci- " liorum decretis, ac jure canonico, ex Romanorum Pontificum di- " plomatibus, ecclesiæque praxi illum concludemus. ac imprimis ne- " mo catholicus inficiabitur Primatum esse privilegium a sede A- " postolicâ derivatum, ac dependens, *nec non in eo sitam esse dignitatem* " *Primatis, quod Romanus Pontifex indulgeat pallium præcipuæ civi-* " *tati, vel capiti præfecturæ, seu Regni, eo quod præcipua, vel prima* " *civitas sit* - - - - - Primatus Dublinienscis demonstratur ex defi- " nitione Primatûs scilicet *a priori*, seu ex definitione, ac rei naturâ, " et fol. 50. eodem argumento confutatur Primatus Armacanus, " confirmaturque Dublinienscis, quo Heterodoxi nostri tempotis con- " futantur."

185. Primatum esse privilegium a sede Apostolicâ derivatum agnovimus num. 32. et nullus inficiabitur catholicus, mirabitur tamen vehementer, et catholico zelo commotus indignabitur tantâ confiden-

tiâ imaginarium conceptum, et jure cervelotico commentitiam definitionem Primatus veluti articulum fidei, *cui nemo catholicus audeat contradicere* (cum potius mereretur censuram SS. inquisitionis) sibi obtrudi a Præsule catholico, qui ex debito characteris, et officij teneretur *exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere* monente, Apostolo ad Tit. 1. et non hujusmodi vaniloquiis, aut paradoxis imponere lectoribus. Et quamvis gratis admitteretur tantoperè exorbitans a canonibus, et praxi communi nunquam antea in scholis audita, vel in Ecclesiâ conficta definitio, quid hoc ad Dublinium nunquam Regni caput, aut præcipuam civitatem dum Romanus Pontifex, seu ejus Legatus pallium traderet Præsuli Dublinensi, ut toties probavimus.

186. Sæpius producit in Theatrum illam definitionem, ne Lectoribus excidat memoria tam firmi fundamenti Primatûs Dublinensis, aut gloriatio Authoris de mirificâ inventione, quam cuncti præcedentes Patres, Doctores, et juris periti ignorarunt. haud secus olim coquus Horatianus Satyr. 8. gloriabatur se primumdocuisse condiri Erucas, aliasque herbas.

Erucas virideſque mulas ego primus amaras
monstravi incoquere, &c.

Et quoniam pallium simul, et præcipuam Civitatem constituere putat, vel putare se simulat Essentialia Prædicamenta Primatûs, ita delectatur nuncupatione *Pallij*, ut nonnulla pagina quater alia quinquies, alia sexies Venerabile illud nomen *Pallij* contineat, et universim in paucis foliis centies ad minus repetatur, hoc assecutus commodi Author, ut libellus toties sacro pallio involutus contra hiemales flatus maneat securus, etsi periculum vertatur ne frequenti, et insolito usu extra dies solemniores (quod canones vetant) ipsum pallium penitus atteratur.

187. Observavimus a num. 63. ad 142, et accuratâ (quantum potuimus, ac diffusius forte quam mererentur quisquiliæ) lance pensitavimus obtrusas a Petro Dublinensi Bullas, quas dicit Lucij 3. Honorij 3. Innocentij 3. Innocentij 4, et Innocentij Sexti, ac *providam* considerationem Legati Paparonij, ex quibus (omisso etiam quod essent genuinæ, et non confictæ, aut subreptitiæ) alio omninò spectantibus, et ne minimum ad intentum Rmi. Authoris, non facilius eruditus Lector fictitij Primatûs Dublinensis, aut prætensæ exemptionis leviſſimam etiam apparentiam eruet, quam e tribulis ficus extorqueat; illas tamen passim tanquam causæ suæ trophæum ostentat Petrus Dubs. cujus propria verba subjicimus. 188. Pag.

188. Pag. 5. *Et licet per tenorem* Bullæ Honorij 3. pag. xi. *Joannes obtinuit a Lucio* 3. *Papâ Bullam* : pag. 15. *nihil intellexerat de Lucij* 3. *aut Honorij* 3. *decretis, aut Bullis.* pag. 27. *audi igitur teſtimonium, ac confirmationem Primatûs Dublinienſis ex Bullâ Innocentij* 3. *qui Primatus collatus primò fuerat ab Eugenio* 3. - - - - - *Primatus Dublinienſis inſtitutus ab Eugenio* 3. *confirmatur ab Innocentio* 3. *et ab Honorio* 3. pag. 30. *Similem iiſdem fere verbis exaratam ab Honorio* 3. *habes,* &c. pag. 39. *providâ conſideratione inducti Eugenius* 3. *ac Innocentius* 3. *Primatum Dublinij firmarunt.* pag. 47. *per pallium ab Eugenio* 3. *miſſum Gregorio Dublinienſi Primatum Hiberniæ, et ſibi et Succeſſoribus obtinuit Gregorius.* pag. 51. *tertium argumentum pro Primatu Dtblinienſi contra Armacanum ſumitur ex Bullis Pontificiis Lucij* 3. *Honorij* 3. pag. 52. *vide Bullas trium illorum Pontificum Lucij* 3. *Innocentij* 3. *Honorij* pag. 73. *Sed unde ſedi Dublinienſi* (Primatus) *ex providâ conſideratione* (*verba ſunt Innocentij* 3. *ac Honorij* 3. *in ſuis Bullis*) *Eugenij* 3. *ipſiuſque Legati Candinalis Paparonij.*

189. Pag. 75. *Relege Innocentij* 3. *Bullam Eugenij* 3. *factum confirmantis.* pag. 76. *occaſio Bullæ Innoceutij* 3. *fuit contentio de Primatu cum Armacanis.* 3. *quia Honorius* 3. *hanc Innocentij* 3. *Bullam confirmat* - - - - *poſt hanc declarationem Innocentij* 3. *ac Honorij* 3. *pro Primatu Dublinienſi non dubitavit Innocentius quartus ſingulare privilegium ſolis Primatibus eo tempore conceſſum Archiepiſcopo Dublinienſi, utpotè Primati indulgere.* pag. 78. *Relege quæ initio hujus tractatûs diximus contræ falſas interpretationes Bullæ Honorij* 3. *ac Innocentij* 3. pag. 80. *quam diſpari fundamento innititur Primatus Dublinienſis authoritate canonum, ſummorum Pontificum, Eugenij* 3. *Lucij* 3. *Innocentij* 3. *Honorij* 3. *Innocencij* 4. *ac ſi velis Innocencij ſexti.* pag. 81. *confer igitur Bullam fictitiam Urbani* 4. *Patricio ô Scanlan cum authenticis Bullis Lucij* 3. *Innocentij* 3. *Honorij* 3. *ac Innocentij* 4.

Ita ille ut dum authoritate canonum, conſtitutionibus Pontificiis, Traditione præcedentium ſæculorum, aut pondere rationum contra manifeſtam veritatem pro phantaſtico ſuo Primatu evincere nihil poſſet, confunderet ſaltem auditores grandiſono inanium verborum ſtrepitu et inſulſis, ac patientiam lædentibus tautologiis, non veritus (quod fol. 63. inſipidè improperat Rmo. Rotheo) *ne id ſolum aſſequatur, ut crambe recoctâ Lectoribus faſtidium pareret, ſibi vituperium.*

Objectiones

Objectiones Adverſariorum regeruntur, ac inde amplius confirmatur Primatus Armacanus.

190. PRætendit, fol. 18, et alibi P. D. S. Patricium nec Archiepiſcopum, nec Primatem fuiſſe, aut Metropolitanam Eccleſiam Armacanam ante appulſum Cardinalis Paparonij cum quatuor Palliis An. 1152. in hoc imitatus dignum ſuum Patronum Thomam Rivium, et forte unum, vel alterum inferioris notæ Scriptores Britannos, qui æmulatione Gentis ſatagunt omnium olim Britannicarum inſularum Primatum vindicare Archiepiſcopis Cantuarienſibus. Quod effrænatâ libidine malignandi, Eccleſiæ Armacanæ, cleri Hiberniæ, ac ſedis Apoſtolicæ non adverſarius tantum, ſed infeſtiſſimus hoſtis Rivius ita invertat liquidiſſimam veritatem, nullus Satyrici hominis —— genium ritè conſiderans tantoperè mirabitur (vid. num. 105. et ſeqq.) at quod Eccleſiæ ſuæ nationali detrahat, eique Hierarchici Regiminis præſul Catholicus adimat gloriam, quam aliarum nationum primi nominis authores, imo et ipſi accuratiores, et doctiores Heterodoxi adſtruunt, omnes (ni fallor) obſtupeſcent ſed ad quid non urget ſuſceptum ſemel malæ cauſæ patrocinium, et innata aviditas quo jure, quâve injuriâ attingendi deſideratam metam ?

191. Cæterum hoc paradoxo non tam impetitur præeminentia Armacana, quam Authoritas Romanæ Eccleſiæ, quæ (maturè diſcuſſis omnibus quæ afferebantur in contrarium) officio S. Patricij de præcepto a totâ eccleſiâ recitando inſeri juſſit ſupra notata verba, *Armacanam Sedem Romani Pontificis authoritate totius Inſulæ Principem Metropolim conſtituit* (Patricius) quo oraculo morigeris Eccleſiæ filiis reverendo cavillantium ora obſtruuntur, quomodo princeps Metropolis ſponſa Eccleſia, niſi ſimul, et correlativè ſponſus Antiſtes Princeps fuiſſet Metropolitanus, adeoque Archiepiſcopus, et Primas? ad hæc faciunt, et invictiſſimè probant adducta ſuperius pro Prærogativis

gativis Armacanis a num. 1. ad num. 30. ſed ut de S. Patricij Archiepiſcopatu prægnantiſſima argumenta ſpecialius innoteſcant, et inſimul de Primatu.

192. Imprimis officium tranſlationis SS. Patricij, Columbæ, et Brigidæ ritu duplici cum octavâ quotannis celebrandum authoritate Urbani 3. approbatum, Anno 1186. per ipſius Legatum Joannem Vivianum Cardinalem S. Stephani de Cælio Monte ad Solemnitatem tranſlationis demandatum, ita incipit: " GLORIOSORUM " Hiberniæ Patronorum *Patricij Archiepiſcopi Hiberniæ Primatis, et* " *Apoſtoli*, atque S. Columbæ Abbatis, et Sanctæ Virginis Brigidæ " tranſlationem dignis laudibus reſencentes, piæ mentis celebremus " affectu." et in Breviario Romano veteri Venetiis impreſſo per Antonium de Giunta, An. 1522. prima Lectio officij S. Patricij: " tem- " pore Theodoſij Imperatoris claruit S. Patricius genere Brito a Cæ- " leſtino Papâ fuit deſtinatus ad Scotos, atque *Archiepiſcopus Scoto-* " *rum ordinatus.*" ac Breviarium Canonicorum Regularium cap. de Sion de Palladij, ac S. Patricij miſſione ſic differit: " tempore The- " odoſij Papa Cæleſtinus ad Scotos Palladium miſit Epiſcopum, " quo defuncto ab eodem ad eos miſſus eſt S. Patricius - - - - qui " in Baptiſmo dictus eſt Suchar, a S. Germano Magonius, a Celeſti- " no verò Patricins, a quo *Scotorum Archiepiſcopus eſt ordinatus*, " per annos Sexaginta Sanctitate inſignis, et doctrinâ excellens to- " totam inſulam Hiberniæ convertit ad fidem."

193. Et aliud vetus officium Canonicorum Regularium denuò Typis editum Bruxellis per Joannem Pepermannum an. 1622 lectione quintâ: *igitur ſtatim eum* (*Patricium*) *Pontifex in totius Hiberniæ Metropolitanum conſecratum* . . . . ad Sacroſanctum munus deſtinavit. quod iiſdem verbis legitur in officio Canonicorum Lateraneſium approbato a S. Pio quinto editionis Venetæ an. 1586. item in officio S. Patricij dict an. 1622. Pariſiis impreſſo lect. 6. a hæc perhibentur: " *in* " *civitate Armacanâ totius inſulæ Sedem primam, et Metropolim conſt-* " *tuit.* quod ut Sedis Apoſtolicæ authoritate confirmaretur, Romam " denuò apparente ei Angelo, et hoc ejus propoſitum approbante " profectus eſt, *ubi obtentâ, quam petivit, confirmatione*, reverſus *cum* " *ampliſſimâ poteſtate* in Hiberniam &c. " ac in officio pariter S. Patricij ex Breviario PP. Eremitarum S. Auguſtini lect 6. aſſeritur *a Cæleſtino Pontifice S. Patricius totius Hiberniæ Primas creatus.* et chronicon Scotorum apud Rodericum ô Flaherty Ogygiæ part 1.

pag. 52.

pag. 52. ad An. 432: " *Calendis* Januarij fer. 6. Patricius *Archiepiſcopus* in Hiberniam venit, et Scotos (i. e. Hibernos) baptizare inchoat. " Et part 3. pag. 394. ex vetuſtiſſimâ vitâ S. Patricij tribus libris latinè conſcriptâ refert hæc verba: " anno nono Regni Theodoſij Imperatoris (computando Scilicet a morte Honorij, miſſus a " Cæleſtino Papâ ad prædicandum in Hiberniam *beatiſſimus Archiepiſcopus Patricius venit.* "

194. Et Marianus Scotus nobilis Chronologus Sæculi undecimi ad eundem annum: " poſt Palladium S. Patricius genere Brito a S. " Cæleſtino Papâ *ad Archiepiſcopatum Hibernenſem mittitur* . . . . " S. Patricius *Archiepiſcopus Hiberniæ* annum agens 120. obiit. con- " cordant et iiſdem verbis de Archiepiſcopatu S. Patricij Sigebertus Gemblacenſis S. Antoninus, Joannes Trithemius de Scriptor. Eccles: Florentius Vigornienſis, Matthæus Weſtmonaſterienſis in chronicis anni. 491, Nicolaus Harpsfeldius, Edmundus Campianus, Ranulphus Ceſtrenſis in Polichronico lib. 5. cap. 4; et tot alij variarum nationum, ac ætatum a primo Sæculo chriſtianitatis in hoc Regno ad præſens tempus, ut omnes commemorando opus creſceret in immenſum. ſed ne in tantâ copiâ Superabundantium teſtimoniorum ab extraneis, nationales Scriptores omni exceptione majores (qui non ambitu, aut partium Studio, ſed Chriſtianâ Sinceritate, et charitate impellente Sanctorum Vitas exararunt,) videamur faſtidire.

195. In vitâ S. Kierani primi Oſſorienſis Epiſcopi (qui colitur 5. Martij) apud Wareum de præſul fol. 139. habetur. " Epiſcopus " ordinatus (Kieranus) miſſus eſt ad Patriam ſuam Hibernicam " Scilicet, et occurrit ei in Italiâ S. Patricius *Archiepiſcopus totius* " *Hiberniæ*, videntes ſe invicem Sancti Dei gaviſi ſunt, tunc S. Pa- " tricius non erat Epiſcopus, ſed poſtea a Cæleſtino Papâ ordinatus " eſt *Archiepiſcopus*, et miſſus eſt ad prædicandum in Hiberniam: cui " jam quamvis alij Sancti ante ſe erant in Hiberniâ Dominus cuſt- " odivit *magiſterium, et omnem Archiepiſcopatum Hiberniæ*, quia per " neminem Reges, vel Duces Hiberniæ ante Patricium Deo credider- " unt. et in vitâ S. Declani cap. 17. obviaverunt ſibi in Italiâ S. " Declanus, et S. Patricius, qui poſtea a Cæleſtino Papâ ad prædicand- " dum Hibernenſibus miſſus eſt, et ipſe eſt *totius Hiberniæ Archiepiſ-* " *copus.*

196. Et cap. 20. " quatuor Sanctiſſimi Epiſcopi cum ſuis Diſci- " pulis fuerunt in Hiberniâ ante St Patricium prædicantes in eâ, et

" conver-

" convertentes plurimos ad Christum, Scilicet Albeus, Declanus, " Ibarus, et Kieranus: sed tamen S. Patricius majores Hiberniæ, et " potentiores ad fidem convertit, et ipse propterea *Summum habet* " *Episcopatum Hiberniæ per circuitum.* et cap. 30. interim Glorioſiſſi- " mus *Archiepiſcopus Patricius* miſſus a Cæleſtino Papâ venit in Hi- " berniam, et humiliavit Deus ad Doctrinam ejus corda Majorum " Hiberniæ . . . . et perrexit in occurſum illius Rex Momoniæ " Engus vel Æneas filius Nutfrichii et cum gloriâ magnâ duxit ſe- " cum Sanctum *Archipontificem Patricium* in ſuam Civitatem Caſſel, " et S. Patricius baptizavit, et benedixit illum cum ſuâ Gente, et " Civitate . . . . Kieranus *omnem Subjectionem, et concordiam, ac* " *Magiſterium dedit S. Patricio*, ipſo præſente, et abſente. Albeus " autem videns Majores Hiberniæ poſt Patricium concurrere venit " ad S. Patricium in civitate Caſſel, *et accepit eum ibi cum omni* " *humilitate Magiſtrum ſuum* coram Rege Æneâ. ibidem narratur quod SS. Declanus, et Ibarus monente Angelo ſeſe ſubmiſerint S. Patricio conſtituto *Archipatrono totius Hiberniæ.*

197. Ex eâdem vitâ Declani Wareus de præſul fol. 174. de- ſumpſit hæc verba: " commanentes in Civitate Caſſel S. Patricius " S. Albeus Sanctuſque Declanus cum multis Sanctis ſuis Diſcipulis " apud Regem Enguſam multa bona vigoris Chriſtiani conſtitue- " runt, et ibi Rex Enguſa, et S. Patricius cum omni populo ordi- " naverunt Archiepiſcopatum Momoniæ in civitate, et ſede S. Albei- " (*qui tunc ab iiſdem Archiepiſcopus ordinatus eſt*) per Sæculum, et ibidem Wareus aſſerens *S. Albeum alterum Patricium, et Momonienſium poſt Patricium Secundum Patronum*, qui Eccleſiam ſuam Cathedralem fixit Imelacæ, ex Scriptore vitæ S. Albei addit Sequentia: " cum " B. Albeus audiiſſet quod Patricius Regem Momononienſium En- " guſam filium Nefrich converteret ad Chriſtum, et eſſet cum eo in " civitate Caſſel, venit ut eos ſalutaret, Rex autem, et S. Patricius " gaviſi ſunt in adventu Albei, et ille eſt gaviſus eos videns, ibi vero " *accepit Patricium Magiſtrum Suum S. Albeus*, quia valde erat " humilis. hinc Rex Engus et Patricius ordinaverunt ut in civitate, " et Cathedrâ S. Albei eſſet Archiepiſcopatus omnium Momoni- " enſium.

198. Author quoque Animoſus in actis S. Brigidæ lib. 1. cap. 41. ait: " Sancta Brigida cum ſuis viâ proſperâ venit in locum qui " vocatur Talthin, ubi erat S. Patricius *Archiepiſcopus.* in vita S.

Grillani S. Patricius bis *Primas* vocatur. et in vitâ S. Fiechi discipuli S. Patricij (qui Magistri vitam metro Scripsit, et vers 14. docet Armachiam præcipuam Regni Sedem, Scilicet Spiritualem, seu Metropolitanam) " *S. Fiechus primo institutus fuit a S. Patricio* " *Episcopus Sleptensis, postea Lageniæ Archiepiscopus*, de quo in vitâ " S. Patricij part 3. cap. 21. Scribit S. Evinus " quod infra breve " temporis intervallum Spiritûs Sancti adjutrice gratiâ Fiechus tantos " in Sanctimoniâ, et litterarum studiis fecerit progressus, ut non " Solum Magistro visus sit dignus, qui primus ex omnibus Lage- " nensibus ordinaretur in Episcopum, seu et qui toti illi Provinciæ " *Supremus præficeretur Antistes* .Natalis Fiechi in Ecclesiâ Sleptensi celebratur 12 octobris. et adeo apud priscos indubitata fuit dignitas Archiepiscopalis S. Patricij, ut illum cum Cruce Archiepiscopali pia fidelium cura pictis tabulis expresserit ab immemorabili. hujus argumenti vis non parvi pendenda, cum ex eo, quæ fuerint primitivæ ecclesiæ ceremoniæ, ritus, et indumenta Sacerdotalia in Sacrificio Missæ, administratione Sacramentorum &c. evincamus contra Neotericos.

199. Mirabile certè esset quod S. Patricius Archiepiscopos institueret, aut Archiepiscopatus erigeret, nisi ipse Archiepiscopus fuisset, et Primas, cum ex trito adagio nemo det quod non habet: *can quomodo de consecrat dist 4. can Daibertum 1. quæst 7*: et *cap quod autem de jur. patronat*: nec Sublimiores se Specie generet columba, et non tantum S. Patricius, sed qui illum proximè excepit in Sede Armacanâ, (quod ad Successores derivari necesse est) S. Benignus Primas nominatur: " *Benignus namque in Regimine Pontificatus Pri-* " *matusque totius Hiberniæ Successit S. Patricio virtutibus*, et mira- " culis clarus requievit in Domino. ita Jocelinus in vit. S. Patric. " cap. 39. videatur Probus lib. 2. cap. 1: et de S. Benigno in ejus " vitâ ad 9 novembris cap. 2. Scribitur, " quod illum S. Patricius " Spiritu prophetico prædixerit Præsulem eximiæ Sanctitatis, et " meriti futurum, et suum in Sede Armacanâ, et *Primatu Hiberniæ Successorem.* idem in vitâ S. Patricij part 1. cap. 45. tradit S. Evinus addens, " et oraculum probavit eventus, nam puer ille (Benignus) " ita postea doctrinâ, et miraculis claruit, ut omnium judicio habitus " sit dignus qui Magistro suo S. Patricio in *Archiepiscopatu Arma-* " *cano, et Primatu Hiberniæ* Succederet. quod munus feliciſſimè annis " multis obivit.

200. Quis

200. Quis autem Sanæ mentis, aut cerebri tanta, tamque luculenta celeberrimorum Authorum, (quorum plures Sanctis adscripti sunt, alij in opinione Sanctitatis quieverunt, omnes eruditione, Scientiâ, et pietate toto orbe conspicui) testimonia adjunctis lectionibus officij divini Summorum Pontificum authoritate, et ecclesiæ universæ usu, ac cultu approbatis, non præferat Satyrico Rivio, ejusve pedissequo, vel uni, aut alteri ejusdem indolis (si forte occurrant) nitentibus contra torrentem, imo cæcutientibus, et affectatò claudentibus oculos ad Solem meridianum?

Ex his, et superius dictis, ac infra dicendis colligas quam accuratum inquirendæ veritatis fuerit studium Petri Dubs. declarantis, fol. 41. " consului quos potui Authores, ac ea de re tractantes an- " nales revolvi, et tamen post exactissimum scrutinium seriò hic " modo testor me in nullum incidisse Authorem fide dignum, qui vel " probabilem conjecturam afferat, quod ullo unquam tempore sedes " Armacana Primatum Hiberniæ a sede Apostolicâ obtinuerit." circuivit fortè mare, et aridam, omnes Bibliothecas perscrutatus ut de gestis Romanorum Pontificum, ac Authorum hâc de re tractantium scriptis edoceretur? de incolentibus Caveam Platonicam refertur, quod velantes faciem, et dorsum obvertentes lumini seriò pariter testarentur se non vidisse prætereuntes.

Sed ut percipias incohærentiam, imo manifestam contradictionem, ipse enim Rmus: Talbotus, fol. 66. 80, et 81. pro obtruso Primatu Dublinienſi ostentat ex Joanne Allano decisionem Innocentij sexti decernentis, ut *Archiepiscopus Armacanus esset Primas totius Hiberniæ*, et Archiepiscopus Dublinienſis Primas Hiberniæ. unde post exactissimum suum Scrutinium oportuit Illmum. Præsulem labilis fuisse Memoriæ, dum *seriò testatur in nullum se incidisse authorem, qui vel probabilem conjecturam afferat, quod ullo unquam tempore sedes Armacana Primatum Hiberniæ a sede Apostolicâ obtinuerit*: vel certò detexisse Authorem illius fabulæ Allanum nullam fidem promereri, adeoque commentitiam decisionem penitùs abolendam, et insimul abolendum illi innixum fictitium Primatum Dublinienſem: vid. a num. 76. ad 82, et a num. 390. ad 395.

201. Ex visis num. 197. habes Archiepiscopum, et Archiepiscopatum Momonienſium primò institutum, et Imelacæ fixum a S. Patricio, deprecantibus, au suadentibus Rege, et Populo (non enim aliam potestatem Laicis de erigendis, aut assignandis Dignitatibus Eccleſi-

asticis deferunt, aut unquam detuleruht Catholici) ut est per se notum, et expressè cavetur: *can. nullus Laicorum*, et *can. Hadrianus cum pluribus sequentibus dist. 63.* ac *can. bene quidem dist. 96.* Habes insuper ex visis num. 7. præfatum Archiepiscopatum translatum ad Ecclesiam Casselienſem erectam in Metropolim authoritate S. Celsi Armacani. viderint ergo recentiores Casselienses quo jure, aut prætextu se subtraherent jurisdictioni suorum Institutorum SS. Patricij aut Celsi, eorumve Successorum in Primatiali sede Armacanâ? at hæc omnia de Primatu, aut Archiepiscopatu S. Patricij, de Præsulibus Armacanis, cæterisque per Hiberniam Archiepiscopis, paucis verbis convellit Petrus Dubs. fol. 45. dicens: " his Titulis nulla fuit " annexa jurisdictio Archiepiscopalis, aut Primatialis, ut satis clarè " colligitur ex jure canonico, et clarè indicat D. Bernardus in vitâ " S. Malachiæ.

202. De jure canonico scilicet duobus ex decreto Gratiani canonibus 1, et 2. dist. 99. (quibus superstruitur imaginarius Primatus Dublinienſis) nonnihil antea expendimus num. 40, et 43. ac infra agetur ad confusionem (ni fallor) argutantium. interim zelo veritatis tam indignè suppressæ commotus excandescet eruditus Lector adeo confidenter affingi S. Bernardo quod *clare indicet* id, cujus contrarium clarissimis verbis demonstrat. quæ enim major jurisdictio annexa Primatibus, quam Archiepiscopos instituere, ecclesias Metropolitanas erigere (quarum unam constitutam a S. Celso, et subditam primæ sedi, illiusque Archiepiscopo tanquam Primati confirmavit Papa Innocentius Secundus, ut disertis verbis asserit S. Bernardus ubi supra, num. 7. n. 119. vid. etiam infra num. 243.) visitare subjectas Provincias, seu totum Regnum, inde causas Appellatione devolutas decidere, convocare concilia Nationalia, illisque præsidere, &c. quæ omnia jam vidimus completa in gestis SS. Patricij, Celsi, aliorumque Antistitum Armacanorum a num. XI.

203. Sed ne putetur Petrus Dubs. in omnibus inniti imaginationi suæ affert, fol. 45. Epistolam cleri Romani ad clerum Hibernicum, An. 639." doctissimis, et sanctissimis Tomiano Columbano, Croma" no Dimao, et Baithano Episcopis, &c." et concludit: *nullus tunc fuit Archiepiscopus, vel Primas in Hibernia.* S. Gregorius Magnus An. 592. sic scribit: " Gregorius Universis Episcopis per Hiberni" am. idem An. 601. Gregorius Quirino Episcopo, et cæteris Epis" copis per Hibernia Catholicis: An. 614. S. Laurentius Cantuari" ensis

" ensis Archiepiscopus sic scribit : Dominis charissimis fratribus E-
" piscopis, vel Abbatibus per Universam Scotiam, id est Hiberni-
" am," hæc et plura videnda dicit Syllog. veter. epist. Hibern. ab Usserо edit.

204. Dissimulat tamen in eâdem Usseri collectione exhibitam pag. 76. Epistolam Gregorij Papæ septimi sic scribentis An. 1085, et 67. ante tradita quatuor Pallia per Cardinalem Paparonium : " Grego-
" rius Episcopus Servus Servorum Dei Terdelacho inclyto Regi Hi-
" berniæ, *Archiepiscopis*, Episcopis, Abbatibus, Proceribus, omnibus
" Christianis Hiberniam inhabitantibus, &c," Ecce summus Pontifex declarat, et agnoscit Archiepiscopos in Hibernia. Et quamvis de hoc sileant Gregorius Magnus, clerus Romanus, et S. Laurentius, plus facit juxta Leges civiles, et canonicas unus testis positivè affirmans, quam plures reticentes, aut prætereuntes silentio *L. Actor cod de probat* : et *DD. cum Mascar conclus.* 192. *n.* 1. et legit, aut certe legere potuit dict. Syllog. pag. 102. S. Bernardi Epistolam ad S. Malachiam : " Venerabili Domino, et Beatissimo Patri Malachiæ Dei
" gratiâ *Hibernienſium Archiepiscopo.*

205. Ex ipsâ Epistola Cleri Romani patet rescriptam ad quinque Episcopos, et quosdam Presbyteros, quorum litteras consulentes de observatione Paschali directas ad Severinum Papam tunc defunctum. Clerus Romanus sede vacante reseravit, et respondit ad petita iisdem qui Scripserunt. Si forte in simili casu quatuor Episcopi Suffraganei Archiepiscopo Dublinienſi cum Presbyteris Diœcesanis Romam scriberent, et inde ad eosdem nominatim subscriptos responderet summus Pontifex, vel SS. congregatio nullâ factâ mentione Primatis, aut Archiepiscoporum, quis nisi plane ineptiens inde concluderet *ergo nulli erant Primates, aut Archiepiscopi in Hibernia.*

206. In præfatâ Epistolâ S. Laurentius noviter directus a sede Apostolicâ ad prædicandum Gentibus Paganis (ut ipse ait) et ingressus in Britanniam fatetur se non ritè informatum de rebus Scoticis, seu Hibernis. et illius epistolæ apud Bedam, lib. 2. cap. 4. (unde verbatim desumpsit Usserus) integrum principium est : " Dominis cha-
" rissimis Fratribus Episcopis, vel Abbatibus per Universam Scoti-
" am *Laurentius, Mellitus, et Justus Episcopi.*" hæc ultima verba reticuit consueto artificio, et mutilavit contextum Petrus Dubs. quis autem ex hoc nisi imperitè inferat S. Laurentium (qui proxime excepit Archiepiscopum, et Primatem Sanctum Augustinum in sede

Can-

Cantuarienſi non fuiſe pariter *Archiepiscopum et, Primatem*, quamvis ibi ſub titulo *Epiſcopi* tantummodò exprimatur? aut quomodo abſque pari ineptiâ contendat non fuiſſe tunc temporis in *Hiberniâ Archiepiſcopos*, eo quod ibidem nominentur Solomodò *Epiſcopi*?

Præterea in vitâ ejuſdem S. Laurentij a Gotcelino Scriptâ, cui conſonant Joannes Tinmuthenſis, et Joannes Cap-gravius, Terennanus *Archipontifex Hiberniæ* appellatur: " fama ejus (Laurentij) " tranſvolante maria, quia lux in candelabro, et civitas in monte ne- " quit abſcondi. *S. Ferenannus Archipontifex Hiberniæ* ad eum tranſ- " it vir tantæ Sanctitatis ut tres mortuos Suſcitaſse perhibeatur, " qui audiens B. Laurentium de Paſchæ obſervatione aliisque Apo- " ſtolicis inſtitutionibus mutuo conventu diſputantem dedit manus " veritati, et ſuam Gentem imposterum corrigere Satagebat. Hunc ſanctum Terenannum Wareus de præſul fol. 5: accuratè conferens tempora, aliique meritò arbitrantur fuiſſe Maclaſsrium Sive filium Laſsrij Armacanum, cujus nomen proprium in catalogo Præſulum non proditur.

207. Quantum ad binas S. Gregorij Epiſtolas probat pag. 299. et Seqq Gratianus Lucius non ad Hibernos noſtros nunquam inquinatos Schiſmate trium capitulorum, de quo ibi agitur, ſed ad *Iberos* Aſiæ populum inter Albaniam et Colchidem (quæ Regio nunc Georgiæ occidentalis pars eſt) poſitum, Miſſas. Tribus potiſſimum argumentis (meo judicio) ſatis nervoſè illud Suadet: " Primò quia poſte- " rior Epiſtola Manuſcripta in Bibliothecâ Vaticanâ *Iberias* habet, " non Hiberniam, et ita referunt correctores Romani in argum: " *can ab antiqua, et can hic vero de conſecrat diſt*: (Idem aſſerit " Uſserus dict Syllog pag. 121.) Ut qui hanc poſterioribus ſæculis " exſcripſerant, et prælo mandari curaverant, unius litterulæ adjecti- " one, duarum Gentium quam longiſſime disjunctarum nomina, ac res " maximè confuderint, et perturbaverint: Unde apud inſequentes " Authores. et Baronium ipſum error irrepſit; et cum ex probatiſſi- " mo poſterioris Epiſtolæ S. Gregorij Apographo *Iberia* ſcripta de- " prehendatur, et ad ejuſdem Gentis homines prior miſsa fuerit, " non Hibernis, ſed *Iberis* utrasque Scriptam fuiſſe credendum eſt.

208. " Secundò quia prior D. Gregorij Epiſtola docet eos ad " quos data eſt, graviter conqueſtos fuiſſe quod acri preſecutione vex- " arentur Scilicet quia damnationem trium Capitulorum non reci- " perent: Docet autem Baronius ad an 553. Imperatorem Juſ-

" tinianum

" tinianum ſuæ ditionis Epiſcopos a trium capitulorum condemna-
" tione abhorrentes exilio, et aliis ærumnis afflixiſſe, additque omnes
" alios, qui non ſub Juſtiniani degebant imperio immunes a perſecu-
" tione fuiſſe. Cum igitur quanto Hibernia intervallo ab Orientalis
" imperij finibus (cujus tunc pars erat Iberia) tanto ab Orientalium
" Imperatorum poteſtate remoti ſint Hiberni, qui nec occidentalium
" quidem Imperatorum dominio obnoxij unquam fuerunt, illos a per-
" ſecutione per Orientalem Imperatorem excitatâ fuiſſe quam immu-
" niſſimos oportuit.

209. " Tertiò quod ab *Iberis* non ab Hibernis miſſus lator ille
" cenſendus ſit, qui Romam pergens (ut traditur Epiſt. 2. S. Gre-
" gorij) *litteras ſuas in Hieroſolymorum urbe cum rebus quoque aliis*
" *perdidit.* nam ex *Iberia* Romam contendentibus per Syriam, et
" Hieroſolymam rectum iter eſt; qui vero ex Hibernià Romam pe-
" tit, ſi Hieroſolymam duplò ad minus remotiorem carpat viam,
" non ſolum totâ viâ (ut aiunt errabit, ſed extra rationis etiam me-
" tas multum excurret, qui propiorem ſibi ſcopum itineris ſtatuens,
" ad Regiones quam longiſſimè poſitas fatuè progreditur. Vulgo car-
" puntur qui cum adſit via, ſemitam quærunt, ſummâ ergo repre-
" henſione dignus eſt, aut potius ab inſaniâ non multum abſcedere
" dicendus, qui terminum itineris nactus ad longinqua ultro fertur.
" documentum igitur apertiſſimum eſt Tabellarium illum ex *Iberiâ*
" non Hibernià Romam profectum, cum Hieroſolymâ iter habuerit,
" ac proinde Litteras illas a D. Gregorio ad *Iberos*, non ad Hibernos
" datas fuiſſe. ita Lucius.

210. Ex quo Authore ſimulque P. Georgio Dillon Societatis Jeſu pag 10, et Joanne Wadingo Theologo Wexfordienſi in ſuâ hiſtoriâ Eccleſiaſticâ contra Dempſterum, aliiſque gratiſſimum mihi contigit quod addiſcam Nationem meam Hibernicam primitus Scoticam nuncupatam a primâ converſione e Paganiſmi tenebris ad Lucem Evangelicam per glorioſum Apoſtolum noſtrum S. Patricium tam firmiter, et inconcuſſè Apoſtolicæ ſedi ſemper adhæſiſſe, ut nullam ullo tempore Romanam cenſuram, aut Hæreſis, vel Schiſmatis labem incurrerit, alteriuſve erroris notam contraxerit præter ſolam diſcrepantiam per aliquot annos de obſervatione Paſchali, quem errorem attenuat, et excuſat ad An. 633, et 664. Cardinalis Baronius his verbis.

211. " Illud neceſſario præmittendum eſt Scotorum Eccleſiam,
" licet

" licet diverſo tempore a communi ritu Catholicæ Eccleſiæ Paſcha
" celebraret, non tamen ob id a Communione Sedis Apoſtolicæ ſepa-
" ratam fuiſſe aliquando. Etenim licet error gravis eſſet, utpotè
" toties in Eccleſiâ Catholicâ condemnatus, tamen quod circa ritus
" non autem circa fidei Catholicæ dogma verſaretur, viſus eſt in Gente
" illâ a ſede Apoſtolicâ tolerandus donec perfectius poſſet populus im-
" bui veritate ——— meminiſſe oportet Authore Bedâ conſtare
" hos quidem, qui ſecus ac Catholici in Scotiâ Paſcha celebrabrant,
" non fuiſſe ejus erroris ut cum judæis celebrandum Paſcha dicerent,
" ob idque Sententiæ in Quartodecimanos in Nicæno concilio latæ
" obnoxij fuerint : Sed ijdem ſecus ac illi non decimâ quartâ Lunâ,
" ſed Die ſemper Dominico celebrarent, ut Catholici omnes, cum
" quibus tamen in eo nequaquam convenirent, quod Catholici illum
" Dominicum diem ad agendum Paſcha ſuſciperent, qui a decimâ
" quartâ Lunâ ad veſperam uſque ad vigeſimam primam Lunam
" primus occurreret : Scotis autem qui a decimâ tertiâ Lunâ uſque
" ad vigeſimam Dies Dominicus primus occurreret, is dies Paſchalis
" ipſis ſolennis erat.

212. " Ex quo illud abſurdum interdum contingebat, ut ſi quartâ
" decimâ Lunâ occurreret Dominica dies, ipſi eodem die una cum
" judæis Paſcha pariter celebrarent. verum ejuſmodi error irrepſit in
" Scotos non ex refractariâ contentione ut agere voluerint contra to-
" tius Eccleſiæ Catholicæ uſum, ſed ex inſcitiâ Paſchalis Computi,
" porro cæptus ejuſmodi error An. Dom. 566. perduravit uſque ad
" An. 716, ita vigens annis 150. cæterum idem error in hunc uſque
" annum fuiſſe illis venialis oſtenditur, quod non ex contumaciâ, et
" Schiſmate fuiſſet ortus, ſed tolerabili quadam ignorantiâ. cum (ut
" idem teſtatur Beda) nemo illis ultra orbem poſitis Synodalia Paſ-
" chalis obſervantiæ decreta porrexiſſet quamobrem haud viſi ſunt
" Eccleſiæ Catholicæ ex albo Sanctorum expungendi ii, qui Sancti-
" tate inſignes in hunc uſque annum inter eos egregiis virtutibus
" claruerunt, plurimis etiam miraculis illuſtrati. hactenus Baronius.

Huc ſpectat quod in vitâ S. Columbani, ſive Columbæ ſcribit Jonas Abbas cap. 1. *Columbanus, qui et Columba ortus eſt in Hibernià Inſulà, hanc Scotorum Gens incolit, Gens quanquam abſque reliquarum Gentium legibus*, (ſcilicet quoad obſervantiam Paſchalem) *tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum Gentium fide præpollet*, et *Hiberniam inſulam Catholicæ fidei tenaciſſimam, omnium vicinarum*

narum Gentium fidem excellere, omnibus vicinis Gentibus fide præpollere teſtantur Baronius ad An. 1053. Surius 21. Novembris, et Flodoardus in vitâ S. Helani. imo (inquit Gulielmus Brucius Scotus de bell. advers. Turc. gerend p. 31.) *Hibernica Gens pro ſingulari Catholicæ Religionis ſtudio præ cæteris ferè omnibus eſt laudanda.*

213 Ne tamen ex accreſcente ab his gloriâ Patriæ meæ impetum Adverſarij effugere viderer, aut velificari cauſæ Armacanæ, quæ his in præſenti controverſiâ nullatenus indiget, demus gratis S. Gregorium ad Hibernos noſtros binas illas epiſtolas ſcripſiſſe. quid inde? *ergo in Hibernià nulli fuerunt Archiepiſcopi, aut Primates* uſque ad Cardinalem Paparonium Sæculo duodecimo. quam parum hæc Sequela digna ſit quibuſcunque Sacros canones, praxim Scribendi Summorum Pontificum, aut Hiſtoriam Eccleſiaſticam, vel etiam a limine ſalutantibus ex jam dictis, et poſtea dicendis, accurati, et eruditi Lectoris judicio relinquitur. probavimus Supra a num. 56. ad num. 62, et paſſim alibi, ac iterum patebit inferius, in Syriâ, Egypto, aliiſque Regionibus orientalibus, Sicut et in Africâ, Italiâ, Galliâ, et Hiſpaniâ fuiſſe a primitivis Eccleſiæ Sæculis indubitatos reſpectivé Patriarchas, Primates, et Metropolitanos.

214. Atttamen Pelagius S. Gregorij Prædeceſſor epiſtolam primam (cujus pars exhibetur *can. Scitote 6. quæſt* 3) Scripſit *ad omnes Epiſcopos*: Leo Papa epiſtolam 85. (unde deſumptus eſt *can illud ſane diſt.* 80.) ad Epiſcopos Africæ: Gelaſius Papa can. *nunquam diſt. 96. ad Epiſcopos Orientales.* Leo Secundus de geſtis in Sextâ Synodo ad Hevegium Regem, et *Epiſcopos Hiſpaniæ.* Joannes Papa e carcere quo detinebatur apud Ravennam a Theodorico Rege ſcripſit ad *Epiſcopos Italiæ* Baron ad an. 526. Bonifacius Papa can. *ſi inter 6. quæſt* 4. *ad Epiſcopos Galliæ.* et ex epiſtolâ Aniceti ad *Epiſcopos Galliæ* promanavit *canon nulli diſt. 99*, Sicut ex Anacleti Epiſtolâ ad *Epiſcopos Italiæ canon Provinciæ*, utrumque citat Petrus Dublinienſis, et totam molem fictitij ſui Primatus deſuper fundat, et propterea *canonem nulli* toties inculcat Semper tamen truncatum, et ad alienum Senſum detortum. pervolventi vel etiam obiter corpus juris canonici præſertim Decretum Gratiani, aut Annales Baronij Millenæ occurrent hujuſmodi Romanorum Pontificum communes ad omnes diverſarum Nationum ſive totius orbis Epiſcopos Encyclicæ Epiſtolæ ſine ullâ mentione Archiepiſcopi, aut Primatis. Ergo nec in ulla particulari natione, aut etiam in totâ Eccleſiâ Primates, vel Archiepiſcopi habebantur.

215. Hujuſmodi Strophis imperitiam redolentibus, aut certe pruriginem cavillandi impugnatur Primatus Armacanus, et obtruditur commentum Dublinienſium, ut non dubitet Petrus Dubs. concludere fol. 52 *Ergo Archiepiſcopus Armacanus nunquam fuit Hiberniæ Primas. ergo Dublinienſis fuit Primas.* ac ſi contradictoriè opponerentur ambæ propoſitiones, ut falſificativum unius oportuerit eſſe verificativum alterius; cum juxta Regulas Summuliſticas, et ipſum dictamen rationis potuerit ex naturâ rei eſſe (ſicut verè eſt) utraque propoſitio falſa.

Advertet Lector incohærentiam ratiocinij, quoniam etſi in Reſcriptis, et Epiſtolis Romanorum Pontificum miſſis ad Archiepiſcopos Dublinienſes nulla unquam fuerit mentio Primatûs, nec etiam in ipſis Bullis inſtitutionis, aut Electionis, quæ (ne arguerentur ſubreptionis) deberent competentes dignitati titulos exprimere (vid. num. 144.) tamen Dublinienſes refragantibus mari, et ventis ſunt Primates Hiberniæ: *imo nihil abſurdius* (aſſerente Petro Dubſi fol. 50, et 51.) *quam exiſtimare ad Primatum Eccleſiaſticum alicujus Regni neceſſario requiri, ut in Diplomate Pontificio exprimatur verbum Primatus . . . . . ceriè Supervacanea eſt vocis Primatus, Similiumque verborum in tali caſu expreſſa mentio.* nihilominus ſi in Epiſtolis eorundem Pontificum communibus ad Præſules ullius Regni, aut nationis non fiat expreſſa mentio Archiepiſcoporum, et Primatum, nulli erant Archiepiſcopi, aut Primates in illa natione, Qui legit intelligat, et ducat ad concordantiam certe labor eſt ante me.

216. Sed ecce adducit fol. 10. Dignitatem Primatialem Armacanam penitus everſurum S. Bernardum Scribentem in vitâ S. Malachiæ cap. 10 quod *Sedi Armacanæ decrat adhuc, et defuerat ab initio Pallij uſus quod eſt plenitudo honoris. dicitque hæc Scripſiſſe S. Bernardum dictante ipſo S. Malachia homine veraciſſimo, et in rebus ſuæ Sedis, Patriæque verſatiſſimo* obſerva etiam hic perpetuum Studium adulterandi Textum. Scribit enim S. Bernardus quod *Metropoliticæ Sedi deerat &c.* Subſtituit tamen Petrus Dubs. *Sedi Armacanæ deerat,* ubiquè abhorrens vocari *Metropolitanam,* ſicut paſſim pervertit Senſum S. Bernardi, aliorumque Authorum: hincque concludit *pallium, ac Primatum Patricianum eſſe chimæricum . . . . contra expreſſam mentem S. Bernardi,* cui ſimul, et Sancto Malachiæ contradicunt quotquot aſtruunt prærogativam Metropolitanam, aut Primatialem Armacanam. de his gradatim, et per ordinem diſſerendum.

217. Utique

217. Utique si illa verba D. Bernardo dictavit S. Malachias, dictavit pariter S. Celsum fuisse *Archiepiscopum, ac Metropolitanum* cujus mandato vim faciente ipse Malachias fuit consecratus Episcopus Connerctensis, qui posteà S. Celso Succedens intravit Armachiam *Pontifex, et Metropolitanus totius Hiberniæ*: Armachiam esse *caput*, ac *Sedem primam in tantâ ab initio cunctis veneratione habitam, ut non modò Episcopi, et Sacerdotes, et qui de Clero sunt, sed etiam Regum, ac Principum universitas subjecta sit Metropolitano in omni obedientiâ, et unus ipse omnibus præsit. fuisse alteram Metropoliticam Sedem, quam de novo constituerat Celsus primæ tamen Sedi, et illius Archiepiscopo Subditam tanquam Primati*: illamque constitutionem confirmatam ab Innocentio 2. cum cæteris exhibitis a num 6.

218. Non dubitandum quin S. Malachias optimè versatus in Rebus Armacanis Sciscitanti desuper S. Bernardo indicaverit quæ Scire voluit. non est tamen verisimile virum humillimum, et demississimè de se Sentientem enunciasse sublimia gesta, et prodigia, quæ per-ipsum (teste Bernardo) Dominus dignatus fuit operari. et ipse S. Bernardus in præfatione ad dictam vitam clarè indicat pleraque Saltem, quæ refert, didicisse a Congano quondam Monacho suo (quem ibidem Reverendum, fratrem, et dulcem Amicum appellat) tunc Abbate de Suire, ut credunt Wareus de Scriptor. lib. 1. cap. 8, aliique, Scilicet Monasterij Innisslenaght, sive de Surio ordinis Cisterciensis ad Surium flumen Comitatus Typerariensis in Momoniâ, non enim aliud Monasterium de Suire reperitur in Hibernia. obstare videtur quod Wareus de Antiquit. cap. 26. Sentiat dictum Monasterium de Innisslenaght ad Surium positum a Donaldo ô Brien Rege Limericensi post transitum S. Bernardi (qui obiit an. 1153) quia tamen in vitâ S, Malachiæ a D. Bernardo descriptâ an, 1152. Monasterij Surienſis fit mentio, probabilius putat Wareus ibidem Monachos Surienses ab aliâ sede eidem Surio fluvio appositâ huc migrasse, quam sedem hic primò fixisse.

219. Respondent in Patriæ Historiis versatissimi cum S. Bernardo defuisse quidem *ab initio* Pallij usumSuccessoribus S. Patricij in Sede Armacanâ, præsertim ab irruptione Danorum Sæculo nono, non tamen *in initio*, cum Scribant Jocelinus cap. 166, alijque plures magni nominis Authores S. Patricium a Summo Pontifice fuisse pallio decoratum. hanc interpretationem (quam verissimam evincunt adducenda inferius num. 247.) Illmo Olivero Armacano attribuit fol. 12. Pe-

trus Dubs: at mirum est quod post exactissimum suum scrutinium consulendo Authores, et revolendo Annales (sicut gloriatur fol. 41.) non detexerit ita exponi Triad. Thaumaturg. pag. 307. diu ante Illmum Oliverum. *Argutiolam* vocat dicens: " meminerit Armacanus " quod negatio malignantis sit naturæ, adeoque quod tempus omne " tollat, nullumque relinquat quo Præsules Armacani pallio, aut " Primatu potiti fuerint ante D. Bernardi tempora.

220. " Deindè petit, quid respondebimus ad Arianos simili di- " stinctiunculâ Sanctorum Patrum argumentum eludentes? sic enim " argumentantur Patres: Verbum fuit *ab initio*, ergo fuit *ab æterno*. quid si respondeant Ariani, fuit quidem Verbum *ab initio*, sed non fuit *in initio*, adeoque non fuit ab æterno, sed est Creatura? quid reponet Arianis Armacanus? quinam quæso illi Patres tam ineptè contendentes contra Arianos? cum centena, quemadmodum Armacanus, et omnes vel tenuissimæ eruditionis alij fideles haberent ad manum Solidissima e divinis eloquiis et traditione testimonia, quibus Arianorum impietatem everterent, nec illos latere potuit illud longè melius ad rem agitatam, et plenius convincens Joan. 1. *in principio erat Verbum*, ergo fuit ab æterno, quod contra Hæreticos urget S. Augustinus tract. 1. in Joan. quo loco, aut Sæculo vixerunt illi Patres, quibus nominibus nun cupandi, quo Scripto, aut libro ita dissertarunt intus, an foris, in corpore, an in margine, vel paulò post finem?

221. Verosimile est in eâdem officinâ, unde prodiit obtrusa Superius num. 30. Definitio Primatus, nullibi antea audita, procusum fuisse illud Suppositititium argumentum Patrum nihil cogitantium de hujusmodi ineptiis, aut ludicris ambiguitatibus terminorum, sed ad refellendam Arianam Hæresim delirantem filium esse longè inferioris a Patre dignitatis, ab eoque in tempore creatum, docuerunt filium Patri coæternum, et consubstantialem Ὁμοούσιον et definivit concilium Nicænum primum, ut illud vocabulum pro tesserâ esset, ac Catholico Signo, quo insurgens Hæresis ab Ecclesiæ castris eliminaretur, et dignos cerentur Hæretici. quapropter perpetuus Arianorum malleus S. Athanasius lib. de Synodis Voculæ istius vim his magnificat verbis: *Solam hanc dictionem, ut quæ ipsorum convincit hæresim, adversarij reformidant, quam quidem Patres pro munimento, et arce contra omnia illorum impia commenta Scriptam objecerunt.*

222. Sed ut paululum discutiamus *negationem malignantis naturæ, defuit ab initio*, &c. juxta Petrum Dubsem. qui S. Bernardum ex

facundo

facundo Rhetore accuratum Logicum renunciat, apud quem a Dialectico rigore vel latum unguem recedere piaculum sit. præluxit quidem plerisque Sanctis Patribus D. Bernardus Sermonis nitore, et elegantiâ, at hoc cum iis habet commune, quod non tam rigorose ad Logicorum cotem suum exacuerit stylum, quin nonnunquam ab eorum stricto loquendi genere discederet, quare si dialecticorum negationes tam malignæ sint naturæ, ut nihil relinquant ei, de quo prædicantur, non sic tamen se semper habent Bernardinæ negationes, ut Sexcentis testimoniis ex ejus scriptis evincitur, duo tamen seligo quæ maximè ad præsens spectant negotium.

223. Primum desumitur ex illius Sermone in festivitate S. Malachiæ habito, ubi inter cætera encomia Sanctum laudans deprompto argumento ex benificentiâ, et misericordiâ, quam sine personarum acceptione necessitatem patientibus exhibuit, in hæc tandem prorumpit verba: *deerat* (Malachias) *nemini expanso omnibus pietatis gremio*, ubi verbis utitur negativis iisdem, quibus supra de pallio loquens. quis autem dicat illa verba *nemini deerat* extendi ad omnes omninò ubique Terrarum in necessitate constitutos? cum vel intra ipsius Hiberniæ limites multi extarent ad quos, aut ob locorum distantiam non pertingebant, aut præ eorum indignitate clausa sunt viscera misericordiæ ejus. numquid erga filios Belial, qui cap. 8. condixerant Regem cum Episcopo trucidare, et ad orationem Malachiæ fulmine percussi interierunt?

Numquid erga garrulum detractorem, cujus maledica lingua computruit vermibus ex eâ scatentibus, et tandem cum illis miseram expuit animam cap. 9? numquid mulierem ibidem infelicem Blasphemias evomentem in Sanctum, et tandem versam in insaniam morte demum horrendâ luit peccatum Blasphemiæ, expertam sibi Malachiam alterum Elisæum, ut alia terrifica sileam judicia, numquid (inquam) erga illos misericordiam, et pietatem exercuisse dicendus est S. Malachias, et non potius justam vindictam exigentibus peccatis?

224. Secundum petitur ex lib. 2. cap. 7. de considerat. ubi hæc habet: *omnia illi desunt qui nihil sibi deesse putat* quod autem superbis, et suæ infirmitatis ignaris (quos ibi perstringit) non desint omnia, nullus catholicus inficias ibit. Superbo siquidem homini, sicut et aliis peccatoribus multa supereſſe dona non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis ordinis, qualia sunt fides spes, &c. dogma fidei

est.

est a Patribus Tridentinis definitum Sess. 6. præsertim can: 28. de justificat,

225. Nec *argutiolam*, nec absonam interpretationem memoratam liquidò colliges ex Hypothesi non purè Metaphysicâ (utinam nunquam reducendâ in praxin) quod Archiepiscopus Dublinienſis consecratus Dublinii paulo post deportaretur in exilium ad exteras Regiones, ibique multis annis relegatus degeret in ærumnis, salvâ veritate ex communi usu loquendi dicere posset *ab initio* meæ Inaugurationis non vidi Ecclesiam meam, cum tamen vere vidisset *in initio*. Similiter differens de magno in primitivâ Ecclesiâ fidelium fervore, et contemptu rerum temporalium dum act. 4: " multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum quæ pos-" sidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia:" Simulque observans subsequentium mox temporum corruptionem cum refrigescente charitate, et subinductâ cupidine possidendi, omnes (ut improperat Apostolus ad Philip 2.) quæ sua sunt quærerent, non quæ Jesu Christi: Sine præjudicio veritatis affereret defuit *ab initio* primitivus ille fervor Christianorum.

226. Et ultra quod ipsis rudimentariis Grammatices notoria sit differentia inter præpositiones *ab* et *in*, cujus trita tam in profanis, quam in Ecclesiasticis historiis occurrunt exempla: non desunt etiam in Sacris litteris: nam Christus Dominus qui in initio voluit ignotus delitescere, et non nisi Trigesimo anno, Luc. 3. vocavit Discipulos, tamen illos alloquens Joan. 15. ait: vos *ab initio* mecum estis, et ut docet S. Augustinus lib. 12. de civit Dei cap. 9. Diabolus *in initio* creatus in bonâ voluntate cum amore casto, quo Creatori adhæreret, dicitur Joan 8. et 1. Joan 3. homicida, et peccator *ab initio* homicida scilicet ob mortem suggestione Diabolicâ homini illatam notabili intervallo post creationem Angelorum, sive creati fuerint cum ipso Mundo visibili, ut putat D. Thomas 1 part. quest. 61. art. 3. vel ante Mundum corporeum juxta S. Hieronymum in epist. ad Tit. Gregorium Nazianzenum Serm. de natal: Damasenum, aliosque Patres Græcos, et sapient 12. de antiquis Palestinæ habitatoribus devictis a populo Israel, " enumeratis sceleribus eorum præ filiis Israël," etsi eosdem habuerint Progenitores justum Noe, aliosque Sanctos Patriarchas per Seth descendentes ab Adamo creato cum dono gratiæ *in initio*, etsi statim *ab initio* deciderit amicitiâ Divinâ, ut censent Theologi cum D. Thomâ 1 part quæst. 95. art. 1, et 2. 2 quæst. 5. art. 1.

art. 1. in corp.) de antiquis, inquam, habitatoribus Paleſtinæ dicitur: ſemen erat maledictum *ab initio*, et Joſue alloquens populum cap. 24. ait: trans fluvium habitaverunt Patres veſtri *ab initio*.

227. Unde habes quam perperam, et parum peritè, fol. 13. dicat Petrus Dubs. *certe fateatur neceſſe eſt* (Armacanus) *ab initio atque ab æterno, ſeu ante ſæcula eſſe Synonima*: niſi credat (quod abſit) Diſcipulos ab æterno cum Chriſto, et Diabolum ab æterno Homicidam, et peccatorem extitiſſe, &c. imo quod maxime nollet, ſedem Armacanam, (cujus deprimendæ avidiſſimo flagrat ſtudio) in ſummo honore cunctis fuiſſe *ab* æterno: quoniam iiſdem verbis docet S. Bernardus ubi ſupra num. 6. in tantâ *ab initio* cunctis Veneratione habitam, &c. unde Spectato obvio ſenſu, rectâ intelligentiâ verborum, et uſitato more loquendi manifeſtum eſt (ni multum halluciner) cuilibet partium ſtudiis non nimium præoccupato nec Jocelinum, nec alios celeberrimos Authores aſtruentes pallium Patricianum contradicere S. Bernardo, ſed utrinque convenire, quamvis illos ignorantiæ Magiſtraliter inſimulet Petrus Dubs. et citra menſuram juſtitiæ, et charitatis *mendacem* pronunciet Jocelinum.

228. Objicit, fol. 9. et acerbè ingeminat, fol. 78. afferentes pallium S. Patricij non convenire quis Pontifex illud conceſſerit, cum alius referat ad unum, alius ad alterum Pontificem, unde infert Pallium Patricianum eſſe *Chimæricum, miſerum, Individuum vagum, ex lana Caprinâ contextum, Suſpenſum, volitanſque per aera, Stephani Protomartyris Reliquiis aſſutum.* dolenda nimis de Rebus Sacris in Præſule Catholico cachinnatio, et experto Hiſtorico indigniſſima conſequentia. diſceptatum fuit, et adhuc ſub judice lis eſt: in quâ civitate Græciæ Græcus homo natus fuerit Homerus quâlibet illum vindicante civem ſuum. Variant etiam ſcriptores ſe S. Patricij in Epiſcopum conſecratore, quem alij dicunt S. Cæleſtinum, alij S. Germanum Antiſiodorenſem, quidam Amatorem, vel Matthæum Antiſtitem, nonnulli Præſulem Trevirenſem, aut Tongrenſem.

Diſcordant ſimiliter enumerandis annis, S. Patricij, et quo æræ chriſtianæ obierit, videatur Thomas Meſſinghamus florileg. Sanctor, pag. 136, et 137. Trias Thaumaturg, pag. 234, et 252. cum ſeqq. ergo homo chimæricus fuit Homerus nullibi natus: nunquam conſecratus Epiſcopus S. Patricius, nec etiamnum mortuus. Nugæ nugarum, et puerilia crepundia nequaquam ferenda in viro erudito, niſi ſimul avidiſſimè pruriente ad cavillandum. diſcrepantia autem Scriptorum

de

de Authore Pallij donati S. Patricio paulo poſt conſtructam Armachiam proceſſit ex eo, quod alij anticipent dictam conſtructionem, alij protrahant ad diverſa tempora, Pallij traditionem, aſſignantes Pontifici qui tunc præfuit. nec ex hâc (credo) diſcordantiâ Authorum concludet Petrus Dubs. fundationem Armachiæ eſſe chimæricam.

229. Accuratius hanc rem inveſtigantes conveniunt Pallium S. Patricio conceſſum a Leone primo, qui ab An. 440. ad 461. clavum rexit Eccleſiæ, et S. Patricius poſt erectam, An. 454 Metropolim Armacanam, monitu, et adjutorio Angelico Romam petiit pro confirmatione, et obtinuit, ut confirmat inter alios Bolandus relatus num. 4. ſcribens: *Armachia in Metropolim erigenda fundatur, An.* 454. - - - - et *An.* 455, *vel* 456. *Romam Angelico juſſu iterum adiit Patricius, Reliquiaſque, et Metropolis a ſe conſtitutæ Confirmationem refert.* vid. etiam num. 3. n. 5, et n. 193, cum inferius dicendis num. 377.

Quærendum eſſet a Petro Dubſi. num illis primis ſæculis ad exercendas functiones Metropolitanas, et Primatiales neceſſarium fuerit abſolutè Pallium ex præcepto canonum, an vero Ornamentum ſolummodò, et *Inſigne* juxta Innocentium 3. (vid. num. 238. ſeu *Index*, ut loquitur Baronius ad An. 336.) plenitudinis honoris? ſi primum nullus credo reperietur inter Catholicos tam enormiter inſaniens, ut ore maledico audeat effutire S. Apoſtolum noſtrum Sacrorum Canonum obſervantiſſimum inſtituendo Archiepiſcopos, et Metropoles erigendo (vid. num. 197, et n. 198.) tam infamem, et impium prævaricatorem, qui contra ſtrictè inhibentes Regulas Eccleſiaſticas ſine pallio vetitam provinciam uſurparet.

230. Si ſecundum: quis tali Ornamento, ac honore magis dignus inter Præſules ſui temporis quam ſignis, et prodigiis tanquam ſplendidiſſimum in cælo Sydus coruſcans, verè Thaumaturgus S. Patricius, qui tot millenas animas, imo integram nationem ex Erebi faucibus ereptas ad Chriſti Ovile, et S. R. E. græmium perduxit? ut vel inde quilibet ſemotis præventionibus rectè colligat rationi, æquitati, et ſimul veritati conſentaneum, quod ſcribit Jocelinus cap. 166. " dum in ſummi Pontificis præſentiâ ſui adventus expoſuiſſet cauſam " (Patricius) in oculis ſuis ſummam invenit gratiam. Imprimis " ergo illum ut Hiberniæ Apoſtolum amplexans, ac pronuncians *pal-* " *lio decoravit*, illique vices ſuas committens, atque Legatum ſuum " conſtituens quæcunque in Hibernia geſſerat conſtituerat, diſpoſuerat, " authoritatis ſuæ munimine confirmavit.

Ad

Ad hanc commiſſionem Legatinam a nullo alio Authore (quod Sciam) ante Jocelinum aſſertam reſpiciens Petrus Dubs. dicit fol. 21. S. Patricium, non ut Primatem, ſed ut Legatum, ſeu Nuncium Apoſtolicum rexiſſe Eccleſias Hiberniæ, quamvis cap. 8. vit. S. Malachiæ doceat S. Bernardus Gilbertum Limericenſem coævum ſuum Sæculo duodecimo primâ functum legatione Apoſtolicæ Sedis per univerſam Hiberniam. Attamen quia tradit S. Bernardus Metropolicæ Sedi defuiſſe ab initio Pallij uſum, *mendax* (juxta Petrum Dublinienſem) eſt Jocelinus dum Scribit S. Patricium pallio fuiſſe decoratum. quidni munus Legationis, et pallium colligit ſimul rejiciendum ex S. Bernardo, vel utrumque aſtruendum cum Jocelino? his in ſuo robore permanſuris.

231. Sicut Sæpius a Sede Apoſtolicâ Epiſcopi fuerunt pallio donati, abſque eo quod inde Archiepiſcopi, aut Primates efficerentur, vel eorum Eccleſiæ conſtituerentur Metropolitanæ, quod patet de Quinqueeccleſienſi in Hungaria *cap. cum in juventute de præſumpt*, de Auguſtodunenſi in Galliâ *lib. 7. S. Gregorij Papæ epiſt 3, et 112.* de Papienſi in Longobardiâ, Lucenſi in Tuſcia, Bambergenſi in Germania teſtante *Andrea Vallenſi paratitl lib. 1. tit 8:* ita pariter conſtat plures, et quidem multis Sæculis extitiſſe Patriarchas, Primates, et Metropolitanos, nunquam tamen aſſecutos pallium, cujus prima mentio (aſſerente Cardinale Baronio ad an. 336.) reperitur in rebus geſtis Romanorum Pontificum, cum Marcus Papa conſtituiſſet, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopos Urbis, tunc Pallio uteretur.

Sed ut referantur ipſa Baronij verba ibidem: " primò (inquit) " hic mentio in rebus geſtis Romanorum Pontificum habetur de " pallio Summi honoris, et poteſtatis plenitudinis *Indice.* idemque " dictum reperitur Phrygium, quod potiſſimum eſſet Pontificis Ro- " mani *Inſigne*, ab eodem Metropolitanis *aliquando* Solitum im- " pertiri . . . : . . . . . Sicut olim in Sacerdotio Hæbræorum " erat Summi Sacerdotis Superhumerale Inſigne, quod nefas eſſet " aliquem alium Sacerdotum, vel Pontificum indui, ita in chriſtianæ " Religionis Sacerdotio genus illud indumenti, quod Pallium dicimus, " ſummi tantum Pontificis ceſſit uſui; ab eo tamen *compluribus Epiſ-* " *copis magna ex cauſa communicatum.*

232. Quibus verbis diſertè indicat non Semper, ſed aliquandò, et magnâ ex cauſâ communicatum pallium iis, qui veri erant et indu-

bitati Metropolitani: quoniam ut reſcribit S. Gregorius Papa lib. 7. epiſt. 5. Brunichildæ Reginæ Francorum: " priſca conſuetudo ob- " tinuit, ut honor Pallij niſi exigentibus cauſarum meritis, et forti- " ter poſtulanti dari non debeat." Sedit Marcus Papa dict. An. 336. ante quem vix non trecentis annis Eccleſias Alexandrinam, et Antiochenam a S. Petro factas Patriarchales docet Baronius ad An. 39. adeoque illarum Præſules conſtituti fuerunt Patriarchæ, quorum Prærogativæ declarantur An. 325. in Concilio Nicæno, ut anteà vidimus, et ejuſdem concilij can. 7. perhibetur Eccleſia Cæſareenſis Metropolitana Paleſtinæ, idem de aliis Eccleſiis conſtat ſæculis præcedentibus ex relatis ſupra num. 59. de ſummis Pontificibus Anacleto, Caliſto, Victore, Sixto, &c.

233. Mediocriter imbuti notitia Eccleſiaſticâ norunt S. Cyprianum, anno 250. evectum ad Sedem Carthaginenſem Primatem fuiſſe, et quidem totius Africæ, qui tot ex aliis Provinciis Africanis habentibus peculiares Primates (vid. num. 60, et 61.) pro controverſiâ de rebaptizandis Hæreticis, indictis a ſe conciliis præſedit authoritate Primatiali. norunt etiam Cæſareæ, Cappadociæ Metropolitam fuiſſe Firmilianum, qui in eundem cum S. Cypriano lapidem impegit, et Synodo Africanis conformi habitæ Iconij in Phrygiâ, convenientibus eò Epiſcopis ex diverſis Aſiæ Provinciis præfuit, cujus extat ad Cyprianum epiſtola (quæ inter Cyprianicas eſt 61) plena querelarum contra Stephanum Papam, quia docentes rebaptizandos Hæreticos communione fidelium Stephanus interdixit, conſulatur Baronius ad annos 254, 255, et 258. Cabbaſutius notit. Eccles. pag. 63, et notit. concil. a pag. 25.

234. Nec etiam ſubſequentibus Marcum multis ſæculis acquiſitio pallij neceſſaria fuit indiſcriminatim Metropolitanis, Primatibus, aut Patriarchis, ſiquidem ex Theodoreto refert Baronius ad An. 430. Cyrillo Alexandrino " miſſum fuiſſe a Cæleſtino Papâ Phrygiam, (ipſum " nempe pallium, quo *ſignificatur* plena poteſtas) eoque Cyrillum u- " ſum fuiſſe in Epheſino Concilio, et in Sacris Solemniis more Ro- " mani Pontificis, ac denique illud privilegium propagatum eſſe ad " Alexandrinos Epiſcopos Succeſſores." Nicephorus non pallium, ſed Mitram quâ uterentur Romani Pontifices, a Cæleſtino miſſam affirmat, cui in annotationibus ad illum locum aſſentitur Spondanus.

Cæterum caſu quo Pallium tunc Cyrillo tradiderit Cæleſtinus, unde privilegium poſteà derivatum eſt ad Succeſſores, certè primum reperitur

peritur conceſſum Alexandrinis dict. An. 430. cum tamen a primordiis chriſtianitatis fuiſſent verè, et proprie Primates, ſeu Patriarchæ, ut jam vidimus. quare quod poſtea aſſecuti ſint Pallium, plenitudinis quidem honoris, et officij Pontificalis *Inſigne* fuit (ut loquitur canon 5. concilij quarti Lateranenſis) ſeu *Index* juxta Baronium citatum num. 229. non extenſio poteſtatis ultra attributam anteà a S. Petro, et expreſſam in concilio Nicæno ſuper Egyptum, vel Lybiam, et Pentapolim. Et dum Patres Chalcedonenſes An. 451. decernerent, ut Antiſtes Conſtantinopolitanus Patriarcha eſſet, et primus poſt Romanum, non pallium petierunt a Leone Papâ, ſed confirmationem ſui Decreti. Item dum in Concilio Generali quinto An. 553. Eccleſia Hieroſolymitana erigeretur in Patriarchalem, nulla reperitur traditio, aut mentio pallij.

235. Et Venerabilis Beda lib. 1. cap. 27. ſcribit S. Auguſtinum poſt converſionem Ethelberti Regis Cantij perexiſſe in Gallias An. 597. ibique de mandato S. Gregorij Papæ a Vigilio Epiſcopo Arelatenſi conſecratum *Archiepiſcopum Gentis Anglorum*: quod ad eundem annum refert Creſſius, lib. 13. cap. 5. Auguſtinus igitur inſtitutus fuit Archiepiſcopus nullius Eccleſiæ particularis, ſed generaliter Nationis Anglicæ ſine aſſecutione pallij, quod non niſi poſt aliquot annos ſcilicet 601. (ut teſtantur Beda, ibid cap. 27, et 29. Baronius ad eundem annum; Creſſius dict. lib. 13. cap. 12.) ipſi tranſmiſit S. Gregorius, qui pro ſummo ſuo jure poterat, ſi voluiſſet diutius, imo pro ſæculo, et amplius differre honorem illum gratuitum, quin interim deſineret eſſe Archiepiſcopus Auguſtinus, aut Archiepiſcopalis ſeu Primatialis (quam utpote Anglorum Apoſtolus ſibi, et Succeſſoribus delegit) Eccleſia Cantuarienſis.

Et Baronius ad An. 738. aſſerit ab ipſo fermè coaleſcentis in Galliâ Chriſti Eccleſiæ initio contigiſſe, ut Eccleſia Viennenſis ſedes eſſet Archiepiſcopalis, quamvis prima mentio de pallio Viennenſibus conceſſo occurrat, dum illud Gregorius tertius ſæculo octavo miſit ad Willicharium Epiſcopum Viennenſem, ut tradit Anaſtaſius Bibliothecarius.

236. Et Henricus Hunthingdonenſis, lib. 1. hiſtoriar, ac Joannes Tynmuthenſis in vita Archiepiſcopi Dubricij Landavenſis Scribunt a SS. Germano Antiſſiodorenſi, et Lupo Trecenſi agentibus in Britanniâ contra Hæreſim Pelagianam, in ſede Landavenſi non procul ab Urbe Legionum Archiepiſcopum Dubricium fuiſſe ſtabilitum. " poſtquam

" (inquiunt) prædicti Seniores Pelagianam hæresim extirpaverant, " Episcopos pluribus in locis Britanniæ consecraverunt, super omnes " autem Britannos dextralis partis Britanniæ beatum Dubricium " summum Doctorem a Rege, et clero electum *Archiepiscopum* con- " secraverunt : hâc Dignitate ei a Germano et Lupo datâ consti- " tuerunt illi Episcopalem Sedem concessu Mauritij Regis, Princi- " pum, Cleri, et Populi apud Podium Lantavij in honorem S. Petri " Apostoli fundatam." quod proculdubiò contigit authoritate Apostolicâ : non enim Sancti illi Præsules Germanus, et Lupus Episcopi Suffraganei in Galliâ, et munere duntaxat Missionariorum fungentes in Britanniâ præsumerent ibi Episcopos, vel Archiepiscopos constituere, nisi Speciali fuissent Pontificiâ commissione suffulti.

237. Et in Galfridij Monumethensis historiâ, ac in libello de statu Landavensis Ecclesiæ, sicut et in vita Elgarij Eremitæ S. Dubricius *Archipræsul, Metropolita,* et *Primas* totius dextralis Britanniæ nuncupatur. addit Galfridius ibid cap. 1. ab eodem Dubricio Urbis Legionum tunc *Archiepiscopo* Arthurum Regni Britannici Diademate insignitum : ipsumque Dubricium in Curia illâ magnâ, quam apud Urbem Legionum Arthurus tenuit, in Eremiticam vitam anhelantem sese ab Archiepiscopali sede deposuisse sacrato in ejus locum Davide Regis Avunculo. Et in vitâ ejusdem Davidis Joannes Tynmuthensis habet : " expulsâ hæresi fides sanis pectoribus roboratur, et *S. David* " *totius Britanniæ* (scilicet dextralis) *Archiepiscopus constituitur, et* " *civitas ejus totius Patriæ Metropolis dedicatur, ita ut quicunque eam* " *regeret, Archiepiscopus foret.*

238. Et Giraldus Cambrensis itinerar Cambr lib. 2. cap. 4. loquens de magnâ Synodo Episcoporum, Abbatum, et Universi Cleri totius Cambriæ una cum populo collectâ : " unanimi, ait, totius Conventus " tam Electione, quam acclamatione quanquam invitus, et renitens " David in *Archiepiscopum* est sublimatus." ecce in vicinâ Britanniâ, et Cambriâ, seu Walliâ constituti Archiepiscopi, et Primates, ac erectæ Metropoles Ecclesiasticæ absque traditione, vel etiam mentione Pallij, quod nec a SS. Germano, aut Lupo nec a Principibus, aut Episcopis dari potuit, quippe solius Romani Pontificis supremæ potestati reservatum, et a *Beati Petri tantum corpore assumitur, cap. significasti de Elect.*

Etsi postea Concilij Lateranensis quarti can. 5. indulserit Innocentius tertius ut postquam Quatuor Orientales Patriarchæ, Constantinopolita-

nopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hieroſolimitanus a *Romano Pontifice acceperint Pallium, quod eſt plenitudinis officij Pontificalis Inſigne, præſtito ſibi fidelitatis, et obedientiæ juramento, licenter et ipſi ſuis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe Profeſſionem canonicam, et pro Romanâ Eccleſiâ Sponſionem obedientiæ ab eiſdem.*

239. Et Rogerius Hovedenus, ac Gualterius Coventrienſis in hiſtor ad An. 1199. aſſerunt a diſceſſu Sampſonis (qui graſſante morbo Epidemico ſeceſſit in Britanniam Armoricam ſæculo ſexto) omnes Epiſcopos Menevenſis Eccleſiæ uſque ad tempus Henrici primi Angliæ Regis dignitate Archiepiſcopali uſos abſque pallio, et habuiſſe Suffraganeas ſeptem ſcilicet Landauenſem, et de S. Paterno, Bangorenſem, et de S. Aſaph, Ceſtrenſem, Herefordenſem, et Vigornenſem. Concinit Giraldus Cambrenſis Dialog. de Eccles. Menevens diſt. 2. et quamvis poſterioribus ſæculis ſtrictius obſervetur, ne abſque pallio erigatur Metropolis Ecclesiaſtica, et ſeverius inhibeatur ne Archiepiſcopus exerceat Archiepiſcopales functiones priuſquam impetret pallium, tamen *cap. quod ſicut de Elect.* reſpondit Legato ſuo Cardinali S. Stephani in Cælio Monte Innocentius 3. in hæc verba.

240. " Cæterum cum antequam tu ad Partes Hibernicas perveniſſes " illa fuit Electio celebrata, et Electus ipſe ſtatim cæperit miniſtrare, " tu ſatis ad id potes ſub diſſimulatione tranſire cum id, ſicut noſti, " de Metropolitanis Angliæ, Franciæ, Allemanniæ, et aliarum partium remotarum, qui concorditer ſunt electi, Romana ſedes patiatur " Eccleſiarum utilitate penſatâ : quia ſi tanto tempore quouſque " poſſet Electus confirmationem cum Pallio a Sede Apoſtolicâ obtinere, Regalia non reciperet Ecclesia, quæ interim Adminiſtratione " careret, non modicum incurreret detrimentum.

Iſta referens fol. 25. Petrus Dubs. " fateor (inquit) nihil me vi- " dere in his verbis quod Primatui Armacano ſine Pallij uſu faveat." Scitur quid in caſu non diſſimili faterentur incolentes Caveam Platonicam. Et novit poſtremus Petri Dubs. Succeſſor non ſibi Româ miſſum pallium, ſed Breve Apoſtolicum indulgens ut abſque pallio expleret munia Archiepiſcopalia. quidni idem potuiſſent præcedentes Pontifices, et ſuo diplomate ſine pallij traditione conſtituere Dignitates Metropolitanas?

241. Hujuſmodi Exemplis pleni ſunt codices ; ſed ne fusius digrediamur ad externa habentes Domeſticum, et quidem peremptorium in caſu præſenti ex ipſo S. Bernardo, quem in partes ſuas trahere, et erro-

erroris ſui Patronum efficere etsi invitum, et reluctantem, imo a: pertiſſimè repugnantem abſque minimâ apparentiâ veri, omni vi enititur Petrus Dubs. Etenim narrat melliſluus Doctor cap. XI. vit. S. Malach quod Romam proficiſci deliberaret ad procurandum pallium Metropoliticæ Sedi Armacanæ, addens: " Erat et altera Metropo-
" litica Sedes, quam de novo conſtituerat Celſus primæ tamen Sedi,
" et illius Archiepiſcopo Subdita tanquam Primati, et huic quoque
" optabat nihilominùs pallium Malachias, confirmariquè authoritate
" Sedis Apoſtolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipiſci me-
" ruerat. Et cap. 12. Erat tunc temporis in ſede Apoſtolicâ felicis
" Memoriæ Innocentius Secundus Papa - - - - - petiit Malachias
" confirmari novæ Metropolis conſtitutionem, et utriuſque ſedis pal.
" lia sibi dari, et *confirmationis quidem privilegium mox accepit* : de
" palliis autem oportet (ait Summus Pontifex) ſolemniùs agi. con-
" vocatis Epiſcopis, et Clericis. &c.

242. Habes itaque authoritate Apoſtolicâ, et quidem Sæcuio duodecimo ſine pallio confirmatam Metropolim, quam de novo conſtituerat Celſus. quid quæſo defuit, aut deeſſe potuit quominùs cenſenda impoſterum, et vera eſſet, ac completa Metropolis? non enim dicitur confirmari, niſi actus legitimus, et a competente perſonâ debitè celebratus, alioquin repellitur omninò, vel ex gratiâ inſtituitur de novo: confirmatio autem dat robur actui confirmato, et reddit ex omni parte Solidum, et completum. *cap. 2. de confirmat util vel inutil: cap. quoties de pact: cap. ſi Apoſtolicæ Sedis de præbend in 6. cum ibi gloſs et DD: L Aurelius § teſtamento ff. de liberat legat*: et notat. Baldus per illum textum in *L. 1, in fin cod ſi advers rem judic*: Paulus de caſtro in *cons* 187. *notandum eſt in principio lib.* 2. Rota in *recens decis* 175. *n.* 8. *par* 5. *et decis* 58. *num.* 30. *p.6*, et coram Gregorio. 15. *decis* 267.

243. Et cum Sæculo duodecimo erigi potuerit, et confirmari Authoritate Apoſtolicâ ſine impetratione pallij Metropolis Caſſelienſis, cur non eodem jure, eâdemque authoritate ſtabiliri potuit, et confirmari Sæculo quinto Metropolis Armacana, et S. Patricius more commemoratorum (num. 232. et Seqq) Sanctorum Præſulum conſtitui, et conſecrari Archiepiſcopus nationis Hiberniæ, poſito etiam quod neutri conceſſum fuiſſet pallium a Sede Apoſtolicâ? nonnulla veniunt hic annotanda. primum non petiiſſe S. Malachiam, nec indulſiſſe Papam Jnnocentium confirmationem Metropolis Armacanæ, quam uterque

uterque noverat authoritate Romani Pontificis dudum a S. Patricio totius Insulæ principem Metropolim constitutam.

Secundum non ægrè tulisse, nec atttentatum putasse Summum Pontificem quod novam Metropolim erexerit S Celsus potestate Primatiali, alioquin nullatenus confirmanda, sed Severissimè punienda præsumptio in Episcopis inferioribus, Sicut visum est num. 112. Zozimum Papam repressisse vesanum ausum Proculi Massilienſis illumque dejecisse a Sede Suâ. Tertium non esse credibile quod S. Malachias tantum laboraret, ut pallium acquireret etiam nova Metropolis erecta a S. Celso, et Subdita primæ Sedi, ejusque Archiepiscopo tanquam Primati, si impetratione pallij eximendam putaret a dictâ Subjectione, aut imminuendam authoritatem Primatialis Ecclesiæ Armacanæ, cujus honorandæ potius, decorandæ, et ampliandæ studio maximè incumbebat.

244. Imaginatur Petrus Dubs. fol. 35. et 79. Jnnocentium Secundum denegasse pallium Sedi Armacanæ, nec in eo Subsistit impositio, sed haud minori confidentiâ, quam si ad arcanum Pontificis concilium vocatus ex ore Pontificio didicisset, addit ex penu cerebri sui, et nullo authore, aut teste fingit motiva cur Pontifices Romani Primatum Hiberniæ statuere Armachiæ noluerint: sic enim nugatur, aut saltem Lectoribus fucum facere enititur dicens: " verebantur prudentes " Pontifices ne per Primatum in provinciâ, ac Civitate Armacanâ, " in quâ dominabatur illa Gens (quæ per ducentos annos Sedem " Armacanam usurpaverat) rediret Summa rerum ad Sobolem " pessimam octo Virorum uxoratorum et quindecim Generationum, " quæ Hibernicam Ecclesiam penitus everterant. idem verebantur " piissimi Hiberniæ Monarchæ Terdelachus, ac Muriertachus ô " Brien, qui Primatum Dublinij figere maximè cupiebant.

245. Et fol. 37. *duæ* (inquit) *potissimum rationes retraxerunt Summum Pontificem a concessione pallij, ac Primatus Sedi Armacanæ . . . . prima fuit prudens cautela, et paterna charitas, quâ Hibernorum Saluti prospiciebat: si enim instituerentur Armachiæ Hiberniæ Primatus, novæ dignitas renovaret ambitum, acueretquè industriam diabolicæ progeniei ad pessimorum Parentum Tyrannidem revocandam* (mirum quod ibi novus Archiepiscopatus postea ex mente Petri Dubs. institutus fuisset, ne nova dignitas renovaret ambitum. &c.) *Secunda ratio fuit canonum observatio, nam juxta illos in Civitate Dublinienſi, utpote prima Regni stabilendus fuit Primatus . . . . . cui favebant Reges pro libertate*

libertate Ecclesiasticâ contra Ultonienſis illius familiæ potentiam, ac inſultus vid. fol. 39.

246. Acerba nimis cenſura, et commoti animi de enucleatione veritatis parum curantis apertum indicium. de fabuloſo Regum Studio, ac imaginariâ canonum obſervantiâ pro commentitio Primatu Dubliniensi egimus Superiùs ſuis locis, et minus Sincerè corrumpendo Textum, adulterando ſenſum contra expreſſam mentem, et declarationem S. Bernardi ait *pallium denegatum* (de Primatu autem ſtabilito ab initio nulla fuit poſtulatio) *Sedi Armacanæ a Papâ Innocentio Secundo*, quod longè Majoris fidei authoritate refellitur propriis videlicet ipſius S. Bernardi verbis ubi ſupra num. 241. "de "palliis oportet (ait ſummus Pontifex) ſolemnius agi, convocatis "Epiſcopis, et Clericis, et Majoribus Terræ celebrabitis generale "concilium, et ſic conniventiâ, et communi voto Univerſorum per "honeſtas Perſonas requiretis pallium, et *dabitur vobis.*" iſta referens, fol. 37. Petrus Dubs. ſupprimit hæc ultima verba, et *dabitur vobis*, quorumloco ſubſtituit familiariſſimum ſuum, *et cætera*, quo paſſim penes ipſum latet anguis in herbâ, et cavendæ ſunt tendiculæ ad Subverſionem veritatis.

247. Et iterum S. Bernardus cap. 23. *recordatus* (Malachias) *ſibi* "*a Papâ Innocentio fuiſſe promiſſum pallium* .... itaque convocantur "Epiſcopi, Concilium cogitur, tractata triduò quæ tempori im- "minerent, *die quartâ aperitur concilium de Pallio requirendo placet.* "de quo in vitâ S. Gelaſij cap. 15, et in annal apud quatuor Magi- "ſtros ſic refertur: S. Gelaſius. et S. Malachias tunc Legatus "Apoſtolicus Solliciti de rebus Ecclesiæ Hiberniæ, et præſertim "*Armacanæ Sedis* (*quæ etſi a primâ fundatione nunquam caruerit* "*Dignitate Metropolis, a multis tamen diebus uſu caruit pallij*) "meliori loco collocandis, Synodum Antiſtitum, et Cleri indicunt, "ut communi conſilio de his maturius decernatur.

"Locus conventui deſignatus Eccleſia de Inniſpatrick, quo cum "Epiſcopi, Presbyteri, et alii multi conveniſſent, poſt multa ad mo- "res, et Ecclesiæ reformationem Spectantia piè Sancita, communibus "Suffragiis decernitur ut Legatus ipſe Apoſtolicus S. Malachias ad "ſummum Pontificem delegetur pro commiſſis Ecclesiæ negotiis felicius "expediendis: paruit lubens vir Sanctus, ſed in Galliam perlatus, "in Monaſterio Clarevallenſi apud S. Bernardum morte præventus "anno ætatis ſuæ 54, et Chriſti 1148. obiit." ubi ſedes Armacana a "pri-

primâ fundatione vera exiſtens Metropolis, non Semper, ſed *a multis diebus* (Scilicet a Tyrannide Danorum) caruit uſu pallij affirmantibus tam Sanctis Præſulibus rerum Hibernicarum Scientiſſimis.

Conſtat igitur liquidiſſimè teſte S. Bernardo ex Sententiâ, et communi voto Univerſorum in Concilio Nationali, cui cum Epiſcopis et clericis interfuerunt Principes, et Majores Terræ (ſic enim juſſerat Jnnocentius, cujus mandato nefas eſſet dicere non paruiſſe ad unguem S. Malachiam) pallium requirendum non obſcuræ, et intra muros coarctatæ parochiæ Dublinienſi, cujus nulla tunc incidit cogitatio, ſed Metropolitanæ Sedi Armacanæ, pro quâ antè poſtulavit S. Malachias. Conſtat pariter pallium promiſiſſe Jnnocentium, etſi executionem diſtulerit: hæc tamen poſitiva promiſſio erit (juxta interpretationem Petri Dublinienſis) abſoluta denegatio, quamvis vulgò dicitur quod differtur, non aufertur, et ut ait tract. 102, in Joan S. Auguſtinus, *quædam non negantur, ſed ut congruo dentur tempore differuntur*: haud diſſimilis eſt gloſſa Calvini ſuper verbis Evangelij: *venit Jeſus januis clauſis Joan* 20: quæ ipſe interpretatur *id eſt januis apertis.*

248. Quam imprudentem, imo ſtolidam, et fatuam affingat cautelam Jnnocentio Secundo, colliges ex S. Bernardo, qui poſtquam cap. 7. vit. S. Malach deſcripſiſſet Uſurpationem peſſimæ progeniei dicens: " Mos peſſimus inoleverat quorundam diabolicâ ambitione " Potentum Sedem Sanctam obtentum iri hæreditariâ Succeſſione, " nec enim patiebantur epiſcopari, niſi qui eſſent de Tribu, et " familiâ ſuâ, nec parum proceſſerat execranda Succeſſio decurſis " jam hâc malitiâ quaſi Generationibus quindecim, et eouſque " firmaverat ſibi jus pravum, imo omni morte puniendam injuriam " Generatio mala, et adultera, ut etſi interdum defeciſſent clerici " de Sanguine illo, ſed Epiſcopi nunquam: denique jam octo ex- " titerant ante Celſum viri uxorati, et abſque ordinibus litterati " tamen, inde tota illa per univerſam Hiberniam diſſolutio Eccleſiaſ- " ticæ diſciplinæ, cenſuræ enervatio, Religionis evacuatio . . . . . " nec mirum: nam *quomodo tam morbidi capitis membra valerent.*

249. Subjungit cap. 8: " ex hoc jam qui mutiret adverſus eum " (Malachiam) non fuit, dicentibus qui de Semine Canaan ſunt, " fugiamus Malachiam quia Dominus pugnat pro eo: *at Serô iſtud* " *quia Zelus Domini ubique occurrens iis perſecutus eſt eos uſque ad* " *internecionem: quomodò intra paucos dies periit memoria eorum cum*

" *Sonitu? quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, prop-*
" *ter iniquitatem Suam? grande hodieque miraculum facit tam velox*
" *generationis illius deletio, his præſertim qui eorum noverant ſuper-*
" *biam, atque potentiam.*

En totam deletam Generationem iſtam uſque ad internecionem affirmante S. Bernardo, nec id ignoravit Jnnocentius Secundus, quippe " menſem integrum (verba ſunt D. Bernardi cap. XI.) fecit in " Urbe (Malachias) loca Sancta perambulans, et frequentans cauſâ " orationis, cumque per id temporis ſæpe ac diligenter ab eo, et ab " iis qui cum eo erant Summus Pontifex inquiſiſſet eſſe Patriæ, " mores Gentis, ſtatum Eccleſiarum, et quanta in Terra Deus per " eum operatus fuiſſet, paranti jam repatriare commiſit vices ſuas " per Univerſam Hiberniam Legatum illum conſtituens.

250. Attamen prudenti cautelâ, et paternâ charitate Hibernorum Saluti proſpicientem manes defunctorum terrebant Papam veritum ne iterum reviviſcentes peſſimorum Parentum Tyrannidem revocarent juxta Petrum Dublinienſem nec Sufficit, quod ipſe ita imaginetur adinventione phantaſticâ deludens Lectorem, ſed oportuit ejuſdem veſaniæ complicem reddere, et Authorem Romanum Pontificem; hujuſmodi anguſtiis, ac ineptiis plerumque comprimuntur deſperatæ cauſæ Suſcipientes patrocinium.

Hic obiter nota toto cælo aberrare quoſdam Sciolos imperitè, vel malevolè effutientes familiam illam, quæ Sanctuarium Dei quaſi hæreditario jure tot annis uſurpabat, fuiſſe clariſſimam, ac olim Regiam ô Neillorum Gentem, quæ in varias diviſa nobiliſſimas ſtirpes, plures Regiones, et ampliſſimum Tyroniæ Principatum poſſedit uſque ad memoriam Patrum noſtrorum: quomodò tempore SS. Bernardi, et Malachiæ tota deleta, aut proindè illa Uſurpatrix Eccleſiæ Metropolitanæ cenſeri poterit?

251. Petes tamen cur Pallium petenti S. Malachiæ illicò non conceſſerit Jnnocentius Secundus, ſed diſtulerit ad tempus? *cum non Soleant Romani Pontifices* (ſic ait fol. 79 Petrus Dubs.) *denegare Sanctis Epiſcopis pallium horum Prædeceſſoribus, Sedibuſque olim conceſſum.* Reſponderet ipſe, vel Aſtipulator pro eo ad interrogatum noſtrum num. 77, et alibi cur poſt reiteratas inſtantias apud Sedem Apoſtolicam, *Titulum Primatis* non tantum diſtulerit, ſed indignatus penitùs denegaverit Clemens decimus? aut cur nunquam Bullis Pontificiis de Electionibus Dublinienſium Antiſtitum, aut reſcriptis

eos

eos insertus fuerit ille titulus, si ex institutione Evgenij tertij, aliorumve Pontificum, aut decisione Jnnocentij Sexti Primates fuissent? cum non soleant Pontifices Romani denegare Præsulibus Titulum horum prædecessoribus, Sedibusque olim concessum. dõnec hoc se extricabit anfractu, quod neutiquam aptè, vel congruè continget in Diebus nostris, nisi ingenuè fatendo Primatum Dublinienſem merum esse, et ridiculum figmentum.

252. Non præsumimus ausu temerario judicare de mente Summi Pontificis, cum ipse suam non aperuerit, quis enim Consiliarius ejus fuit, aut Scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est 1. corinth, 2? audeat hoc Petrus Dubs. occultorum tum præcedentium, tum futurorum gnarus, et passim videt ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. si tamen liceat conjecturis, et quidem (meo judicio) plausibilibus indulgere, præterquam quod S. Gregorius ubi Supra num. 232. Scribat, quod prisca consuetudo obtinuerit, ut honor pallij nisi exigentibus causarum meritis, et fortiter postulanti dari non debeat: et doceat Baronius ad an. 717. Turpinum Archiepiscopum Rhemensem non nisi post quadraginta vel amplius annos in illâ Sede peractos ab Hadriano primo *precibus Caroli Magni* pallium impetrasse, cum tamen Rhemensis Ecclesia Archiepiscopalis esset a tempore S. Remigij Sæculo quinto; et plures Turpini Antecessores palliis fuerint insigniti. quid ergo opus precibus Caroli Magni ad obtinendum pallium post tantum intervallum, si omnibus indiscriminatim tunc temporis Archiepiscopis, seu Metropolitanis deberetur?

Non sibi pallium petiit S. Malachias tunc constitutus Suffraganeus; Episcopus Dunensis, sed abdicatæ a se antea Metropoli Armacanæ, seu in eâ Successori suo S. Gelasio, qui debuit per se, vel proprium Nuncium de gremio Ecclesiæ suæ pallium postulare, fidei professionem emittere, ac propriâ Subscriptone munire præstito fidelitatis, et obedientiæ juramento: *can quoniam*, et, *can. optatum dist.* 100, *et cap. significasti de Elect.* præterea nullum erat periculum in morâ quoniam ex adductis a num. 231. ad. 243. Patet ad obeunda Munia Archiepiscopalia, sue Primatialia non fuisse tunc absolutè necessarium usum pallij. et verisimile est improbasse Papam Innocentium segnitiem Armacanorum tot sæculis, præsertim ab irruptione Danorum non requirendo Pallium (vid. superius num. 247.) et ideo non voluisse concedere nisi post congrega-

tum concilium, et communi voto petitum, ut hâc Solemnitate admonerentur omnes præteritæ incuriæ, et caverent impoſterum.

253. Exhibet, fol. 14. Petrus Dubs. octoviros uxoratos, de quibus num. 248, et portentoſis, ac metum incutientibus figuris in ſtadium ſæpius adducit Uſurpatores Metropoliticæ ſedis, et ſub eorum profanatione triumphabundus certam ſibi promittit Victoriam, dicitque, fol. 62. ducentorum annorum ſpatio uſurpaſſe ſedem Armacanam: in quo certè multum hallucinatur directè contrarius S. Bernardo enumeranti de familiâ illâ quindecim Generationes, quorum octo tantum tradit fuiſſe uxoratos ordinibus carentes: Ergo ſeptem erant ordinati, ſeu ordinibus initiati, qui ni ſubitò expiraverint, impleverunt notabile ſpatium ducentorum annorum: et illorum ultimus fuit S. Celſus ex illa potenti familiâ oriundus, qui a pravâ ſui Generis conſuetudine feliciter degenerans, ac Tyrannicam execratus Uſurpationem tranſtulit Dei Sanctuarium a ſuâ familiâ in S. Malachiam:

254. Malachiæ autem promotioni utpote extranei in locum Celſi omni vi reſtitit iniqua progenies, non autem inſtitutioni Celſi, quia erat de ſemine ſuo. nec S. Celſum duntaxat, ſed et reliquos ſex veros fuiſſe Antiſtites (accedente ſcilicet declaratione, ac conſenſu Cleri, etſi fortè non ex omni parte quandoquè voluntario, ſed ad præveniendum Schiſma) non eſt cur ambigamus, et luculenter patebit inferius nec deſunt hujuſmodi exempla in aliis ſublimioribus Eccleſiis, imo et in ipſa ſupremâ: Siquidem Felix Secundus ab Ariano Imperatore Conſtantio vi ſubrogatus Liberio, et Vigilius in locum Silverij mandante Theodorâ Auguſtâ intruſus a Belizario (adde Sergium tertium, Joannem x, xi, xii; et xx. Benedictum nonum alioſque ſimili violentia intruſos) qui legitimi habiti ſunt, dum illos clerus Romanus (ad evitandum Schiſma quod prævidebatur vexaturum Eccleſiam, ſi quos alios eligeret) communi ſententiâ agnovit, et creavit Pontifices. iſta fuſius, et ingemiſcens refert Baronius, ad annos. 355, 357, 538, 540, 908, 912, 931, 1024, et 1033.

255. Deficientibus Clericis de Semine nequam Laici, et Uxorati execrandâ ambitione Sedem Sanctam occuparunt, quam ſibi proinde abripi, aut aliis conferri non patiebantur, donec ſuæ ſtirpis alij matureſcerent, vel obvenirent ordinibus initiati, et apti miniſterio, hoc peſſimum Exemplum mutuati a paulò ante per Regem Mulſhachlinum expulſis Danis, qui Ethnicâ profanatione partiti inter ſe Eccleſias

sias, et Ecclesiasticos fundos, nomen etiam, et titulum Dignitatum Sacrilegè assumentes hæreditariâ Successione intra Usurpatrices familias nitebantur retinere non tantum in Hibernia sed passim alibi.

Adeoque voluerunt ad Archiepiscopatum Lundensem promovere Eschillum quemdam, non aliâ ratione quam quod de familia præcedentium Archiepiscoporum esset dicentes se non passuros Archiepiscopatum in alienam familiam transferri, et Ericum (Regem de quo in Martyrologio Romano die 18 Maij) contra nitentem interfecerunt: *Cranzius historiæ Danicæ lib. 5 cap.* 20. Unde ut tradit *Ketinus lib.* 2. *pag.* 51. Danorum Princeps crudelissimus Turgesius expulso *Primate Armacano* cum suo clericorum Collegio de suis Beneficiis se fixit in possessione illius Ecclesiæ, et omnium fundorum ad eam Spectantium. nimirum ut qui erat Supremus inter Ethnicos, primarium, et principem Ecclesiam possideret.

256. Debellatis Danis Successit pernicioſa per plures annos inter Principes Hibernicos de supremâ administratione contentio in partes divisis Proceribus, et Potentatibus Sæculi. in tam turbulentis, et calamitosis tempestatibus posteritas Darij Dynastæ (qui primum locum extruendæ Ecclesiæ, et Urbis Armacanæ S. Patricio donavit, et agris, prædiisque ditavit) in Sedem a Majoribus suis dotatam, et ditatam jus Patronatûs prætendit; deinde conata fuit eidem Sedi suæ cognationis Antistites præficere, et sic quasi hæreditario jure possidere Sanctuarium Dei, imo tandem Summâ iniquitate Laicis appropriare; qui fuit pluribus in locis illorum infelicium temporum abusus de quo nonnihil infra.

257. Huc Spectat quod Tyrannide Alberici Comitis Tusculani (Baronium audis ad an. 1033) ægrè ferentis Pontificatum duorum Germanorum Benedicti, atque Joannis Successione stabilitum e domo suâ egredi, proprius ipsius filius Puer in Sacrosanctam Petri Sedem ipsis etiam Angelis reverendam intrusus fuerit nuncupatus in Pontificatu Benedictus nonus: et ibidem a Glabro ista vidente, et deplorante asseritur alterius Benedicti, et Joannis ultimorum Pontificum nepos Puer fermè decennis: adeoque nulli Sacro ordini Suscipiendo aptus.

Et Scribit Giraldus Cambrensis itinerar Cambr lib. 2. cap. 4, et Wareus de Antiquit cap. 17: " per Hiberniam, et Walliam plures " Ecclesiæ Abbates Laicos habent: Usus enim inolevit, et prava " consuetudo, ut viri in parochiâ potentes primò tanquam Æconomi,

" mi, ſeu potiùs Eccleſiarum patroni, et defenſores a clero con-
" ſtituti, poſtea proceſſu temporis auctâ cupidine totum ſibi jus
" uſurparent, et Terras omnes cum exteriori poſſeſſione ſibi im-
" pudenter appropriarent, ſolum Altaribus cum Decimis, et obven-
" tionibus Clero relictis, et *hæc ipſa filiis ſuis, et Cognatis aſſignantes.*
plura hujuſmodi refert Alfordius in Annalibus Angliæ. vid. etiam. S. Bernard vit. S. Malach. cap. 5.

258. *Itaque in Sede Armacanâ Hiberniæ Eccleſiæ capite* (verba ſunt Gratiani Lucij pag. 153.) *diſciplinâ Eccleſiaſticâ nutante. et inveterato malo diu invaleſcente, virus ad cætera membra profluxit, nam quomodo tam morbidi capitis membra valerent?* aliis Dynaſtis in Suarum Ditionum Eccleſiis pariter arrogantibus proprietatem. non enim potuit eſſe Sanitas in membris, quorum caput adeò enormiter laborabat, nec aliunde, niſi ex Capite vitiato ob prævaricationem paucorum Uſurpatorum, et quidem unius familiæ, dimanaret tam generale contagium, aut inficeret totum Regnum. quoniam.

Componitur orbis,

Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus

Humanos edicta valent, ut vita Regentis.

Unde iterum appoſitè idem Lucius pag. 154: cum Armacanæ
" Sedis adminiſtratio penes eos eâ tempeſtate fuerit, qui per vim
" dignitatem iniverunt, et pro libidine, non ex legum Scitis officio
" ſuo functi fuerunt, non eſt mirum e gubernantium iniquitate
" licentiam non mediocrem ad finitimos populos emanaſſe. nec potuit
" aliter fieri, quin quo motu *Eccleſiæ Hiberniæ caput quateretur,*
" eodem reliqua membra multum inclinarentur. et pag. 155 Su-
" prema etiam authoritas eccleſiaſtica in Hibernià olim licentius
" fluctuabat, ut non mirum ſit, ſi Reipublicæ Adminiſtratio
" vehementius laxata fuerit, cum a *Supremo etiam Eccleſiaſtico Ma-*
" *giſtratu* fuerint vitiis laxatæ habenæ. "

259. Durante oppreſſione ſub uxoratis memoratis S. Bernardo (qui Cenſibus, et honoribus Archiepiſcopatus non Epiſcopali ordini inhiabant) fuiſſe ad Sacra miniſteria obeunda veros Antiſtites electos a clero vidimus num. XI. XII, 13, et 14. ex Wareo et Gratiano Lucio,

Lucio, qui quamvis exclusi ab Ecclesiâ, et Redditibus Armacanis quantum per injurias temporum licuit, more prædecessorum Muni. Primatialia per totam Hiberniam obibant tenui quidem plerumqu Successu ob Principum dissentiones, et Procerum vix non ubiqu Ecclesias usurpantium tyrannidem prævalente corruptelâ, ad quam depravati homines magis inclinantur, quam ad morum reformationem, præsertim dum prædicantibus deest disciplinæ Ecclesiasticæ nervus potestas coercendi refractarios, Sicut recentiorum temporum docet experientia, donec tandem divinâ afflante gratiâ, SS. Celsus, Malachias, et Gelasius invalescentia diu mala penitus eradicarunt.

Inter illos veros Antistites reperiuntur Sanctorum albo adscripti B Macbrigidus, B. Dubdalatheus secundus, B. Dubdalatheus tertius, et Malmurius. consulatur Gratianus Lucius pag. 209, et 329. ubi Donaldi Armacani (qui anno 1092. Kennoloniam, anno sequenti Momoniam Universam accuratè lustravit) commendat piam sedulitatem. " dum an. 1096. de Cleri totius Hiberniæ consilio ea jejunia, et pia o- " pera Hiberniæ Incolis injunxit, ut illius imperata hi facientes, " gravissima imminentia pericula averterint.

260. Urget tamen iterum fol. 39. Petrus Dubs. " comminiscens, " ab Usurpatricis familiæ potentia, et insultu occasionem arripuisse " duos Summos Potentifices Adrianum quartum, et Alexandrum " tertium subdendi Hiberniam Anglorum Imperio. quid ergo mi- " rum (inquit) Sedem Armacanam subditam fieri Sedi Dublinienſi " ob eandem causam, et ab eâdem authoritate, quâ Regnum Hiber- " niæ Subditum fuit Angliæ Regno? Sic operosius, quam felicius a- maritudinis tela vibrat non tantum in Ecclesiam Armacanam, sed etiam in totam Gentem Hibernicam, quam nec convictam, nec auditam, sed indictâ causâ ob facinus unius privatæ familiæ, et veluti meritò quidem, subditam affirmat alieno jugo, et tam informis judicij decretum promanasse ab Adriano, et Alexandro Pontificibus, quos ab hujusmodi labis imputatione vindicare potius ex officio deceret Præsulem Catholicum.

261. Adeò certum est diutino consensu totius Nationis, ac possessione tot centuriarum tam firmiter Stabilitum jus, plenitudo potestatis Regum Angliæ in coronam Hiberniæ, ut nullus Sensatus vocaverit in dubium. de Bullis autem Adriani quarti, et Alexandri tertij prolixam instituit discussionem Gratianus Lucius a pag. 166. ad 193 ubi

ubi variis argumentis tanquam fictitias, vel certè ſubreptitias rejiciendas probat dictas Bullas. et ex Richardo Bakero, Harpsfordio, Hovedeno, Giraldo Cambrenſi, Cardinali Baronio, et vita Sancti Martyris Thomæ Cantuarienſis oſtendit pag. 156, 179. et 180, quam parum idoneus muneri Apoſtolico ſeminandi fidem catholicam, aut ad meliorem frugem reducendi prævaricantes nationes fuerit moribus corruptiſſimus, et cæno vitiorum immerſus Henricus Secundus, cui a ſummis Pontificibus committeretur, et commendaretur converſio, et Reformatio Hibernorum.

Ut tamen genuinæ fuerint illæ Bullæ, quid inde præsidij novo attentato Dubliniensium contra Armacanos (de quibus ne verbum quidem in commemoratis Bullis videndis Syllog. Uſſer. pag. 109. et 111) quorum præminentiæ, ac prærogativæ Primatiales per totum hoc regnum confirmatæ fuerunt tot diplomatibus Pontificiis tum antetum poſt tranſlatum dominium ad Angliæ Reges, ùt Sæpius oſtendimus ſuperius.

262. Si antiquo Splendore excidere debuerit Metropolis Armacana ob Sacrilegam Uſurpationem invadentium ſedem Sanctam, quid factum oportuit de aliis primariis Ecclesiis etiam Patriarchalibus Orientis toties, et tam diu damnabili tum Hæreticorum, tum Schiſmaticorum intruſione, ac tyrannide contaminatis? quid de celeberrimis Ecclesiis Lugdunenſi, et Viennenſi in Galliâ per plures annos carentibus veris Epiſcopis, cum furioſo, et inſano conſilio (inquit Baronius ad an. 738.) Francis Res Sacras Eccleſiarum ad uſus ſuos retorquentibus, Laici ſacrilegé et barbarè poſſeſſiones Eccleſiaſticas obtinerent.

Quid de Metropoli Rhemenſi, quam Gregorius 2. epiſt. ad Turpinum relatâ a Baronio ad an. 717. num. 8. acerbé queritur expulſo Sancto Præſule Rigoberto fuiſſe a Carolo Martello donatam Miloni cuidam Solâ tonſurâ Clerico, nihilque ſapienti de ordine Eccleſiaſtico? Subdit ibidem Baronius communem fuiſſe querelam Scriptorum omnium illius Sæculi, quod Epiſcopatus Laicis homnibus ſuæ partis ſtudioſis Martellus dederit perfruendos. nec cum Martello desiit Sacrilega profanatio quoniam poſt centum et amplius annos in ſynodo Compendienſi Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis mnltis egit, et poſtea prolixiori tractatu acerrimè declamavit contra communem ſuo tempore in Galliis uſurpationem Laicorum, Eccleſias et Res ſacras ſibi appropriantium. Epit. Spond. ad an. 823. quantum ad extirpandam uſurpationem Laicorum, Eccleſiaſtica Beneficia eo-uſque occupantium

cupantium in Galliis desudaverit Sanctus Præsul Carnotensis Fulbertus consuli potest Baronius ad an. 1007.

Quid inquam de Metropoli Rhemensi, cui postmodum Heribertus Comes Aquitaniæ filium Suum Hugonem puerum nondum quinquennem, nondum alicujus etiam inferioris ordinis capacem, vixque loqui scientem monstroso ausu, et nunquam hactenus audito præfici curavit Archiepiscopum? (Baronius ad an. 925) scilicet judicio Petri Dublinienſis veteribus prærogativis in odium usurpantium Spoliandæ erant, ac aliis sedibus subjiciendæ dictæ Ecclesiæ reclamante æquissimâ juris Regulâ 76: *Delictum Personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.* Etenim *Super cathedram Moisi sederunt Scribæ et Pharisæi* Matt. 23: quin inde spernenda devenerit, quoniam (ut docet Leo Papa epist, 80) *aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes* et epist, 92: *Etsi diversa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen jura permanent Sedium.*

263. Quam fœda fuerit facies Ecclesiæ Britanniæ, quamque non dictu tantum sed vel cogitatu horrenda irruperit omnium Scelerum lues in clerum, in Reges, Principes et universum populum, ingemiscit, et graphicè describit Gildas legendus apud Usserum de primord. Eccles. Britan. pag. 534, et seqq: præsertim a pag. 548, et Bedam lib. 1. cap. 14, et 22. non minus execranda in suis Anglis reprehendit S. Bonifacius Martyr ad Echildobaldum Angloru n Regem Epistolâ videndâ *can Si Gens dist*, 58. eadem Scelera carpit in Hispanis, Burgundionibus, et Australibus, Gallis, sicut antea fecit Salvianus. de corruptissimis moribus, impuritatibus, sacrilegiis, atque blasphemiis Africanorum, tum sæcularium, tum Clericorum, ac etiam Antistitum Uxoribus commiscentium fuse tractat lib 7, et 8 de provid. et judic. Dei idem Salvianus, qui quatuor libris de Ecclesiâ sub nomine Timothei mirum in modum infectatur execrabilia Christianorum vitia, et maxime Clericorum sui temporis. vid Baron ad an. 439, et 696.

Quid Statuerit de libidinibus Cleri Anglicani, et quomodò animadverterit S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuarienſis, consulatur in ejus vitâ Osbertus, et Baronius ad an. 970. quæ per plura sæcula continuaverit in Galliis, et alibi rapinæ Bonorum Ecclesiasticorum, successiones hæreditariæ Beneficiorum, et incontinentia clericorum, ex canonibus desuper editis in Synodo Rhemensi sub Calisto secundo an. 1119 denotat ad dictum annum Baronius, et S, Bernardus in

ſermone ad clerum in concilio Rhemenſi (cui an. 1131 præſedit Innocentius Secundus) et in alio ad Paſtores in eodem concilio longe, plura, et graviora, magiſque nefanda vitia in faciem objicit Prælatis, et reliquo clero ſui temporis, et acerrimè redarguit, quam quæ in Ul. ſurpatoribus ſedis Armacanæ, et in cuncto Hiberniæ clero reprehendit.

Quanta fuerit fæditas, et corruptio morum in Eccleſiaſticis Germaniæ ſatis conſtat ex eo, quod indictâ Synodo Romæ. " Gregorius Septimus antiquiſſimum renovando decretum de continentiâ " clericorum edixerit: ut presbyteri Uxores non haberent, habentes " ut dimitterent, aut deponerentur, nec quiſquam omninò ad Sacerdotium admitteretur, qui non in prepetuum continentiam, vitamque " cælibem profiteretur: crebraſque eâ de re litteras, et Legationes " ad epiſcopos Germaniæ miſerit, præcipiens ut in ſuis Eccleſiis ejus- " modi Decretum obſervari facerent. Adverſus quod decretum protinùs vehementer infremuit in Germaniâ tota factio clericorum adeo " ut et ipſum Gregorium eo nomine Hæreticum inclamarent, ac malle ſe " Sacerdotium, quam conjugium deſerere jactarent, ſed et Moguntinum Archiepiscopum, qui ut Pontificis mandatum exequeretur, con- " gregatâ Erfordiæ Synodo inſtanter urgebat ut aut conjugium abjura- " rent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent, neci tradere cogitave- " rint. ex quibus videas (exclamat Baronius ad an. 1074) ſimulque deplores miſerandum Statum Eccleſiarum Germaniæ, ut cætera hujuſmodi crimina aliis nationibus toties communia brevitatis gratiâ omittam.

264. Refugit animus commemorare, quæ ſæculis illis ferreis decimo, et undecimo perpeſſa eſt ipſa Suprema, et Sacroſancta Apoſtolorum Principis Sedes tyrannide Imperatorum, Marchionum Tuſciæ, et Comitum Tuſculanenſium, acuentibus furorem duobus infamibus Scortis Moroſiâ, et Theodorâ: quorum ſpecimen exhibet Baronius ad. an. 900 Scribens: " Sæculum decimum aperitur, quo tan- " tis Apoſtolica Sedes jactata eſt procellis, ut cuncta quæ olim paſſa " fuit ſub Gentilibus Imperatoribus, aliiſque quibuſcunque perſe- " cutoribus, horum comparatione ſint æſtimanda luſus quodammodò " puerorum, idque eâ occaſione quod Principes Sæculi hujus quantum- " libèt Chriſtiani, hâc tamen ex parte dicendi Tyranni Sæviſſimi tyrannicè ſibi Romanorum Pontificum Electionem arrogantes quam " plurima horrenda in eam monſtra intruſerunt.

Quæ poſt *Luitprandum* Cremonenſem Epiſcopum, Reginonem Abbatem

Abbatem, Carolum Sygonium, Genebrardum Aquæſexti Archiepiſcopum, Baronium paſſim in Annalibus, alioſque deplorat, et Succinctè perſtringit *Cabbaſutius* notit. eccles· fol. 378. his verbis : " Infauſta, " atque funeſta Eccleſiæ prorſus Sæcula iſta fuere, imprimis quia " Eccleſia Regis Regum Chriſti Sponſa non a Succeſſoribus Petri, cui claves Regni Cæleſtis Chriſtus contulerat, regebatur, ſed a Prin- " cipibus Sæculi detinebatur captiva, eorumque cupiditatibus, et " ambitioni ancillari indigniſſime cogebatur intruſis ad Sacras dignitates " hominibus flagitioſiſſimis, non paſtoribus, ſed Lupis, qui prælaturas " auro, et indigniſſimis obſequiis a Laicis Principibus, eorumque " famulis promercabantur, ita ut emptoribus certamen eſſet, quis " eorum carius licitaretur, aut de ampliori pretio ſatiſdaret.

265. " Alia quoque non inferior peſtis Eccleſiam infeſtabat, et " fædiſſimè commaculabat, publica nimirum Sacerdotum cum muli- " eribus commercia, et convictus. tanta verò inoleverat impudentia, " ut Presbyteri, et Diaconi promiſcuas cum fæminis nuptias publicè. " et —— per Tabulas publicas contraherent convocatis utriſque " Sexus cognatis, et amicis privatim, et publicé congratulantibus ipſi " vero uxorati Sacerdotes poſt Sacrum ad altare celebratum, nocte " inſequenti cum pellice deſponſatâ ſibi cubilis conſortio propudioſè " utebantur. augebatur Eccleſiæ pernicies, quatenus nefariis Solis " iſtis clericis opes, et præbendæ Sacræ affectabantur quandocunque " Imperatorum, eiſque famulantium Antipaparum Scelerata poteſtas " prævalebat. "

266. Hæc Cabbaſutius rectè, et Sapienter monens fol, 367. cum prædictis Authoribus " nihil cauſæ eſſe cur Eccleſiæ Romanæ vitio " verti poſſit hujuſmodi Pontificum promotio, morumque perverſitas: " non enim libera, vel canonicâ Romani Cleri Electione (ut antè, " fieri conſuetum erat) ſed intruſione Principum nefariorum Ro- " manam Eccleſiam quamvis invitam dirâ tyrannide opprimentium " Apoſtolicum Solium iſti conſcenderant. hi fuerunt imprimis Prin- " cipes Italici, qui ſupremâ uſurpatâ Romæ dominatione et Italiam " pro ſuo regentes arbitrio, abolitis Electionum canonicarum formis " ambitioſos Prælatos altiori pretio, et infamibus obſequiis et pollici- " tationibus licitantes ad Romanam Sedem promovebant, cæteraſ- " que Eccleſiæ Dignitates venales habebant. quorum poſtmodum " veſtigiis inſtitere plerique Germanorum Reges, et Imperatores

" Nihil eſt igitur quod miremur, ſi his pravis artibus provecti Pon-
" tifices prave turpiterque vixere. "

267. Hinc percipiet Lector quæ fuerit illis iiſdem temporibus (quibus opprimebatur a Laicis Sedes Armacana) Eccleſiæ Chriſti miſeranda ubique, et dira Servitus in capite, et in membris gementibus ſub Tyrannide Principum, et Potentatum Sæculi, ac concludet ſimiliter nihil eſſe cauſæ, cur Eccleſiæ Armacanæ vitio verti poſſit intruſorum promotio, morumque perverſitas, cum non liberâ, vel canonicâ Armacani cleri Electione promoti fuerint Laici, aut Uxorati *&c.* et mirabitur Præſulem Catholicum, et quidem Hibernum (iſta diſſimulando) octo uxoratorum fæditatem, et inde Scatentia vitia nationis (quaſi ſola præ cæteris inſordeſceret) tanto Strepitu propalare, ut futili, et ridiculo prætextu, effræni recentiorum Dublinientium uſurpationi velificans, Primatum authoritatem attenuare niteretur.

268. Attenderet concinne dictum a Duplexio levitatis notam a Gallis ſuis avertente Memoirs des Galles. lib. 1. cap. XI: quod *indubitatum malitiæ argumentum ſit labem pluribus nationibus, et Eccleſiis communem, uni ſoli affigere.* Etenim (ut ait Cicero) *iniqua eſt in omni re accuſandâ, prætermiſſis bonis, malorum Enumeratio, vitiorumque Selectio.* qui poſt S. Bernardum offuſas ab Uſurpatoribus Sedis Armacanæ tenebras, ac Morum corruptelas collegit et avidè divulgavit, ſaltem Gloriæ Nationis ſtudioſus, ad depellendam ignominiam, famamque reconciliandam ex officio. et debito candidi Hiſtorici, ab Armacanis demum mutatione dextræ Excelſi ſubinductam lucem, et morum emendationem recenſeret pariter, et gratulabundus publicaret cum S. Bernardo cap. 6. vit. S. Malach Scribente.

269. " Ceſſit duritia, quievit barbaries, et domus exaſperans
" paulatim lenìri cæpit, paulatim correptionem admittere, recipere
" diſciplinam: fiunt de medio barbaricæ Leges, Romanæ introducun-
" tur, recipiuntur ubique Eccleſiaſticæ conſuetudines, contrariæ reji-
" ciuntur, reædificantur Baſilicæ, ordinatur Clerus in illis: Sacra-
" mentorum rite Solemniâ celebrantur, Confeſſiones fiunt, ad Ec-
" cleſiam conveniunt Plebes, concubinatus honeſtat celebritas nupti-
" arum. poſtrenò Sc mutata in meliùs omnia, ut *hodiè* illi Genti
" conveniat. quod Dominus per Prophetam dicit: *qui ante non po-*
" *pulus meus, nunc populus meus* et cap. 8. " igitur Malachias in-
" tra

" tra triennium reddità retributione Superbis, et libertate Eccleſiæ " reſtitutâ, pulſâ barbarie, et reformatis ubique moribus chriſtianæ " Religionis, videns omnia in pace eſſe, cæpit cogitare et de Suâ " pace, et memor propoſiti ſui conſtituit pro ſe Gelaſium virum bo- " num, et dignum tali honore.

270 Itaque ſicut ex capite Armachiâ virus defluxit ad cætera membra, ita ex eodem capite Sanitas promanavit ad eadem membra ardentiſſimo Zelo, et aſſiduis laboribus S. Celſi, et Malachiæ. quod non potuit latere Petrum Dubſem poſt exactiſſimum Scrutinium conſulendo quos potuit Authores et Annales revolvendo (ut venditat fol. 41.) diſſimulat tamen, et conſulentibus Authores, ac Annales revolventibus admirationem parit, quod ipſi vel etiam in Mentem venerit Sedem Metropolitanam, et Primatialem Armacanam ſubdendam obſcuræ, et deſpicabili eo temporis Parochiæ Dublinienſi, cujus corruptelæ recenſentur epiſtolâ Lanfranci Cantuarienſis ad Gothricum Dublinienſem, Regulum Syllog. Uſer. pag. 69: quarum Reformatio nullibi commemoratur donec Armacanis poſtiliminio Subjecti fiunt Dublinienſes. Sed quid ultra omnem rationis limitem non incidet æmulationis æſtu percitæ imaginationi?

271. Quæ fuerint Subrogati in ſede Metropolitanâ S. Gelaſij ſtudia pro obſervantiâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ vidimus num. 13. nec ullibi defuit Solicitudo S. Malachiæ cui (etſi abdicatis Primatialibus curis, ut quietius ſibi vacaret, Innocentius Secundus impoſuit vices ſuas Legatum illum conſtituens per Univerſam Hiberniam. quare affirmante S. Bernardo cap. 12. " opus exercetur Legationis a Malachia) " multis in locis celebrantur conventus multi, ne qua regio ſeu portio re- " gionis Legationis fructu, et utilitate fraudetur. ſeminatur ſuper omnes " aquas, non eſt qui ſe abſcondat ab opere ſolicitudinis ejus, non Sexus, non " ætas, non conditio, non profeſſio reputatur: ubique Semen Spargitur " Salutare, ubique intonat tuba cæleſtis, ubique diſcurrit, ubique erum- " pit evaginato gladio linguæ ad faciendam vindictam in nationibus, " increpationes in populis: Terror ejus ſuper facientes mala, clamat " iniquis nolite inique agere, et delinquentibus nolite exaltare cornu, " Religio ubique plantatur, propagatur, fovetur: oculi ejus ſuper eos, et " cura ejus ad neceſſitates eorum: in conciliis quæ paſſim celebrantur re- " petuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuiſſe conſtiterit abo- " litas verò negligentiâ Sacerdotum,, nec modò vetera inſtaurantur, " cuduntur et nova, et quæ cunque promulgaverit tanquam cælitùs " edita acceptantur, tenentur, Scripto mandantur ad ir em oriam poſtero

" rum.

" rum. quidni cælitus miſſa crederentur, quæ tot cæleſtia confirmant " miracula?

272. Hæc facies Eccleſiæ noſtræ, quâ venuſtior vix fortè tunc alibi reperienda; hic rerum ſtatus dum ſub Evgenio tertio, qui an 1152, quatuor Pallia per Cardinalem Paparonium miſit in Hiberniam vix biennio ante Pontificatum Adriani quarti, et ſeptennio ante Electionem Alexandri tertij iſta Scriberet dict. an° 1152. S. Bernardus: hæcque Reformatio elaborata ab Armacanis, et indigenis non indigentibus limâ aut ſcopa Regis Henrici ſecundi, cujus ſæviſſimis edictis videndis apud Baronium ad an, 1164. in ipſius Alexandri tertii injuriam proſcripto S. Thomâ Cantuarienſi cum aliis Eccleſiaſticæ libertatis vindicibus concuſſa fuit Eccleſia Anglicana, et pænè ſubverſa juriſdictio Romani Pontificis per univerſam ditionem Henrici; dignus ſanè, et appoſitus Apoſtolicus Miniſter' cui ipſe Papa Alexander, illiuſque Anteceſſor Adrianus committant curam vitiorum plantaria extirpandj in Hibernià, ac decorandi illam Eccleſiam actu decoratiſſimam, ut conſtat ex citatis verbis S. Bernardi.

Quibus autem adminiſtris, et Evangelicis (ſi Deo placet) præconibus Apoſtolico miniſterio minimè accomodatis, ſed potius domeſticæ inopiæ Sublevandæ cauſâ inhiantibus indigenarum, tum Sæcularium, tum clericorum opibus, et latifundiis, imo etiam et Eccleſiarum direptionibus uſus fuerit Henricus Secundus ad reformandos (enimverò) Hibernorum mores, Eccleſiamque illuſtrandam paucis demonſtrat, et improbat, etſi Hibernis infenſiſſimus hoſtis Giraldus Cambrenſis in proæmio Secundæ editionis expugnat. Hiber: alloquens Joannem Regem Henrici Secundi filium his verbis: *primi, ac præcipui Terræ illius* (Hiberniæ) *expugnatores v, g: Robertus filius Stephani, qui primus ex noſtris Terram illam intravit, et tanquam aliis viam aperuit, atque oſtendit: Herveus de Monte Mariſco, et Reymundus, Joannes de Curcy, et Mielerius legitimam de carne ſuâ prolem ſuſcipere non meruerunt. nec mirum, mendicat enim Miſer in inſulâ Clerus, lugent Eccleſiæ Cathedrales Terris ſuis, et prædiis amplis quondam ſibi fideliter, et devote collatis, a prædictis, et aliis cum ipſis vel poſt ipſos advectis Spoliatæ: Et ſic Eccleſiam exaltare, verſum eſt in Eccleſiam Spoliare, vel expilare.* vid. Analect. pag. 190, et Gratian. Luc. pag. 52.

Proſequitur topag. diſt. 3. cap. 35. idem Cambrenſis dicens: *Eccleſia Chriſti in novo Principatu noſtro nihil de novo conferentes, non tantum*

tantum principali largitione, debitoque dignam honore non judicavimus, quin imo Terris ſtatim ſublatis, et poſſeſſionibus, priſtinas eidem dignitates, et antiqua privilegia vel mutilare contendimus, vel abrogare. Et Gulielmus Neubrigenſis lib. 2. cap, 26. addit: *Angli ſub Specie militantium Hiberniæ Inſulæ irrepſerunt, et deinde accitis ex Angliâ viris inopiâ laborantibus, et lucri cupidis vires paulatim auxerunt, tandem accerſerunt ex Angliâ præficiendum ſibi virum nobilem et potentem Comitem Scilicet Richardum, qui nimirum cum eſſet Magnanimus, et Supra vires Rei familiaris profuſus, ampliſſimis Redditibus exinanitis, et exhauſto ferè Patrimonio creditoribus erat Supramodum obnoxius.* quales, cujuſve conditionis, et indolis fuerint reliqui inferioris Ordinis vulgares, ſeu gregarij Commilitones indicat pag. 282. Anglus origine Gratianus Lucius, ſive Joannes Lynch. Conſuli etiam poteſt ex eâdem Gente oriundus Doctor Ketinus lib. 2. verſus finem.

273. Cap. 7. vit S. Malach. Armacanam D. Bernardus vocat *Sedem primam.*" contigit (inquit) infirmari *Archiepiſcopum Celſum,* " ipſe eſt qui Malachiam in Diaconum, Presbyterum, Epiſcopum: " que ordinavit, et cognoſcens quia moreretur, fecit quaſi teſtamen- " tum, quatenus Malachias deberet Succedere ſibi, quod nullus vi- " deretur dignior qui epiſcoparetur in *Sede primâ* &c. " quod fol. 17. interpretatur Petrus Dubs *primam eſſe antiquitate, ſed non dignitate,* et quod dignitas præfecturæ Dublinienſis, utpote Capitis Hiberniæ plus faciat ad Primatum, quam Antiquitas Sedis Armacanæ. de commentitio capite, et nugatorio inde deducto prætextu toties egimus.

At iſta more ſolito inanis eſt, et a vero ſenſu detorta expoſitio, quaſi vero Solicitudo morientis Celſi eò tenderet, ut provideret primæ a S. Patricio qualicunque extructæ Eccleſiæ, non illi quæ dignitate, et authoritate cæteris præeminebat, unde veluti ex capite dependebat Sanitas, et incolumitas membrorum. et ante erectam Metropolim Armacanam an. 454. (de quâ infrâ) centenas ab ingreſſu ſuo an. 432. Sanctus Apoſtolus noſter ædificavit Eccleſias, præfecitque Paſtores, et Epiſcopos; adeoque Spectatâ antiquitate Structuræ longè præcedentes Sedem Armacanam: ut cæteras prætermittam occurrentes in actis S. Patricij.

274. Scribit in ejus vitâ lib. 3. cap. 3. S, Evinus et ex eo Jocelinus cap. 143. quod " diſcipuli ſui S. Macarteni infirmitate, et

" annis

" gravati divinis laboribus compaſſus S. Patricius promiſerit locum
" vitæ contemplativæ congruum, nec tamen ab activæ piis exercitiis
" alienum: et quia S. Patricius talis Diſcipuli diligebat præſentiam
" providit illi Eccleſiam, *nec a Sede Archiepiſcopali, quam in Ar-*
" *machiâ conſtructurus erat Angelo jubente* nimis remotam, nec eidem
" *Metropoli*, ne forte a Secuturis Archiepiſcopis gravaretur, valdè
" vicinam. ſic profectò factum eſt, ut vir Domini non vexaretur
" *Sedem primam* frequentando, ac Patricium Sanctum viſitando ob
" viæ longinquitatem, nec ejus Eccleſia deſpicabilis videretur ob
" nimiam vicinitatem. expletis aliquantis diebus præfecit illum
" *Clocherenſi Eccleſiæ*, quam ipſe S. Patricius tunc regebat, et cum
" conſecraſſet eum in Epiſcopum contulit illi Chriſmatorium &c.

275. Tradit quoque Wareus de Præſul. fol. 41 Eccleſiam Cathedralem Clocherenſem primum fundatam ante conſtructionem Eccleſiæ Armacanæ quæ a S. Evino, Iocelino, aliiſque geſtorum S. Patricij Scriptoribus Synonimè *Metropolis*, et *prima Sedes* nuncupatur. Et S. Bernardus cap. 9. (ut toties obſervavimus.) " erat et altera
" Metropolitica ſedes, quam de novo conſtituerat Celſus *primæ ta-*
" *men Sedi, et illius Archiepiſcopo ſubdita tanquam Primati.* Ubi iterum tam diſertis verbis mentem ſuam exponit D. Bernardus, ut nullum relinquat cavillandi locum de intelligentiâ *primæ ſedis*

Et Mirabile eſt in exactiſſimo ſuo Scrutinio hæc non occurriſſe Petro Dubſi, qui fol. 16. et 20. dicit. " Illmum Oliverum Arma-
" canum pro ſuo Primatu teſtimonium deſumere ex verbis S. Ber-
" nardi narrantis cap. 10. S. Malachiam compoſuiſſe diſſenſionem
" in Urbe Corkagienſi: et reſpondet quod illam litem diremerit S.
" Malachias, non ut Primas, aut Epiſcopus Armacanus, quia Epis-
" copatum jam reſignaverat, ſed ut Nuncius Apoſtolicus. Et in fine tandem verum attigit, in reliquis tamen multum aberrat, quoniam nuſquam illo teſtimonio uſus eſt Oliverus, aut alius pro Primatu Armacano habente aliundè Solidiſſima argumenta ex factis præcedentium Antiſtitum, ac ipſius S. Malachiæ, dum ante abdicationem Primas eſſet (vid. num. xi. et ſeqq) quorum tamen pleraque diſſimulando prætermittit Petrus Dubs, et, hoc quod abſonum eſſet adducere in Teſtimonium, gratuitâ imaginatione affingit Illmo Olivero. dicitur Ariſtoteles pariter commentus Ideas Platonicas, eas que Platoni affinxiſſe ut plauſibilius illum impugnaret.

276. Audet

276. Audet, fol. 45, contra torrentem asserere titulo Metropolitani Armacanis attributo nullam fuisse annexam jurisdictionem Archiepiscopalem, aut Primatialem, *ut satis claré* (ait) *Colligitur ex jure Canonico, et clarè indicat D. Bernardus in vitâ S. Malachiæ in facto Celsi, qui erigere sedem alteram Archiepiscopalem in Hiberniâ conatus est, quæ obediret Armacanæ tanquam Primati, visum tamen sibi* (*Malachiæ*) *inquit Bernardus, non tute satis actitari ista absque sedis Apostolicæ Authoritate Romam proficisci deliberat, maximè quod Metropoliticæ sedi deerat adhuc, et defuerat ab initio Pallij usus.* ita ille totidem verbis. ostenderet quo loco inspiciendum jus Canonicum unde id colligitur, non enim reperitur in toto corpore juris, Diplomatibus Pontificiis, aut Constitutionibus Conciliaribus, non alibi nisi forte novos Canones ipse procudat, nec satis demiranda licentia, quâ toties imponitur id *Clarè indicare*, S. Bernardum, qui clarissimè indicat oppositum.

277. Cæterum, in illis verbis multipliciter desideratur fides Authoris, imprimis nusquam habet S. Bernardus quod *conatus* fuerit Celsus, sed absolutè pronunciavit, *erat et altera Metropolitica sedes quam de novo Constituerat Celsus.* &c. et ut rei series innotescat propriis, D. Bernardi verbis, qui ubi Cap. 9. retulit, S. Malachiam Libertate Ecclesiæ restitutâ, et Reformatis ubique moribus Christianæ Religionis, abdicasse Metropolim Armacanam substituto pro se Gelasio, et Dunum secessisse, ita exorditur Cap. 10.

278, " *Malachias factus Dunensis Episcopus* confestim more suo " curavit asciscere ad solatium sibi de filiis suis Conventum Regu- " larium Clericorum, et ecce rursus accingitur quasi novus Christi " tyro ad Spirituale certamen, rursus induitur Arma potentia Dei, " Sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ Cænobialis, " otium contemplandi, orandi assiduitatem : quæ tamen omnia vo- " to magis valuit diu tenere quam actu ; Etenim Universi confluebant ad eum, nec modò mediocres, sed et Nobiles, et Potentes " se illius sapientiæ, et Sanctitati instruendos, corrigendos, ac re- " gendos committere festinabant, et ipse interdum, ibat, et exibat " seminare semen suum *disponens, et decernens totâ Authoritate de* " *Rebus Ecclesiasticis* tanquam ex Apostolis unus, et nemo illi dice- " bat in quâ potestate hæc facis videntibus cunctis signa, et Prodi- " gia quæ faciebat : et quia ubi Spiritus Domini ibi Libert s. Vi- " sum tamen sibi non tutè satis actitari ista absque sedis Apostolicæ

" Authoritate, et Romam proficiſci deliberat, maximeque quod " Metropoliticæ ſedi deerat adhuc, et defuerat ab initio Pallij uſus, " quod eſt plenitudo honoris. hucuſque, S. Bernardus.

279. Undè liquidiſſimè patet anxietatem S. Malachiæ reſpicere tantummodò *iſta* quæ hic referuntur ab ipſo geſta, dum poſt abdicatum Primatum exiſteret ſuffraganeus Epiſcopus Dunenſis, non autem facta a ſe, aut Prædeceſſore ſuo S. Celſo dum Primatiali Authoritate potirentur, nec niſi poſt aliquot lineas adjungit S. Bernardus allata jam verba *Erat et altera Metropolitica ſedes quam de novo conſtituerat Celſus primæ tamen ſedi, et illius Archiepiſcopo ſubdita tanquam Primati, et huic quoque optabit nihilominus Pallium Malachias, Confirmarique Authoritate ſedis Apoſtolicæ Prærogativam; quam beneficio Celſi adipiſci meruerat.* et Cap. 10. aſſerit ſubditam primæ ſedi Armacanæ novam Metropolim, adeoque factum Celſi ita approbaſſe ſummum Pontificem Innocentium 2. ut Confirmationis Privilegium mox conceſſerit.

280. Quæ cum ſuo loco exhibita, et obvio ſenſu intellecta maniſeſtiſſimè evincant præeminentiam, et juriſdictionem Primatialem Armacanam (vide huc ſpectantia, num 202). voluit Petrus Dubs, pervertendo textum, ordinem invertendo inſerere de ſuo verbum *conatus*, ac in enarratione præponere erectionem novæ Metropolis, ut exiſtimaret incautus Lector ſenſiſſe Malachiam non ſatis tutè conſtitutam a S. Celſo. ita peculiare eſt nonnullis diſcerpere, confundere, immutare, et corrumpere pro ſuo libitu.

Si non detineretur Studio veritatis, cujus non elucidandæ, ſed quantum patet ex toto decurſu, obnubilandæ, et ſupprimendæ videtur ſuſcepiſſe Provinciam, conſuleret ſaltem famæ ſuæ, veritus ne recurrens Lector ad Originalia documenta, pudendam hanc, et infamem detegeret impoſturam, non omiſit advertere Loco citato num. 275. S. Malachiam poſt dimiſſum Archiepiſcopatum Armacanum, non ut Primatem, ſed ut Legatum, ſeu Nuncium Apoſtolicum compoſuiſſe diſſenſionem Corkagienſem; pari ſedulitate, et candore, hic quoque adverteret, et moneret Lectorem, S. Malachiam non ut Primatem, ſed poſt abdicatam ſimiliter Metropolim Armacanam dubitaſſe an tutum ſibi Epiſcopo Suffraganeo Dunenſi eſſet actitare *iſta*.

281 Et quoniam *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, et Deum Patrem* ad Galat. 1, *et nihil*

hil minus fuit ab ijs qui sunt supra modum Apostoli. 2. Corinth. 12. ascendit videre Principem Apostolorum, Petrum, et contulit cum illo Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset ad Galat. 2. quidni Episcopus Dunensis nullâ præditus Potestate extra diæcesim suam meritò Arbitraretur non tutum sibi *disponere et discernere totâ Authoritate de rebus Ecclesiasticis* in hoc Regno absque Authoritate sedis Apostolicæ? cui tamen et Prædecessoribus in Metropoli Armacanâ nulla incidit hujusmodi dubitatio, aut perplexitas scientibus ad se a Romanis Pontificibus Constitutos Primates spectare Dispositionem rerum Eccleſiasticarum jure Ordinario.

282. Nec hic subsistit Artificium, nam ubi ex jam visis docet S. Bernardus Armacano Archiepiscopo alteram Metropolim fuisse subditam *tanquam Primati*, id invertit fol. 20. Petrus Dubs. veluti *instar*, vel ad similitudinem Primatis, substituitque quam putavit magis diminutivam propriæ significationis voculam *quasi* Primati, caveret tamen ne (quod exprobrat Armacano fol. 12.) videatur ipse manum porrigere Arianis impiè concludentibus Christum non esse verum Deum, sed factum ad similitudinem Dei ex verbis Joan. 1. vidimus Gloriam ejus *quasi* Unigeniti a Patre, *&c.* forsitan dum ex usu, et præscripto Ecclesiæ in hymno defunctorum recitaret. *ingemisco tanquam reus*, non verè se Peccatorem, aut ullis reatibus irretitum Arbitrabatur, sed *quasi* reum, seu ad similitudinem peccatoris tantum, rara tamen hæc felicitas, et paucis communis in mortali hâc, et luteâ peregrinatione, cum dicat Spiritus Sanctus Eccles. 7. 21. *non est homo justus in Terra qui faciat bonum, et non peccet*, et Proverb. 20. 9. *quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum a peccato.* et Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

283. Et hujusmodi cavillatæ intelligentiæ particulæ *tanquam* refragantur apertè hagyographi, & Authores Ecclesiastici, ac profani cum Grammaticis. Quoniam dicitur act. Apost. 2. & *factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis. & ad* Hebr. 13. *Mementote laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes.* non tamen *quasi*, vel ad similitudinem, sed vere spiritus est Deus, Joan. 4, & vere in vero corpore, non imaginario, aut phantastico morabantur ij, ad quos scripsit Apostolus. Et ut amplius innotescat, quam inconcinna sit, ac Historico, simul, & experto Grammatico minimè digna memorata interpretatio, seu substitutio

particulæ *quaſi* loco *tanquam.* quâ tamen poſt Petrum Dub—m nonnulli Scioli ejus aſſeclæ abutuntur contra Armacanos.

284. Dum Primatus totius Hiſpaniæ a S. Petro conſtitutus Toleti (ut affirmant aliqui apud Baronium ad an. 610) ubi ab *antiquo* fuiſſe tradit ipſe Baronius ad an. 649, & ante ipſum Urbanus ſecundus loco ſtatim referendo, ibidem poſtea inſtauraretur, & confirmaretur, noluerunt Præſuli Toletano, aut ulli Primati, preterquam Romano Pontifici, ſubeſſe Archiepiſcopi Hiſpaniarum, Baron. ad an. 681 (non enim in noſtrâ tantum Hibernià occurrunt Refractarij) ſed illorum auſum repreſſerunt Urbanus Secundus, Paſchalis 2, Caliſtus 2, Lucius 2, Alexander 3, Innocentius 3, & Honorius 3, confirmantes Primatum Toletanum per univerſas Provincias, & Eccleſias Hiſpaniarum, de quibus fuſè tractant Baronius ad dict. an. 681 & 1088. Tudenſis, Garſyas Loayra, Marianus de reb. Hiſpan. lib. 9. cap. 16. Rodericus lib. 6. cap. 18, & Joannes Azorius inſtitut. moral. part. 2. lib 3. cap. 36.

285. Ubi exhibet Urbani Secundi ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum Epiſtolam, quæ inter alia hæc habet: Benevolentiâ Romanæ Eccleſiæ ſolitâ, & dignâ Toletanæ Eccleſiæ Reverentiâ " ——— te ſecundum quod ejuſdem urbis *antiquitùs* con" ſtat extitiſſe Pontifices, in totis Hiſpaniarum Regnis Primatem " privilegij noſtri ſanctione ſtatuimus, *Primatem te* univerſi Præſu" les Hiſpaniarum recipient, & ad te ſi quid inter eos quæſtione " dignum exortum fuerit, referent. at quia Terraconenſis Archi" epiſcopus præfato Bernardo Archiepiſcopo Toletano *tanquam Pri*" *mati* obedire recuſabat, ad eum ſcripſit idem Urbanus Papa in " hæc verba: memineris ita te Archiepiſcopum conſtitutum, ut " tam tu, quam Univerſi Provinciæ Terraconenſi Epiſcopi Tole" tano *tanquam Primati* debeatis eſſe ſubjecti". En quem ſupra abſolutè ſtatutum affirmat Primatem, nunc vult ei alios ſubjectos eſſe *tanquam Primati*, non *quaſi* aut inſtar ſeu ad ſimilitudinem.

286. Pariformiter, *Cap. dudum de Elect*: Innocentius 3. Confirmatâ Electione Colloſſenſis Eccleſiæ Præpoſiti, adeoque legitimi, et indubitati, mandat, ut ei *tanquam* Præpoſito reſpondeatur *&c.* pænè innumeræ ſunt hujuſmodi Elocutiones, ſed ut redeamus ad S. Bernardum, qui Cap. 7. vit. S. Malach. refert apud noſtrates ingentem reverentiam, et honorem S. Patricij *tanquam Apoſtoli* hujus Nationis, qui totam Patriam Convertit ad fidem, vere tamen,

non

non *quaſi*, aut *inſtar* fuit Apoſtolus noſter, ſicut oraculum Pontificium toties Declaravit, et conſentiunt omnes Authores, ſiquidem Titulus, et nomen Apoſtoli jure competit omnibus, qui legitimè miſſi ab Apoſtolicâ ſede ſignis, et prodigiis populos, et nationes ad fidem Chriſti convertiſſent, ut patet ex praxi, et ſenſu communi, ac liquet etiam ex ſententiâ ſynodi Lemovicenſis, et Reſcripto Joannis Papæ 20. in causâ Apoſtolatûs S. Martialis: videatur Baron ad an. 1029 et ad An. 695, et 1124, de Apoſtolatu S. S. Swiberti, Audomari, et Othonis Bambergenſis.

287. Dum infirmaretur brevi moriturus S. Celſus fecit quaſi Teſtamentum (ut toties viſum eſt) quatenus Malachias ſuccederet ſibi in ſede primâ hoc (inquit S Bernardus cap. 7.) præſentibus indixit, hoc mandavit abſentibus, hoc ſpecialiter, ambobus Momoniæ Regibus et Majoribus Terræ S. Patricij authoritate præcepit, cujus reverentiâ, et honore *tanquam* Apoſtoli illius Gentis, *&c.* reſpondet fol. 18. Petrus Dubs, " Celſum non præcepiſſe tanquam Pri-
" matem, ſed tanquam Comorbanum, ſeu ſucceſſorem S. Patricij
" Regibus Momoniæ, Clero ac populo Hiberniæ, ut ſibi ſuccede-
" ret Malachias in ſede Armacanâ juriſdictio enim (ait) Primatialis
" non extenditur ad ejuſmodi mandata, nec obligat poſt mortem
" mandantis.

Sed edoceret, quæ alia juriſdictio, aut poteſtas obligans poſt mortem mandantis Celſi præter Primatialem derivaret a S. Patricio ad Succeſſores in ſede Armacanâ, non juriſdictio Legatina, aut annexa Apoſtolatui S. Patricij, quæ cum eſſet extraordinaria, et perſonalis ſcilicet inhærens Perſonæ, deſiit cum illâ, nec potuit extendi ad Comorbanos, ſeu Succeſſores: *Reg.* 7. *de Regul. juris in* 6. non merè Epiſcopalis, quæ reſtricta intra terminos unius, et propriæ Diæceſis non obſtringeret Reges Momoniæ, alioſve de clero, et populo ultra Diæceſanos, neque in vitâ neque poſt mortem mandantis.

288. Celſus itaque (ut plenè convincunt clariſſima verba S. Bernardi, aliaque adducta hactenùs monumenta) præcepit Primatiali authoritate in ipſâ Momoniâ, quam tunc more Majorum, cum iſta mandaſſet, curſu viſitationis luſtravit, ibique apud Ard-patrick propè Limericum migravit in cœlum (vide Wareum de Præſul. fol. 13, et vitam S. Celſi 4ª Aprilis) quæ autem Lex civilis, aut eccleſiaſtica inhibet hujuſmodi juriſdictionem extendi poſt mortem? præſertim pro executione ultimæ voluntatis per modum teſtamenti

conditi

conditi a Celſo: cum e contrario tunc potiſſimùm obliget Executores: *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet dum vivit qui teſtatus eſt* ad *Hebr.* 9. et cap. *cum Marthæ de celebrat. Miſſar.* et *hominis confirmatum Teſtamentum nemo ſpernit, aut Superordinat* ad *Galat.* 3.

289. Nec obſtat quod ibi S. Celſus dicatur præcepiſſe authoritate S. Patricij, quandoquidem eadem fuit in utroque ordinaria, et Primatialis poteſtas, quamvis ad conciliandam majorem mandato reverentiam, et obſervantiam, intimetur authoritas S. Patricij, quemadmodum, et ipſi Romani Pontifices (in quibus inconcuſſè perſeverat privilegium S. Petri, et plenitudo poteſtatis, cui indiſcriminatim obnoxij ſunt omnes juxta ſacra Eloquia, Concilia œcumenica, ſanctos Patres, Traditionem omnium ſæculorum, et Regulas Eccleſiaſticas. *can. cuncta per mundum* 9. *quæſt.* 3. *can. manet* 24. *quæſt* 1. *cap. cum ex illo, et cap. inter corporalia de tranſlat Epiſc. et cap. propoſuit de conceſs. præbend.*) plerumque in diplomatibus ſuis inhibent. mandant, et indulgent authoritate ſanctorum Petri, et Pauli. videatur Leonis magni Epiſtola 55. ad Pulcheriam: *per authoritatem beati Petri Apoſtoli caſſamus*: ac conſtitutio Gregorij 7. contra Clericos incontinentes edita in concilio Romano an. 1076. et ſermo Urbani 2, in concilio Claramontano pro recuperatione Terræ Sanctæ: ac decretum Alexandri 2. *can. præter hoc. diſt* 32. et *cap.* 1. *Bullæ cœnæ* cum alijs pluribus ejuſdem tenoris.

290. Præcedenti errori alium accumulat (quia Abyſſus Abyſſum invocat) dicens fol. 44. "nunquâm Præſules Armacanos "viſitaſſe Hiberniæ Provincias viſitatione Primatiali". id quidem dictu facile, nunquam tamen vel levi apparentiâ probabilitatis ſtabiliendum, cum contrarium luculenter evincant clariſſima adducta teſtimonia num. xi, et ſeqq. nec eſt cur amplius nugis immoremur. inſtat tamen P. D. et ubi habent Annales patrij, Scriptores, et Regiſtra, quod Artrigius Armacanus an. 822. Momoniam totam peragrando viſitaverit, et *Lex Patricij per Fedlimium Momoniæ Regem, et per Artrigium Præſulem Armacanum per Momoniam propa-* "*gata ſit.* ait" per *Legem Patricij* non juriſdictionem, ſed devo- "tionem erga Regulam ejus Monaſticam in Monaſterio ab ipſo- "met Armachiæ erecto conditam intelligi neceſſe eſt, aliàs dicere "oportet regem quoque Momoniæ ſimul cum Epiſcopo Primatum "uſurpaſſe.

291. Mi-

291. Mirabilis herclè interpretatio! Thomaſium forte conſuluit, aut Ambroſium Calapinum, ut novam hanc dictionibus ſignificationem affingeret, ſcilicet quod *Lex* ſit tantummodò *devotio.* vel fortaſſe dicendus eſt Rex uſurpaſſe Abbatis authoritatem propagando iſtam devotionem. quis veriſimile putabit Antiſtitem Armacanum relictâ Eccleſiâ ſuâ in tam remotis perrexiſſe in Momoniam, aut Regem Sepoſuiſſe graviora Regni negotia, ut devotionem erga Monaſterium Armacanum inculcarent? aptiùs certè ſtudium, et longè magis competens Monachis, quam hujuſmodi ſublimibus Perſonis.

292. Solent quidem pij Reges (non uſurpando Principatum Eccleſiaſticum, ſed Patrocinium ſuum impertiendo) authoritatem Regiam offerre, et præſtare Epiſcopis pro canonum Executione (*can. Bene, can. duo ſunt*, et *can. boni Principes diſt.* 96. *can. Principes* 23. *quæſt.* 5, vid. etiam concil. Trident. Seſſ. 25. cap. 20. de Reform.) cui ex officio, et pro ſuâ Primatiali Prærogativâ incubuit more Anteceſſorum in Momoniâ Artrigius, qui poſtea an. 824. Conaciam viſitavit. Wareus de Præſul. fol. 8, et Gratianus Lucius, Pag. 328, ſcribens: *Artrigius Momoniam an.* 822, *Conaciam* 824 *incolarum probis ritibus* (non monaſticis inſtitutis) *expoliendorum gratiâ peragravit.* et adhuc clariùs pag. 329, docens de quâ Lege hìc agatur: *Dermitius* (inquit) *Armacanus an.* 852, *Conaciam adiit Legis illic S. Patricij ſtabiliendæ cauſâ, nimirum ut ad rectè vivendi normam a S. Patricio inſtitutam, amplectendam, et vitæ ſuæ imitatione referendam Incolas adduceret*: non ad emittendam profeſſionem Monaſticam.

Fuit itaque illa Lex juriſdictio Primatialis annexum habens jus ſubſidij ab omnibus Provinciis debiti Primatibus, vocabaturque *Redditus S. Patricij*, cui ſeſe obſtrinxerunt in ipſo converſionis initio Dublinienſes, ut viſum eſt num. 161. Idem de Momonienſibus teſtatur lib. 3. cap. 53. in vitâ S. Patricij S. Evinus dicens: "Poſt "Proceres, et Populos Momoniæ in Chriſtianæ fidei præceptis in- "ſtructos, et baptizatos, poſt multas ibi Eccleſias a fundamentis "erectas, harumquè Antiſtites, et Rectores ordinatos, et inſtitu- "tos, ſtatumque rei Chriſtianæ benè formatum, et firmatum, "*Magnates, et populi decreverunt ſuam clientelam, et accepta a* "*Patre, et Apoſtolo Beneficia, aliâ fixâ et canonicâ Penſione ſtato* "*tempore ipſi, ejuſque Succeſſoribus ſolvendâ recognoſcere*: Hæc au-

"tem

" tem Penſio vulgo Cáane-Phadruic eſt appellata ".'

Et Scribit Ketinus, lib. 2. pag. 47. Hugonem Allani filium Supremum Monarcham, et Cathaldum Regem Momoniæ convenientes in Tyrdaglaſs modò Comitatûs Ormoniæ, ſeu Typerariæ, habitâ conſultatione de Methodo augendi annuos Redditus S. Patricij per totum Regnum, ſpecialem deſuper an. 731, Legem edidiſſe. et pag. 52. tradit idem Ketinus Fetlimium filium Cromtani et Artrium filium Cormori Reges Momoniæ denuò ſanxiſſe,ut firmiter ille Redditus penderetur per totam Momoniam.

293. Parum ait Petrus Dub. ſe curare de viſitatione Meliſæ (qui Momoniam viſitavit anno 1068, aſſerentibus Wareo de Præſul, fol. xi, et Lucio dict. pag. 329, ubi illum *Primatem* vocat) " Fuit enim, inquit, facta tempore illorum Tyrannorum, qui non " erant Epiſcopi, ſed viri uxorati, nulliſque Eccleſiaſticis ordinibus " præditi ". obſervavimus ſuperius num. 259 (vide etiam num. xi, xii, et xiii,) ex quindecim enumeratis a S. Bernardo ſeptem fuiſſe ordinibus initiatos, et legitimos Epiſcopos accedente ſcilicet conſenſu cleri, ac tempore oppreſſionis octo Laicorum veros fuiſſe ſubelectos Præſules, qui munia Primatialia obierunt. ex his, vel ex illis ſeptem oportuit fuiſſe Meliſam: aliàs quæ apparentia, ut Laicorum ſedem ſanctam uſurpantium uxoratorum, et ſacris ordinibus carentium viſitationem Primatialem admitterent, vel paterentur Momonienſes? et quamvìs verè fuiſſet Laicus, ac uſurpator Meliſa, ex hoc ipſo convincitur, quanta fuerit tunc, et a tempore S. Patricij Subjectio debita Metropoli Armacanæ, ut illius Poſſeſſoris quantumvìs indigni, et uſurpatoris juriſdictioni ſeſe ſubmitterent aliarum Provinciarum Incolæ.

294. Ita (liceat magnis componere parva) cum in Supremam S. Petri ſedem Albericus Comes Tuſculanenſis intruſiſſet filium ſuum Theophilactum dictum in Pontificatu Benedictum nonum (vid. num. 257) Puerum fermè decennem, adeoque nullis ſacris ordinibus aptum, illum tamen ob reverentiam, et obedientiam debitam ſanctæ ſedi Apoſtolicæ chriſtianus orbis agnovit, et habuit Romanum Pontificem, ab eoque Pallium petierunt Archiepiſcopi Hamburgenſes Hermannus, ejuſque Succeſſor Bezelinus cognomento Alebrandus vir ſanctiſſimus, nec non qui hunc excepit Adalbertus. et ab eodem Benedicto poſtularunt miſſis Legatis, et aſſecuti ſunt Poloni, ut Caſimirus Regni hæres antea pulſus, et factus Monachus

nachus Cluniacensis, votis monasticis, et Diaconatûs gradu solutus uxorem ducere posset.

Et dum antea Joannes XI. infamissimi Sergij ex Scorto Morosia filius adhuc impubes potentia Widonis Tusciæ Marchionis, et dictæ Maroliæ Sanctam Sedem usurpavit, ad illum Archiepiscopus Rhemensis virtutibus insignis Artaldus pro pallio obtinendo Legationem misit. Imo Theophilactus Patriarcha Constantinopolitanus ab eodem Joanne pro se, et Successoribus absque ulteriori licentiâ Pontificia Pallij usum petiit, et impetravit tanta videlicet [illegible] ubique observantia erga Romanam Ecclesiam, ut quemcunque [illegible]nt throno insidere Petri, eum colere, et venerari non detrectaren[illegible]ideatur Baronius ad an. 931, 933, 934, 1033, et 1041.

295. Subsannando ait fol. 62. P. D " facile Se credere quod [illegible] " illorum ducentorum annorum quibus illi viri uxorati, et absque or- " dinibus, Teste D. Bernardo, usurpaverant Sedem Armacanam, " non quolibet Septennio, sed Singulis annis illi Prælati visitaverint " omnes Hiberniæ Provincias, non visitatione Primatiali, sed aliâ " quam *Coshir* vocamus" tam avidè ubique suos amplectitur imaginarios conceptus, quam rejicit firmissima Testimonia Sublimiorum Authorum. et quam fædè post *exactissimum Suum Scrutinium* aberraverit a vero calculo contrarius S. Bernardo (sicut passim cæteris Scriptoribus) de usurpatione ducentorum annorum per viros uxoratos notavimus num. 253.

296. Sed ut ita fuerit, quid si etiam singulis mensibus visitaverint visitatione illâ, quam Coshir vocat (de cujus intelligentiâ consulatur Wareus de antiquit. cap. 13) quod hinc præsidium miserandæ causæ Dublinienſium. quodve præjudicium Armacanis? fortè ejusdem ingluviei Satiandæ vitio inficiet Sanctissimos Præsules Armacanos recensitos a num XI, qui Zelo domûs Dei accensi omnes Provincias creberrimè percurrerunt jurisdictione Primatiali. inter eos eluxerunt SS. Celsus, Malachias, et Gelasius non ventri, aut evacuandis lagenis indulgentes, sed pro reformandis moribus incumbentes officio. S. Gelasius Silicernio, et jejuniis fractus *vir Sacer* (ut de eo Scribit, qui præsens novit Giraldus Cambrensis Hibern. expugn. lib. 1 cap. 30) *vaccam candidam, cujus Solum lacte vescebatur, Secum quocunque veherat, circumduxit.* videatur Lucius pag. 167. forsitan in sua Diœcesi, aut provincia non reperiret copiam lactis Bovini, quin illud quærere deberet in aliis Provinciis.

297. Dicit fol. 19. P. D. obedientiam Principum, Cleri, et Populi Hiberniæ Præſulibus Armacanis præſtitam fuiſſe *devotionis obſequium, non obligationis debitum.* nec Sufficit quod ipſe ita autumet, vel autumare ſe ſimulet, ſed ſtupendâ iterum confidentiâ ſubdit ita diſertè ſentire S. Bernardum, qui ut totiès vidimus perſpicuis verbis tradit contrarium quippe cap. 6. ait : " ceſſit Malachias ut Epiſcopus fie- " eret accedente ad vim faciendam *Mandato Magiſtri ſui, nec non* " *et Metropolitani Celſi*" et cap. 7. eundem Celſum affirmat *mandaſſe abſentibus accepiſſe Regibus, et Majoribus Terræ.* et cap. 10 : " Era et altera Sedes Metropolitica quam de novo conſtitue- " rat [illegible]s, primæ tamen ſedi, et illius Archiepiſcopo *Subdita* tan- [illegible]Primati : quam conſtitutionem, et Subjectionem confirma- [illegible] Innocentius 2. et iterum cap. 7. " in tantâ ab initio cunctis ve- " neratione habetur (Sedes Armacana) ut non modo Epiſcopi, et Sa- " cerdotes, et qui de clero ſunt, ſed etiam Regum, ac Principum " Univerſitas *Subjecta* ſit Metropolitano in *omni obedientiâ*, et unus " ipſe omnibus præſit."

298. Quibus quæſo aptioribus terminis exprimetur vera obedientia, et Subjectio debita Superioribus, ſi rectam ſignificationem non attingant præfata verba ? in quo dictionario, aut Latino Authore Sacro, vel profano reperietur quod *omnis obedientia* ſit tantum *devotio* ? fatendum quidem obedientiam, et Devotionem non eſſe incompatibiles, ed quod *omnis obedientia* ſit duntaxat *devotionis obſequium*; infirmum eſt, et futile diverticulum contrarium obvio Senſui, et uſui communi, quem penes arbitrium eſt, et jus, et norma loquendi : alioquin obedientia exhibenda Parentibus, et Præpoſitis, quæ injungitur ad Ephes. 6. et ad Hebr. 13, Sicut millenis locis Sacræ Scripturæ et Patrum, non aliam importaret obligationem, quam meræ devotionis. Ex geſtis SS. Celſi, Gelaſii, aliorumque Supra enumeratorum, ac diſertis verbis S. Bernardi irrefragabiliter conſtat quantum fuerit in rebus Eccleſiaſticis obligationis debitum obſequendi Primatibus.

299. Advertens acutus Præſul hujuſmodi Strophis, aut technis nullatenus convellendam clariſſimis verbis aſſertam veritatem a S. Bernardo vocante Armacanum Antiſtitem *Metropolitanum totius Hiberniæ*, et *Primatem* &c. Reſpondet fol. 20. S. *Bernardum modo ad vulgi errorem, captumque accommodato locutum fuiſſe* : *optime* (inquit) *novit D. Bernardus illud Philoſophi, loquendum cum multis, Sentiendum cum paucis.* ita Religioni non ducit apertiſſimum, et

Sanctiſſi-

Sanctiſſimum Scriptorem amphibologiæ, et ludificationis artificem incuſare, ac ſi obſcurâ vocum ambiguitate, ſeu vocabulis in alienam detortis Significationem ab eâ, quam primâ inſtitutione referunt, uſus fuiſſet ad faciendum lucum Lectoribus, et in Eccleſiaſtico primæ notæ hiſtorico deſideraretur potiſſimum Hiſtorici officium præſcriptum a peritiſſimis Hiſtoriæ condendœ Magiſtris, quorum prima ferè præceptio eſt, ut Hiſtoriam Scribere aggreſſuri, verba Semper adhibeant clara, uſitata, minimè perplexa, propria, quæ rem maximè declarant, quæque facilè intelligantur, non aliena, inuſitata, aut extra loquendi conſuetudinem poſita: quippe diluciditas cum in omnibus, tum in rerum enarratione præcipuè eſt neceſſaria; efficiendumque eſt, ut Hiſtoriæ dictio ab omnibus concipiatur et ipſe S. Bernardus in præfatione ad vitam S. Malachiæ promittit ſe daturum operam ut *puraſit, et luculenta narratio.*

300. At juxta Petrum Dubſem omninò contarium præſtitiſſe, et ab artis hiſtoricæ Regulis plurimum aberraſſe dicendus eſſet, ac Proteo mutabilior clariſſimus Author veluti Sphinx exhibetur adeò involutè omnia proferens, ut ad ejus Sermones percipiendos œdippum aliquem neceſſe ſit adhibere: qui primoribus labris guſtarunt Scripta S. Bernardi, ſtatim percipiunt illum nullibi ita aſſentatum Epiſcopis, Cardinalibus, aut etiam Sublimioribus poteſtatibus, quin animi ſui Senſa, chriſtianâ, et vere Paulina libertate candidè exponeret abſque differentiâ, aut reſpectu Perſonarum.

Fortè vulgi errori ſe accommodans ſcripſit Innocentium ſecundum confirmaſſe erectam a S. Celſo, et *ſubditam primæ ſedi, ejuſque Archiepiſcopo tanquam Primati alteram Metropolim.*? cum id contigerit vix non ſub oculis tunc viventis S. Bernardi, et non a vulgo diſcere potuerit, ſed a viro veriſſimo S. Malachiâ (quippè Româ rediens dilectam ſecundo viſitaverat claramvallem alta Suſpiria trahens quod non liceret ſibi pro ſuo deſiderio ibi remanere vid cap 12) haud ſecus ac Metropoli Armacanæ defuiſſe ab initio pallij uſum, ut fol. 10 aſſerit Petrus Dubs, qui hic dicit S. Bernardum locutum ad vulgi errorem ſe accomodando, et ſimul fol. 53, ac 71 ait illum errorem emerſiſſe ex verbis D. Bernardi perperam intellectis: adeoque inter prætenſum errorem vulgi, et verba S. Bernardi interveniet mutua cauſalitas hactenus e Scholis eliminata.

301. Miratur fol 26 tam craſſum errorem in acutorum hominum mentes irrepſiſſe et fol 72 iterum prætendit " ex verbis S. Ber-

" nardi perperam intellectis, et Jocelino monacho Giraldum " Cambrenſem Lombardum, Colganum Arſdekin Rotheum, " cæteroſque eundem hauſiſſe errorem emergentem pariter ex " vulgi ignorantiâ Primatum Armacanum cum Apoſtolatu Patri- " ciano confundentis, et attribuentis denominationem Primatûs Hi- " berniæ Sedi Armacanæ" fortè illius vulgaris erroris, ac ignorantiæ labe inquinabit Innocentium Secundum confirmantem (vt jam vidimus) Eccleſiæ Armacanæ ſubditam alteram Metropolim, Alexandrum quartum decernentem Armacano authoritatem Primatialem in Provinciam Tuamenſem, Urbanum quartum, et Joannem 22 declarantes, et Statuentes eandem Authoritatem competere Armacano per totum Regnum, præter alios Pontifices recenſendos num 408 tot Religioſos ordines, imo Eccleſiam univerſam in ſuis reſpectivè divinis officiis, Sedis Armacanæ Primatum decantantes.

302. Ejuſdem craſſi erroris complices reddet Cardinalem Baronium, Spondanum, alioſque vix non omnium in Europa Nationum celebriores Scriptores Supra commemoratos a num 1 ad num 30, et num 194, ac ſeqq. et inferius iterum commemorandos, quorum plerique mutuati verba S. Bernardi, et Senſum, ex illis aliiſque indubitatæ fidei monumentis aſtruunt Primatum Armacanum? mirandum quidem, et prodigij loco eſſet cenſendum, quod tot Romani Pontifices, totque Singularis eruditionis, peitatis, et Sapientiæ Authores adeo obtuſum habuiſſent intellectum, ut nullus aſſequeretur mentem S. Bernardi, aut vulgi errrorem detexiſſet, donec circa finem Sæculi decimi Septimi mundo tenebris ignorantiæ immerſo illuxit, et cæcutientium oculos aperuit Petrus Dubs, qui quantuſcunque apparet in oculis ſuis, nullius tamen (credo) Senſati viri judicio præferendus erit, vel etiam æquiparandus tot Sublimibus, et omni exceptione majoribus teſtibus præeminentiæ Primatialis Armacanæ.

303. Dicit fol 20, et alibi " modum illum vocandi Præſules Ar- " macanos totius Hiberniæ Metropolitanos, ac Primates introduc- " tum fuiſſe ante pallium a Tyrannide illarum quindecim Genera- " tionum de quibus D. Bernardus agit." Sed quos exercitus duxerunt in campum dictæ Generationes, quæ Signa contulerunt cum renitentibus, quaſve reportarunt victorias ad imponendum toti Regno hujuſmodi novæ, et uſurpatæ juriſdictionis jugum? nullibi legitur de conflictibus deſuper initis. quomodò contingere potuit, ut pauci uſurpatores, et quidem unius privatæ familiæ devicti tandem,

et

et deleti cura Paſtorali pauperis Malachiæ, vi compellere poſſent Reges, Proceres, Præſules, et clerum cum omni populo Hiberniæ ad ejuſmodi uſurpationis dominium Subeundum (vide dicta a num XI.) mirandum ſane quod ſimile figmentum Scriptis conſignaret, qui nomen appetit, et famam ſolidi, ac eruditi Antiſtitis. initium Sumpſit non a commentis, aut vanâ cerveloticæ adinventionis imaginatione Primatus Armacanus, ſed ab Apoſtolo noſtro S. Patricio qui *authoritate Romani Pontificis Eccleſiam Armacanam totius Inſulæ Principem Motropolim ... ituit*; quod Subſequentes ſupremi Paſtores confirmarunt, et unanimis conſenſus Doctorum agnoſcit.

304. Fatetur fol. 35. Sedem Armacanam S. Patricij Apoſtoli noſtri ſedem eſſe: negat tamen in illâ figendum Primatum " alioqui " (inquit) dicere oportebit in Avaloniâ ponendum eſſe Britanniæ " Primatum, in illâ enim fuit ſedes, atque Sepulchrum S. Joſephi " ab Arimathæa Britannorum Apoſtoli." Sed Arimathææ in Britanniam adventus nullum deprehendi veſtigium apud ullum probatæ fidei Scriptorem ante Normanica tempora i. e. Sæculum undecimum obſervant accurati Recentiores (vide Uſſeri præfationem ad primord Eccles Britan) et velut fabulam rejecit in Concilio Baſileenſi an 1434 Regis Caſtellæ orator Alphonſus Garſya.

Ac vetuſtus catalogus Sanctorum in Anglià Sepultorum Saxonicè Scriptus, et latinè a Gotcelino Bertiniano Monacho Cantuarienſi ſub ſancto Archiepiſcopo Anſelmo editus extat, et alter libellus de Reliquiis in Glaſtonienſi Monaſterio repoſitis Henrici tertij Anglorum Regis tempore exaratus; in neutro tamen S. Joſeph ab Arimathæâ occurrit mentio (vide eundem Uſſerum de Primord pag. 27) et Martyrologium Romanum ad 17 Martij Hieroſolimis ponit Arimathææ *natalem*, quo non ortum in mundum, ſed obitum, ſeu tranſitum in cælum deſignari advertunt omnes periti cum Petro Galecineo in ſuis ad Martyrologium annotationibus, ac Bellarmino de Scriptor Eccleſiaſt pag. 308. et colligitur vix non ex quâlibet paginâ dicti Martyrologij, Sicut ex S. Auguſtino Serm 20 de Sanctis ac peregrini redeuntes a Viſitatione Sacrorum locorum in Paleſtinâ aſſerunt etiamnum monſtrari Hieroſolymis locum Sepulturæ Joſephi ab Arimathæâ in capellâ vicinâ Sepulchro, quod ipſe comparaverat Salvatori. videatur Stochovius nobilis Brugenſis in ſuo itinerario Orientali pag. 369.

305. Fuerit tamen in Britanniâ Arimathæa, et ſi velis Avalon..., ſive

ſive Glaſtoniæ, vulgò Glaſtenburg Sepultus, utí variis argumentis probare nititur in ſuâ Eccleſiaſticâ hiſtoriâ Britanniæ P. Creſſius lib 2 cap. 5, et Seq. quæ ſi ſolidiora non reperiantur, quam primum deductum ex quodam Scripto, ſeu Epiſtolâ (ut ait) Apoſtoli noſtri S. Patricij (quem dicit poſt converſionem Hibernorum reverſum in Britanniam degiſſe Avaloniæ triginta novem annis ibique ſepultum. vid etiam lib. 10 cap. 10. quod, prægnantibus rationibus refutatur apud Wareum lib. 2 de Scriptor : et Triad Thaumaturg a pag. 259.) vereor ne apud Sagaciores antiquitatis Scrutatores totius Hiſtoriæ fides vacillet.

306. Sed hæc obiter. nunc quærendum eſſet, quos populos, quas Provincias, an totum Regnum, an forte milleſimam, vel etiam longe minorem partem fidei radiis illuſtrarit S. Joſeph, ut verè Britanniæ Apoſtolus nuncupari meruerit, et ejus Sepulturæ locus Glaſtonia in ipſo initio, et Sequentibus Sæculis non niſi Simplex Abbatia, quandoque etiam deſerta, Britannicæ Eccleſiæ Metropolis, et Primatialis conſtitueretur ? quoniam Titulum Apoſtoli non aſſequuntur niſi qui prædicationibus ſuis plerumque comitantibus Signis, et prodigiis integram nationem, aut Saltem potiorem numerum Incolarum ad fidem converterunt (vid num 286) et ideo quamvis primus ad prædicandum in Hibernia miſſus fuerit a Cæleſtino Papâ Palladius, quia tamen re infectâ, vel paucis converſis receſſit, non ille, ſed ſubſecutus S. Patricius Hiberniæ Apoſtoli honore meritò inſignitur.

307. Scribit Godvinus Herefordenſis catal cap. 3. quod videntes S. Joſeph, et Socij nihil ſe, aut certe parum ſuis prædicationibus proficere apud rudes Britannos, et de meliori Succeſſu deſpondentes, tandem Monaſticæ contemplationi ſeſe addixerint et longè potiori fortè jure, (ſi de progreſſu judicetur) Fugatius, et Damianus qui ab Eleutherio Papâ directi in Britanniam An. 183. Lucium permiſſu Romanorum Principem cum ſuâ familiâ, multiſque aliis baptizarunt Apoſtolici honoris dignitatem promeruerunt : attamen non illis, non S. Joeſpho ab Arimathæa ſed S. Auguſtino a Gregorio Magno in Britanniam amandato, ſuæ nationis Apoſtoli titulum attribuit Creſſius lib. 2. cap. 7 : et cap. 8. abſolutè *primum* Apoſtolum nuncupat. concordat Baronius ad an 601, quia totam Gentem catholicâ fide imbuit S. Auguſtinus ſuis et Diſcipulorum prædicationibus.

308. Qui Doroberniæ, ſive Cantuariæ *habitationem ſibi ſtatuit*, et cunctis Succeſſoribus ſuis, ut ex Bedâ lib. 1. cap. 33 teſtatur Baronius loco citato, et propterea Rex Kenulphus (cujus Epiſtolam ad Leonem Papam exhibuimus num 37) Scribit viſum ſibi, et cunctis Gentis ſuæ Sapientibus quatenus illi civitati (ubi Auguſtinus qui verbum Dei Anglorum Genti miniſtrabat, et fidei veritatem inſeruit, glorioſiſſimè præſuit Eccleſiis Saxoniæ) Metropolitanus honor haberetur. Ecce Rex et cuncti ſuæ nationis Sapientes Sentiunt Apoſtoli ſui, non Arimathææ, ſed Auguſtini Sedem Primatialem, ſeu Metropolitanam habendam. idem fuiſſe judicium Zozimi Papæ, et Pelagij de Primatu Arelatenſi ob Reverentiam S. Trophimi illarum Regionum Apoſtoli vidimus a num 50 ad 53. quod communis Eccleſiæ praxis obſervat de ſedibus, quas aliarum Nationum Apoſtoli ſibi delegerunt. cæterum ut hæc miſſa faciamus, doceret Petrus Dubs ſicut Armacanam Eccleſiam, ita et Avalonicam authoritate Romani Pontificis conſtitutam totius inſulæ Principem Metropolim, et donec id oſtenderit, non niſi ineptè inſtitituetur comparatio.

309. Advertimus a num 90 ad 94 quam acri cenſura, et pungentibus aculeis perſtringat Felicem Roadanum Archiepiſcopum Tuamenſem, illiuſque Suffraganeos, ac Rotheum, Arsdekin, Ketinum, Colganum, Quatuor Magiſtros, Proregem, et Regios Conſiliarios, imo ipſum etiam Reverendiſſimum Mazarium SS. Congregationis de propagandâ fide Secretarium, alioſque commentitio ſuo Primatui contrarios, et præcipue Jocelinum, quem etiam fol. 74. *mendacem* appellat. Nonnullos a tam indignâ calumnia vindicavimus num 95, et ſeqq. nunc agendum de reliquis incuſatis.

Aſſerit Petrus Dubs fol. xi, quod " Jocelinus *Abbas Ultonienſis* " (ut ipſe in ſui operis præludio fatetur) a Curſeo Ultoniæ comite " rogatus (qui Hiberniæ Primatum in ſuo comitatu ſtabiliri cupie- " bat) D. Patricij ſcripſit vitam, dicavitque (Curſeo defuncto) Ma- " lachiæ, ſeu Meliſæ ô Carrol Archiepiſcopo Armacano eo tempore, " quo inter hunc, ac Joannem Cummin Archiepiſcopum Dublini- " enſem magna de Primatu Hiberniæ fuit exorta contentio." ita ille iiſdem verbis. Sed unde hæc hauſit, niſi forte ex revelatione, vel ſcientiâ infuſâ poſt quingentos annos? cum nullus interim reperiatur Author, nullumque monumentum, vel etiam popularis traditio iſta referens, aut confirmans, et ut colligat Lector inſulſam

hanc;

hanc, et imaginariè compilatam farraginem tot craſſis, et pudendis Scatere erroribus, quot continet dictiones.

210. Non Hibernus, non *Abbas Ultonienſis* fuit Jocelinus, et nullibi a ſe, aut alio erudito iſtâ dignitate inſignitus in Ultonia nuncupatur, ſed verè erat Natione Anglus, ſeu Cambrobritannus, et Monaſterij Furnenſis in Anglia Monachus: Wareus de Præſul fol. 2. et de ſcriptor lib. 2. cap. 1. *nota prima in vitam S. Patricij a Jocelino Scriptam Tryad Thaumaturg pag.* 108: *Lucius variis locis*, et reliqui omnes in rebus Anglicis, aut Hibernicis vel leviter verſati, ut iterum mireris ignoraſſe Petrum Dubſem *poſt exactiſſimum Suum Scrutinium fol.* 41. *conſulendo quos potuit Authores, et Annales revolvendo* &c. Præſertim cum ipſe fol. 10. citet jam memoratam notam primam in vitam a Jocelino ſcriptam. ſed facile elabitur vel plerumque lubentius diſſimulatur quicquid diſplicet legenti, et, detegit impoſturam, ideoque ut Jocelini authoritatem attenuet, illumque ſuſpectum reddat veluti partium ſtudio præoccupatum contra notorietatem publicam Abbatem fingit *Ultonienſem.*

311. Attamen pro deſperandâ ſu cauſa potiſſimum Patronum aſciſcit, ac Magiſtrum Romanæ Simul, et Armacanæ Eccleſiæ Sæviſſimum hoſtem Thomam Rivium *Advocatum Dublinienſem.* prætereà falſiſſimum eſt poſt obitum Curſei Jocelinum dicaſſe opus ſuum Malachiæ, ſeu Meliſæ ô Carrol Archiepiſcopo Armacano, qui non fuit in vivis dum an 1185. *hortatu Rmi Thomæ Archiepiſcopi Armacani totiuſque Hiberniæ Primatis* Jocelinus (ut in prologo declarat) ſcriberet vitam S. Patricij. Meliſæ autem o Carrol defuncto an 1184 ſucceſſit paucis menſibus Amlaus, quem in Primatu excepit dict an 1185 præfatus Thomas, qui obiit an 1201: *Wareus de Præſul fol.* 16.

312. Et tam Meliſæ, quam Thomæ multis annis ſupervixit Curceus, ut poſtea videbimus. Jocelinus autem ſicut de ſe teſtatur cap. 186, et confirmat Wareus de ſcriptor lib. 1 cap. 1, et cap. 3. ac lib. 2, quæ de S. Patricio compilavit, ex præcedentibus deſumpſit geſtorum S. Patricij Scriptoribus (qui erant 66 numero) præſertim quatuor illius Diſcipulis SS. Benigno Succeſſore in Primatu, Melo, Luano et Patricio juniore Epiſcopis, ac S. Evino Abbate; et patebit conferenti Jocelini opus cum dictorum Authorum tractatibus potiſſimum tribus S. Evini libris videndis Tryad Thaumaturg a pag. 117. et vix ullus (ni fallor) reperietur rem æquâ lance penſitans,

ac

ac liber a prævenționibus, qui non agnoſcat cum Rmo Epiſcopo Oſſorienſi Rotheo, et Protonotario Apoſtolico Thoma Meſſingamo utroque Lagenienſi, florileg Sanctor pag. 112, et 139. *Jocelinum cæterorum omnium optimè, et accuratiſſimeè conſcripſiſſe res a S. Pactricio geſtas.* nec quiſquam Jocelinum redarguit, aut in Suſpicionem violatæ hac in parte fidei vocavit uſque ad Petrum Dubſem poſt annos Quingentos.

313. Quoad Joannem Curceum non illum Benevolum Comitem, ſed hoſtem acerrimum experti ſunt Ultonienſes nam deprecatus a Rege Henrico ſecundo licentiam (ut loquitur Wareus in annal Hiber. cap. 4. ad an. 1172) *ſubdendi, ſi poſſibile eſt Provinciam Ultoniæ*, ſolvens Dublinio an. 1177 (ut refert ad dict. an Wareus ibid) juncta ſibi valida manu illam Ultoniæ partem dictam Ulidiam, nunc comitatum Dunenſem hoſtiliter invaſit, et Duno vi capto, e Cathedrali Eccleſiâ ſæculares Canonicos expulit, quorum vice introduxit accitos ex Anglia Benedictinos *Neubrigenſis lib. 3. cap. 9. Wareus de Antiquit cap. 27, et in Annal cap. 9.* En primum Curcei benevolentiæ ſignum in Provinciam Ultoniæ illiuſque incolas, quibus quantum potuit in nova ſua acquiſitione non excedente partem Agri Dunenſis, et Antrimenſis avitas poſſeſſiones, et latifundia eripuit, ſibique appropriavit, et commilitonibus Anglis, quorum præcipuos enumerat dict *cap. 27. Wareus.*

314. De Curcei excurſionibus in alias Ultoniæ partes, ac cruentis inter eum, et Ultonienſes nunc proſpero, nunc adverſo marte commiſſis præliis tractat, Wareus in Annal. ad annos. 1188, 1189, 1196, 1197, et 1201 : *nec in ſuis infeſtationibus pepercit Armachiæ*: Wareus ibid cap. 21. ad an 1189 : tractat quoque Hanmerus pag. 150, et ſeqq. Scribit etiam Giraldus Cambrenſis topograph diſt 3 cap. 3. Baculum Jeſu (de quo multa refert S. Bernardus cap. 8. vit S. Malach) ſuo tempore Armachiâ tranſlatum fuiſſe Dublinium operâ Anglorum, nec aliorum haud dubiè quam Curcei, et Commilitonum. Non enim commemorantur alij, qui primis illis temporibus infeſtarunt territorium, aut Urbem Armacanam. quidni et Primatum quoque Dublinium transferrent, ſi ab ipſorum ſtudio, aut arbitrio dependeret ?

315. Et ut Seriò agamus non imaginariis conceptibus, quis veriſimile arbitretur Curceum in precario ſuo Principatu Ultoniæ (cujus nec decimam partem toto ſuo tempore ſub dominio complexus eſt, detrectantibus, imo omni vi repellentibus extraneum jugum

Ultonienſibus ne libertatis ſimul et hæreditariæ poſſeſſionis jacturam paterentur) voluiſſe figere Primatum, et quidem Armachiæ conſtitutæ in poteſtate eorum, qui omnium maximè remorabantur Anglorum progreſſum (ut aſſerit qui tunc adfuit in Hiberniâ Cambrenſis Hibern. expugn lib. 2. cap. 16, et alibi) voluiſſe inquam Curceum figere Primatum Armachiæ poſthabito Dublinio, unde Auxiliares copias aſciſcebat contra Ultonienſes, et ubi Supremum novi Regiminis caput Angli collocarunt, ac ipſe Curceus ad Summam Regni adminiſtrationem evectus fuit: Wareus de Annal cap. 17. ad an 1185; Hanmerus pag. 154, et 168.

316. In quam Iliadem malorum ob concuſſiones, deprædationes, et Eccleſiarum jura violata inciderit poſtea Curceus detegit Chriſtophorus Pembrigius in Annalibus ſuis, Lucius pag. 52, et Cambdenus in ſuis quoque Hiberniæ Annalibus pag. 797. docens ab Hugone de Lacy captum Curceum an 1203, et miſſum in Angliam, ibique perpetuo carceri a Joanne Rege adjudicatum in maximâ egeſtate, et ærumnis diu detentum donec ingruente Bello inter Reges Angliæ, et Franciæ Joannem et Philippum propter dominium, et quædam caſtella, Rex Galliæ *Gigantem*, ſeu Pugilem obtulit ad pugnandum pro ſuo jure: acceptâ conditione oppoſuit Joannes Rex *Gigantem* Suum congreſſurum in Duello Joannem Curceum, qui Victor exiſtens in gratiam a Rege admiſſus, et ſuo Dominio reſtitutus tentavit quindecim vicibus navigare in Hiberniam, ſed ventis reniitentibus toties repulſus expectavit pauliſper inter Monachos Ceſtriæ, tandem reverſus in Gallias ibi naturæ debitum ſolvit. hæc fuſius Camdenus, et Hanmerus fol. 183. quæ contigiſſe oportuit vix minus triginta annis a morte Meliſæ ô Carrol Archiepiſcopi Armacani, cui tamen poſt obitum Curcei dedicaſſe ſuum opus Jocelinum obtrudit mirabili, et vix ferendâ licentia Petrus Dubs.

317. Æquè imperitè, ac erroneè aſſerit "vitam S. Patricij "Scripſiſſe Jocelinum eo tempore, quo inter dictum Meliſam ô "Carrol, ac Joannem Cummin Archiepiſcopum Dublinienſem mag-"na de Primatu Hiberniæ fuit exorta contentio:" quoniam illi duo Præſules nunquam ſeſe invicem viderunt in Hiberniâ: Siquidem Cummin homo Anglus primum in Hiberniam pervenit menſe Septembri an 1184: *Warreùs de præſul fol.* 106. et eodem anno ex Epiſcopo Clochrenſi *electus*, ſeu *deſignatus* Armacanus Archiepiſcopus in itinere Romano jam obiit Meliſa ô Carrol: *Warreùs de Præſul fol.* 16. et 45. unde patet illum mortem oppetiiſſe nondum adep-

adeptà cofirmatione Pontificiâ, pro quâ impetrandâ Romam perrexit quæ autem contentio potuit exoriri inter mortuum, et viventem, niſi fortè Cumminus luctari conſueviſſet cum larvis defunctorum ? nec Cumminus, nec illius Succeſſor Henricus Loundres ullam deſuper movit quæſtionem, nec prætenſa Exemptio uſquam apparuit, ſed in tenebris delituit per inſequentes quinquaginta annos primus Præſulum Dublinienſium qui calcaneum erexit niſus ſe ſubtrahere juriſdictioni Armacanæ, ſed irrito conatu, fuit Archiepiſcopus Lucas de quo egimus a num 137.

318. Et quamvis ubi occurrit mentio hujuſmodi contentionis, tam artificioſè ſua verba diſponit Petrus Dubs. ut putaret Lector diſceptatum fuiſſe uter eſſet Primas Præsul Armacanus, an Dublinienſis: attamen dignitas Primatialis nuſquam denegabatur Armacano, ſed totius conteſtationis cardo vertebatur, an ab ipſius juriſdictione eximeretur Diæceſis, vel Provincia Dublinienſis obtentu prætenſi privilegij quod dicebatur (et primus oſtentavit dictus Lucas) aſſecutus Joannes Cummin a Lucio tertio, cujus exhibuimus exemplar num 63, ac refert Wareus de Præſul fol. 106. ſubdens : " Ex " hoc privilegio initium ſumpſit controverſia illa, ſive acris, et " diuturna concertatio inter Archiepiſcopos Armacanos, et Dub- " linienſes, *an Armacanus, habuerit jus Primatiæ, Bajulationis* " *Crucis, Appellationum, et viſitationum in Provinciâ Dublinienſi.*

319. Perpendat Lector (ſi placet) illa verba *ex hoc privilegio initium Sumpſit controuerſia.* Ergo nulla fuit quæſtio de Prærogativâ Primatiali Armacanâ cum præcedentibus Archiepiſcopis Dublinienſibus Gregorio, et S. Laurentio ambobus illam agnoſcentibus ſine obice, imo nec cum ipſo Cummino, aut Henrico Loundres, ut jam vidimus, et Superveniens concertatio fuit tantum de Bajulatione Crucis Armacanæ &c. quæ primò mota a commemorato jam Lucà remanſit Sopita, et omninò deſiit, ita ut nullam paſſus ſit remoram ſuæ juriſdictionis exercendæ in Provinciâ Dublinienſi Armacanus ſub quinque Lucæ Sueceſſoribus Fulcone de Saunford, Joanne de Derlington, Joanne de Saunford, Gulielmo de Hothum, et Richardo de Ferrings per Sexaginta, et amplius annos.

Donec illam iterum ſuſcitavit Joannes Leach Dublinienſis, eo quod Rolandus Jorſius Armacanus (*Wareum audis de Præſul fol.* (111) *in Provinciâ Dublinienſi Crucem ante ſe geſtari permiſerit.* vide Annales Hiberniæ a Cambdeno editos. " Qui Leachum excepit

" Alexander Bicknor magnum habuit certamen (verba ſunt Warei " ibid *fol.* 112) cum Richardo filio Radulphi Archiepiſcopo Arma- " cano, quod Richardus Dublinij crucem ante ſe geſtari permi- " ſiſſet ; et iterum Wareus *fol.* 113. contentio (inquit) de cruce " portandâ inter Thomam Mynot Dublinienſem, et Milonem Ar- " chiepiſcopum Armacanum denuò excitata eſt. præmiſit fol. 20 Davidem ô Hiraghty Archiepiſcopum Armacanum feciſſe providentiam in Monaſterio B. Mariæ juxta Dublinium, ſed impeditum fuiſſe per Archiepiſcopum Dublinienſem, et Clericos, *quia voluit portari Crucem ante eum.*

320. Ex quibus omnibus liquidiſſimè patet nullam fuiſſe competitionem de Primatu (quem Armacano omnes deferebant) ſed de Bajulatione crucis, aliiſque ſpectantibus ad meram exemptionem, a quo prætextu (re melius conſideratâ) diſtiterunt ſubſequentes Præſules Dublinienſes vix non ducentis annis uſque ad promotionem ambitioſiſſimi, et turbidiſſimi ingenij Joannis Allani, qui ſuperinduxit diſceptationem cum Georgio Cromero Armacano de potiori loco in diæceſi Dublinienſi, irrito tamen Succeſſu, in cauſa enim Succubuit vide Wareum de Annal in Henrico 8 ad an 1533 :

Omittimus Georgium Brunum, qui in remunerationem Apoſtaſiæ impetravit a Rege Proteſtante Edwardo Sexto, ut ipſe, et Succeſſores totius Hiberniæ eſſent Primates, quod illo vivente Maria Regina reſcidit primus inter Catholicos Præſules (etſi nonnulli cupidine dilatandi ultra debitam menſuram philacteria eſſent inflati) repertus eſt Illmus Petrus Talbotus, qui novo attentato ſe æqualem, imo etiam (ſi Superis placet) Superiorem in Primatia præſumeret Armacano. Unde Experientia docet, quod Sicut Superbia, ita et ambitio aſcendat Semper.

321. Pergit fol. 41. Petrus Dubs dicens : " Inter Annales, vel " Authores fide dignos locum non merentur nonnulli noſtri Ver- " naculi Scriptores (quorum aliquos Colganus quatuor Magiſtros " appellat) erant enim homines illiterati, et ſtudio partium adeo " ducti, imo et Stipendiis conducti, ut nihil veri ex eorum Scriptis " concludi poſſit nec fides ulla habenda eſt Ketino illorum Sequaci, " ubi agit de Primatu Hiberniæ (quem obiter tangit) ex profeſſo " enim tractat de Hibernorum noſtorum Genealogiis, omneſque ab " Adamo primo Parente per Generationes ſingulas deducit, ac diſ- " tinguit : *Inſigne planè, et inſanum opus* &c." Satis clare manifeſ-

tans

tans parum ſe vel nihil verſatum in Ketino, aut vernaculis ſcriptoribus, quamvis more ſuo nec notos, nec visos, sicut et reliquos non loquentes placentia acerrimè inſectatur.

322. Imprimis Ketinus paucis lineolis, et quidem in fine operis perducit ad Noe Majores Mileſij Hiſpaniæ Regis, a quo Originem ſuam deducunt Hiberni noſtri, et nonnulla profert de priſcorum temporum relationibus, aliisque incidentibus, quæ nec ipſe probat, ut monet Lectorem, exemplo tamen Platinæ de ſtolidiſſimâ, et inſulſiſſima fabula Joannis Anglici, noluit omittere quod a quibusdam præcedentibus ſcriptoribus reperiit affirmari, imitatus candorem accurati Authoris Quinti Curtij, ita de ſe referentis lib. 9. *equidem plura tranſcribo quam credo: nam nec affirmare ſuſtineo de quibus dubito: nec ſubducere, quæ accepi.* et ſi quis frivola quædam, dubia, aut minus veriſimiliá ex illa denſa, et obſcura antiquitatis ſilvá Ketino commemorata objiciat, conſideret cum Flavio Vopiſco, quod in dubiis curioſitas nihil recuſet; nec vitio verti debeat, qui cum Junio Manilíano non credenda obtrudit, ſed legenda ſubjicit probandaque Judicio Lectoris- etenim (ut ait Plinius Præfat; ad Veſpaſian) ardua res eſt vetuſtis novitatem dare, obſoletis nitorem, faſtiditis gratiam, obſcuris lucem, dubiüs fidem.

323. Ex profeſſo Ketinus Chronologiam ſcripſit complectentem Mileſianæ Progeniei Regum, ac Principum ſeriem, eorumque in varias ſtirpes propagationem, et res geſtas tum ante, tum poſt promulgatum Evangelium in hac Inſula, addens e re nata Eccleſiarum primordia, et Religionis progreſſum, cæteraquè ſpectantia ad patriam hiſtoriam. et tanti eum faciunt noſtrates Hiberni, et Angli, Catholici, et Proteſtantes, ut de ejus opere in Anglicum idioma vertendo, et typis edendo communibus expenſis plerique, propria ſignatura ſtipulati fuerint.

Cur autem unus contra omnes Petrus Dubs inſurgit in eximium ſacræ Theologiæ Doctorem? niſi quia (ut retulimus num 16) docuit Cardinalem Paparonium traditis quatuor palliis quatuor Archiepiſcopis Hiberniæ, *Armacanum prout decuit ſuper omnes ordinaſſe Primatem.* hoc totum piaculum, hoc immane flagitium, ut incohærentiâ, et illuſione verborum *Inſigne* simul et *inſanum* vocaret *opus*, ſicut pari ludificatione, et repugnantiâ terminorum in præfatione Antonium French utriuſque juris Doctorem tacito nomine imperitum dicit juris peritum.

324. Non tamen illud in gratiam Armacanorum commentus fuit Ketinus Doctor Momoniensis, sed descripsit ex Annalibus de Clunenagh in Lagenià, et Provinciâ Dubiniensi, quorum Author vixit dum ita statueret Cardinalis Paparonius. nec ullatenus culpandus qui ex Officio candidi et accurati Historici transmittit ad posteros, quod ex tam authenticis, et minimè suspectis deprompsit monumentis, quibus astipulantur tot alia hactenus adducta invictissima testimonia, et documenta.

Sed quomodò *illiterati* Quatuor Magistri, qui etiamnum extantes Annales servato temporis ordine, et annorum a creatione mundi, ab Urbe conditâ, et a Nativitate Christi litteris consignarunt? quod nemo litteris non apprimè imbutus præstare posset. an ideo fortè *illitterati* quia Hibernicè scripserunt ? eadem ratione censendus illiteratus sacræ Theologiæ Doctor Ketinus,et e litteratorum albo expungendi tot celebres aliarum nationum vernaculi scriptores. at sentiunt eruditi cum Gratiano Lucio in suo Cambrensi everso pag. 159 nullam esse exploratiorem narrationem, quam quæ e veteris memoriæ monumentis vernacula Patriæ, cujus res priscæ in lucem producuntur, linguâ exaratis eruitur.

325. Edoceret Petrus Dubs a quibus fuerint mercede conducti, ut Partium studio seducerentur quatuor Magistri, quorum ne nomen quidem (quantum apparet) aut locum Originis, quæ non omnibus contigit in ultoniâ, aut Provinciâ Armacanâ investigavit, sed aliorum relatu advertens illos annalibus suis, quoties Historiæ filum, et veritas requirebat, inseruisse Præeminentiam, et jurisdictionem Primatialem Armacanam, quam Præsules illius sedis toties obierunt per totum Regnum, non dubitavit usitatâ suâ licentiâ indiscriminatim carpendi omnes refragantes chimærico suo Primatui, infamem ignorantiæ, et corruptionis maculam inurere quatuor Magistris, viris cæteroquin integerrimis, et antiquitatum nostrarum peritissimis, quibus (post jacturam rei litterariæ, et præcipuorum monumentorum sub tyrranide Danorum obvia quælibet flammis absorbentium Principante immanissimo Turgesio) superstitem veterum documentorum notitiam potissimum, sicut deinde Ketino, Colgano, Ussero, et Wareo gratam referunt quot quot sunt hujus nationis Gloriæ addicti studio Hiberni nostri.

326. Et fortè vix alibi gentium occurret tam sedula conservandæ memoriæ antiquitatum cura,quemadmodum apud priscos Hibernos.

nos, qui inſtitutis Gymnaſiis ad rem antiquariam, ſeu Patriæ Hiſtoriam exarandam certas familias non ex unâ, aut alterâ, ſed ex quâlibet Provinciâ ſelectas deſtinarunt: de quibus Cambdenus in Annal Hibern. ad finem ſuæ Britanniæ ita ſcribit: " habent Hiberni " ſuos juridicos, quos Brehones vocant, ſuos Hiſtoricos, qui res geſ- " tas deſcribunt, medicos, Poetas, et citharædos.—— —— qui " ſuos liberos, ſive cognatos in ſuâ qualibet arte erudiunt, et ſemper " Succeſſores habent, quibus ſingulis ſua prædia aſſignata ſunt " Etenim honos alit artes, ut vulgò dicitur, et verè cecinit Martialis.

Sint Mecænates, non deerunt Flacce Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

ideoque in omni bene Ordinatâ Republica ſcientiarum, et liberalium artium cultoribus præcipue magiſtris pro ſtimulo cenſus aſſignantur, quin tamen inde tanquam mercede corrupti niſi inique deſpiciantur.

327. His itaque familiis (ex quibus oriundi quatuor Magiſtri) demandatum fuit negotium, ut omnia notabilia, vel commemoratu digna in Regno, aut viciniis contingentia, ſecundum quod veritas facti ſe haberet, annotarent, et ne menda obreperet, aut falſa inſinuatio, tenebantur in Comitiis generalibus, vel coram ſupremo Monarchâ, et ſelectis peritioribus Proceribus (quibus poſt Lucis Evangelicæ agnitionem adjuncti fuerunt Epiſcopi) ſcripta ſua producere quolibet triennio, ubi habitâ diligenti diſcuſſione, ac expunctis omnibus quæ incertæ, aut dubiæ fidei viderentur, de congeſtis omnium calculo approbatis ſummarium extractum aſſervabatur in Regio Scrinio Temoriæ nunc Tarah: unde prodiit celebratiſſimum illud volumen *Pſalter-Tarah*, ſeu Pſalterium Temoriæ, ita nuncupatum, quia ad ſolamen memoriæ, et præcavendas corruptelas metricè fuit compilatum: quod per contemptum *verſificatorum cantilenas de Gigantibus mirabilia narrantes* vocat, et ſuggillat Petrus Dubs, *ex quibus* (ſic imaginatur) *ab Armacanis plura pro Primatu afferuntur, ad quæ* (ait) *cum ſponte ſua corruant minimè reſpondemus.*

328. Sagacitatis eſt texendo prætextum ſilere, dum impares ſumus reſpondendo. attamen politioris Sæculi, et benè cultorum ingeniorum Argumentum eſt artis Poeticæ peritia. habuerunt quidem Hiberni noſtri, ſicut et aliæ nationes ad oblectamentum facetias ſa-

bulosas

buloſas vulgò *Romances*, quibus fortè implicabantur Gigantes, et quidem tricipites. quid tum, cum nemo niſi ineptiſſimus, et planè delirans inde quidquam Solidi concluderet, aut confunderet cum veritate hiſtorica. Et hujuſmodi ineptiis pro ſuo Primatu non indiguerunt Armacani habentes aliundè ſolidiſſima, et invictiſſima argumenta. quamvis Gigantes extitiſſe, et mirabilia perpetraſſe (quod poſt exactiſſimum ſuum Scrutinium mirum eſt ignoraſſe Petrum Dubſem.) certam fidem faciunt Sacri codices et celeberrimi nominis Authores. Geneſ. 6. Numeror. 13. Deuteronom. 2, & 3. 2° Reg. 21. Sapient. 14. Eccleſi. 16. Joſephus lib. 5. Antiquit. cap. 2. S. Auguſt. lib. 15. de civit. Dei, cap. 9. Plinius lib. 7. cap. 17. Cranzius, lib. 4. aliiq; quamplurimi.

329. Ac apud veteres, et recentiores multi non ob immenſam, aut prodigioſam molem, ſed propter dexteritatem, et robur corporis, ac peritiam militarem *Gigantes* vocabantur, ita Joannem Curceum, et alium pugilem propugnantem jura Regis Franciæ etſi juſtæ, et ordinariæ Staturæ menſuram non exceſſerint, *Gigantes* nuncupat Cambdenus; vid. num. 316. qui plura cupit de Antiquariis noſtris, illorumque inſtitutione, et accuratâ ſolertiâ in conſcribendis annalibus, annotandis Genealogiis, ſimulque de Pſalterio Tarah conſulat Doctorem Ketinum, Petrum Waleſium in ſuo proſpectu Hiberniæ, Gratianum Lucium pag. 17, 70, & 248, alioſque. præterea *S. Cormacus Cullenani filius Rex Momoniæ, et ſimul Epiſcopus Caſſelienſis vir eruditus, et Antiquitatum Hibernicarum Scientiſſimus ſcripſit lingua ſuâ patria* (adeoque calculo Petri Dubſis. illitteratis annumerandus) *hiſtoriam Pſalter-Caſſel vulgò dictam, quæ etiamnùm extat, et magno habetur in prætio.* ita de præſul fol. 162. affirmat iiſdem verbis Wareus videndus etiam de antiquit. cap. 21.

330. Fatentur Armacani pro indubitato ſuo Primatu, et juriſdictione per totum Regnum argumenta ſe afferre ex hiſce intemeratis monumentis, et illibatæ fidei antiquariis, de quibus Cambdenus ubi ſupra ita refert: *non immeritò hæc Inſula* (Hibernia) *Ogygia id eſt perantiqua a Plutarcho dicta fuit: a profundiſſimâ enim Antiquitatis memoriâ Hiſtorias ſuas auſpicantur, adeò ut præ illis omnis omnium Gentium Antiquitas ſit novitas, et quodammodò Infantia.* Sic eruditus Cambdenus, etſi alienigena, et Hibernis plerumque minus æquo favens ſentit de Antiquariis noſtris, ſeu Vernaculis Scriptoribus, quibus Homo Hibernus, et quidem Præſul catholicus remis,

mis, et velis detrahere enititur, ſicut ſupra conatus eſt ſuæ nationis Eccleſiæ eripere gloriam Hierarchici Regiminis, ut per fas, et nefas ſuppreſſo vero Primatu Armacano phantaſticus ſubſtitueretur Primatus Dublinienſis.

331. Dicit tamen fol. 43. *Authenticos Patriæ Annales, ut par eſt, ſe recipere, veterumque Scriptorum monumenta libentèr amplecti.* at ubi locorum, aut Gentium reperientur alia monumenta hujus Patriæ, aliive Annales præter eos, quos poſt quatuor Magiſtros citant, et ſequuntur Doctor Ketinus, Petrus Lombardus, Rotheus, Colganus, Uſſerus, Wareus, Gratianus Lucius, Arſdekin, &c. omnes propugnantes Primatum Armacanum? niſi fortè ex ingenij ſui penu, ſicut pleraque alia, Petrus Dubs. novos cudat Annales, et nova monumenta. *nec ipſos* (inquit ibidem) *omninò rejicimus Annales Ultonienſes.* Magna quidem dignatio quod quidquam agnoſcat veri in illis Annalibus, quos ſæpè citant, et commendant multò accuratiores, et longe melius verſati in Rebus Hibernicis Uſſerus et Wareus ambo Dublinienſes, aliique enucleantes Patriam hiſtoriam.

332. Sed quid in illis Annalibus bene ſapere potuit delicato nimis, et ſuper appoſitis celeberrimorum Authorum obſoniis nauſeanti palato Petri Dubſis, ſi quoquo modo faveant Armacanis? cum etſi a nullo conſtitutus judex, arroget ſibi provinciam veterum monumentorum, et Annalium fidem convellendi, ut nihil (quantum præſumit) niſi ex ipſius arbitrio ſtet, vel cadat. quia (inquit fol. 44.) " ex iiſdem Annalibus Ultoniensibus liquet Præſules Armacanos " nunquàm vocatos fuiſſe Primates in ipsis Annalibus ſed Epiſcopos " vel Abbates Armachiæ, vel Succeſſores S. Patricij, et nonnunquám " Principes, præſertim dum illa Sedes occuparetur a Generationibus " illis quindecim. Priſcis verò temporibus vocabantur duntaxat Epiſ" copi, ſic Annales loquuntur ad an 481 : quies jarlathi filij Trenæ " tertij Epiſcopi Armacani, ubi nec Pallij, nec Primatûs ulla fit men" tio."

333. Sapiet pariformiter quod in Martyrologio Romano die 14° Novembris legitur : *depoſitio S. Laurentij Epiſcopi Dublinienſis*, ubi nec Pallij, nec Archiepiſcopatûs ulla fit mentio, ut inde inferat S. Laurentium proximum Succeſſorem Gregorij Dublinienſium primi Archiepiſcopi, nec pallio, nec Archiepiſcopali dignitate fuiſſe inſignitum ; et forte Neotericis proterve impugnantibus Primatum, et Supremam authoritatem Romani Pontificis potiſſimum arridebit

in Annalibus Baronij, quod ad an 335 Scribat Marcum Papam ſtatuiſſe ut *Epiſcopus Oſtienſis* (qui Decanus eſt ſacri Collegij, et præeminet omnibus Primatibus et Patriarchis) tunc pallio uteretur, cum ab eo conſecraretur *Epiſcopus Urbis*.

Ubi nec Uicariatus Chriſti, nec plenitudinis poteſtatis ulla ſit mentio. et in Patrum Concilij Arelatenſis primi Nomenclaturâ nullus niſi *Epiſcopi* nomine deſignatur, quamvis illi Concilio *Archiepiſcopi* plures, et *Primates* interfuiſſe dignoſcuntur, ut nemo rerum Eccleſiaſticarum paulò peritior ignorat: et quod magis mireris ipſe Silveſter Papa non alio titulo ibi decoratus reperitur, ex *Vrbe Româ miſſi a Silveſtro Epiſcopo* &c. ut videri poteſt tom 1 Concil Gall. pag. 8. et 9.

334. Obſervavimus num 142 Petrum Dubſem (ut occurreret peremptoriæ exceptioni negantium Primatum Dublinienſem, quia nunquam inſertus fuit ille titulus Proviſionibus, Bullis, aut Reſcriptis Papalibus) aſſeruiſſe fol. 50 *nihil eſſe abſurdius quam exiſtimare ad Primatum Eccleſiaſticum alicujus Regni neceſſario requiri ut in diplomate Pontificio exprimatur verbum Primatus*: attamen ſi in ſcriptis ullius Authoris caſu omittatur denominatio Primatûs Armacani toties authoritate Romanorum Pontificum confirmati, et omnium nationum conſenſu approbati, Præſules Armacani illâ dignitate interdicentur juxta Petrum Dubſem, qui ſicut contendit non fuiſſe Primates, aut Archiepiſcopos, quia priſcis temporibus quandoque vocabantur *Epiſcopi*, ita eodem jure, et paritate rationis Epiſcopali etiam honore, et charactere excludet, quia nonnunquam nominabantur duntaxat *Abbates*.

Perpenderet quod notat Wareus de Præſul fol. 4, 6, et 7. nomen *Abbatis*, et nomen *Archiepiſcopi* ſæpe confundi, et *nomine Abbatis Armacani intelligi debere Epiſcopum, ſive Primatem*: ac quos dicti Annales appellant Abbates Armacanos, in *Pſalterio Caſſelienſi, et Martyrologiis verius inter Archiepiſcopos Armacanos, et Primates numerari*. ita Wareus, ex cujus fol. 3. de præſul mutuatur Petrus Dubs. et repetit iiſdem verbis, quod refert de S. Jarlatho, ad quod tantum reſpicit diſſimulans ſtatim Sequentia. Et S. Evinus lib. 3. cap. 59. tractans de ortu, et Baptiſmo S. Jarlathi hæc habet: "de "Jarlatho S. Patricius prædixit quod ſibi in *Primatu Hiberniæ* ſuc- "cederet, ut et poſtea Succeſſit. et in iiſdem Annalibus Ultonienſibus, ſicut et in vitâ S. Tigernaci, et apud Wareum ubi ſupra ſecundus

dus a S. Jarlatho S. Dubtachus, seu Duachus *egregius Patricianæ sedis Archiepiscopus* appellatur. præfuit autem S. Duachus an 530.

335. Adverteret etiam juxta expositionem eruditorum Armacanos Præsules multiplici de causâ dictos fuisse *Abbates*: primâ, quia sæpe ex præfecturâ Abbatiarum præsertim Armacanæ, et Derrensis promoti fuerunt ad sedem Metropolitanam, et quod in primævâ dignitate sortiti sunt nomen, ex usitato more loquendi ipsis vulgariter attribuebatur etiam in Primatu. Secundâ et quidem præcipuâ quia *Abbas* idem sonat ac *Pater* Marc 14; ad Rom. 8, et ad Galat. 4. erant autem Armacani Antistites, utpote Primates, communes Patres, et Pastores omnium Hibernorum, quod generaliter competere Primatibus, ut Patres sint tum Episcoporum, tum Archiepiscorum, probat inter alios Azorius institut Moral part 2 lib. 3. cap. 33. consuli etiam potest Stanihurtius scriptor Dublinienſis vit S. Patricij. Lib. 2.

Nominabantur autem *Principes*, non (ut perperam insinuat Petrus Dubs.) ab usurpatione quindecim Generationum quæ incepit sæculo decimo, quoniam Catasacus defunctus an 883 dictus est *Princeps Armacanus*: Wareus de præsul fol. 9. addens: " per Principem " intelligo hic Episcopum, sic in vetusto codice canonum tit 66. in " Bibliothecâ Cottonianâ Synodus Hybern ait: Testamentum *E-* " *piscopi*, sive *Principis* est decem Scrupuli Sacerdoti danti sibi Sacri- " ficium &c." ac usus invaluit a primis sæculis ut Episcopi omnes, Ecclesiæ *Principes* nuncupentur, ut docet S. Augustinus in comment ad Psal. 44, et ex eo Urbanus secundus *can quorum vices dist* 68. et prædocuit S. Hilarius comment in S. Matt. cap. 26, Episcopos disertè pronuncians *Principes Populi*.

336. Fuit verò Specialis ratio apud Hibernos nostros ita vocandi Antistites Armacanos, quia insidebant Principem Metropolim supra reliquum Clerum constituti: quemadmodum supremi Ecclesiæ judaicæ Moderatores dicebantur *Principes Sacerdotum* Matt. 26. Marc. 1. Luc. 3. unde ipsos etiam intrusores occupantes Sedem Armacanam, quia vere Metropolim S. Bernardus obiter quidem *Metropolitanos* vocat vit. S. Malach cap. 7. sicut et HugoMagnus Hugonis Capeti Galliarum Regis Pater *Abbas* dictus fuit, quia Abbatiam, ejusque proventus, etsi præter fas, homo Laicus, et uxoratus obtineret, referentibus Petavio rationar. tempor. part. 1. lib. 8. pag. 559, et Cabbasutio notit Eccles. pag. 371. num. 19; ac Absalonem quamvis

iniquiſſimum Uſurpatorem, et affectu Parricidam, tamen quoniam Regnum Iſrael de facto poſſidebat, *Regem* appellat etiam ipſe legitimus Rex David Reg. 2 cap. 15. vers 19. alloquens Etheum, *revertere, et habita cum Rege.*

Si verè dictos Annales evolveret in fonte Petrus Dubs, et acquieſceret veritati, ingenuè fateretur in illis enunciari *omnem Archiepiſcopatum Hiberniæ ſtatutum fuiſſe* Armachiæ, et illius Sedis Archipræſulem præfuiſſe Clero totius Regni, ac Primatiali authoritate toties luſtraſſe alias Provincias, indixiſſe Concilia nationalia, edidiſſe Decreta ad cleri et populi reformationem &c. hæc incidenter, nam quia data operâ hactenus abſtinuimus a citandis Annalibus, et Authoribus Ultonienſibus ob rationem allatam num xi, illis in præſenti Superſedemus.

337. *Ridiculum* appellat fol. 70, et 71. argumentum deductum a Georgio Bruno, ſeu verius a facto Reginæ Mariæ reſtituentis Armacanis *Primatiam totius Hiberniæ*, quam Edwardus Sextus ereptam Georgio Dowdallo conceſſit Georgio Bruno, ejuſquè Succeſſoribus in ſede Dublinienſi (vid num 25, et 26) dicitquè id contigiſſe quia Titulum illum prætendebat Brunus virtute Primatûs Eccleſiaſtici, ſeu Spiritualis Regis, quem Primatum Regium damnavit Regina, non Dublinienſem, de quo nihil mutavit, ſed declaravit Parentem, ac Fratrem Suum Angliæ Reges Capita non fuiſſe Eccleſiæ. Sic propudioſè rei geſtæ facies invertitur, et exoticis, ac veritatem omninò Supprimentibus obſcuratur involucris.

Sed pace Venerabilis viri nonne *ridiculum* potius appellandum eſt inane hoc, et futile commentum? pervolvat qui voluerit utrumque diploma tum Edwardi attribuentis, tum Mariæ auferentis Dublinienſibus Titulum illum *Primatis Totius Hiberniæ*, et in neutro occurret mentio Primatûs Regij in Spiritualibus, vel Eccleſiaſticis. Etenim ſi pro Supremâ in Eccleſiaſticis rebus poteſtate, quam in Regibus ſuis agnoſcunt Neoterici ita ſtatuiſſet Rex Edwardus, quis exiſtimet quod in controverſiâ Uſſerum inter et Buckleum Prorex Strafordus, et Regij Conſiliarij omnes Proteſtantes rejecto decreto Capitis ſui ſupremi etiam in Spiritualibus approbarent revocationem factam a Catholicâ Reginâ Mariâ? quæ, ut decuit, abdicavit aſſumptum a Parente, et fratre Primatum Eccleſiaſticum.

Ac

Ac ulteriùs ſuam pietatem extendit, et juſtitiam: advertens enim oppreſſione Regiâ injuriam factam Armacanis, Regiâ authoritate (utpote canonum vindex, et obſervatrix, Eccleſiæquè cum aliis principibus catholicis a Deo conſtituta Protectrix *can. bene*; *can. duo ſunt* et *can. boni diſt.* 96. *can. Principes* 23, *quæſt.* 5, ac monent Patres Tridentini Seſſ. 25. cap. 20, de reform.) Regiâ inquam authoritate eandem reparavit injuriam allaborante Legato Apoſtolico Cardinale Polo: et ſuis ad Georgium Dowdallum Archiepiſcopum Armacanum Litteris Patentibus hæc inſerit: *Primatiam totius Hiberniæ quam Prædeceſſores tui ultra Hominum memoriam habuiſſe noſcuntur reſtituimus, et confirmamus in perpetuum.* inſuper jubet *ut reliqui omnes Archiepiſcopi, et Epiſcopi reſpondeant, et obediant Primatibus in Exercitio muneris Primatialis*: atteſtantibus Rotulis Cancellariæ, et Proceribus Sanctioris Concilij. vid. num. 106.

338. Tranſlatam itaque Dublinium diplomate Edwardi Sexti, ejuſdemquè Regis violentiâ ademptam Armacanis, quam ſupra hominum memoriam poſſederunt, quippè authoritate Romani Pontificis a S. Patricio ſtabilitam, adeoque non Regalis, ſed Papalis inſtitutionis *Primatiam Totius Hiberniæ*, cui reliqui Archiepiſcopi, et Epiſcopi reſpondere, et obedire tenentur, reſtituit Regina, ut eſt manifeſtiſſimum ex ipſis terminis, nec poſt exactiſſimum ſuum Scrutinium potuit latere Petrum Dubſem. quamvis irrefragabilem perſpiciens vim argumenti penitùs diruentis figmentum ſuum Primatiale, ne deſiſtendo inceptis ſuccumbere videretur, vel cogeretur eductæ in apricum cedere veritati, ad contrariam divertens ſemitam, vanis, et pudendis detorſionibus ſatagit eludere, idque opere completurus objectum immutans, et alienam a propriâ rei ſerie obtrudens enarrationem, deridentis, ac deſpicientis præ ſe fert Speciem, ut hâc Strophâ veluti epinecia cantans genuinam lectori ſubtrahat facti notitiam.

Parili artificio fol. 16, Simulat mirari ſe quod ad S. Bernardum pro ſuo Primatu provocent Armacani. quaſiverò tanti acuminis Præſul, ſicut et quilibet alius, vel etiam infimus Tyro Grammaticalis aliquatenùs imbutus intelligentiâ Linguæ Latinæ, ſimulque evolvens ſcriptâ S. Bernardi, ex tot, tamque conſpicuis, et clariſſimis melliflui Doctoris teſtimoniis, primo intuitu non planiſſimè conciperet ineluctabilitèr demonſtrari jurisdictionem Primatialem Armacanam per univerſum hoc Regnum. ultrò aſſentimur Petro

Dubſi

Dubsi Reginam Mariam nullatenùs mutasse Primatum, quem vocat Dublinienſem: cum enim veræ, et ſenſibilis mutationis Subjectum ſit quod reale, quomodo mutaretur (qui nunquàm extitit extra imaginationem) phantaſticus Primatus Dublinienſis?

339 Avet ſcire quid contineat, aut ſignificet *Tota Hibernia* pluſquam *Hibernia*, ſunt Synonima (inquit) *Rex Hiberniæ*, et *Rex totius Hiberniæ* ——— ——— Ergo Synonima ſunt *Primas Hiberniæ*, et *Primas Totius Hiberniæ*, ſic ille philoſophicas tricas in Subſidium ſuæ cauſæ plerumque aſciſcit, ignoſcat tamen obſervanti illum rigori dialectico (cui aliàs fuit nimis addictus vid. num. 222.) parum conſuluiſſe aſſerendo prædicta eſſe Synonima: Logici enim docent (ſi rite memini) tunc ſumi aliquam dictionem diſtributivè, et ſecundum totam ſuam latitudinem, cum ei præficitur Signum Univerſalitatis, quale eſt tota reſpectu Hiberniæ. quod cum abeſt, vox non diſtribuitur niſi propoſitio ſit in materiâ neceſſariâ. quod autem illa locutio Rex Hiberniæ non verſetur in tali materiâ ex eo liquet, quod ſi vi hoſtili alicui parti ſui Regni minùs notabili cedere compelleretur, aut eam ſuo dominatu libens abdicaret, nihilominùs verè diceretur *Rex Hiberniæ*, etſi in rigore dici nequiret *Rex Totius Hiberniæ*, cum ejuſmodi univerſalis Suppoſitio extendatur ad ad quemlibet Inſulæ angulum.

340. Ut autem detegatur quantum in hâc ſuâ æquiparatione de *Rege Hiberniæ*, et *totius Hiberniæ* hallucinetur: dum ſtante Pentarchiâ quinque eſſent Reges Provinciales, quorum multi ſcribebant ſe *Reges Hiberniæ*, aut ſaltem ab aliis ex aſſentatione, vel errore inductis, præſertim extraneis plerumquè non multùm de diſcrimine inter Supremos Monarchas, et Provinciales Reges diſcutiendo ſollicitis, nominabantur, uti Lanfrancus Gothricum Regulum Dublinij Regem Hiberniæ nuncupat Syllog. Uſſer. pag. 69, ita dum ſubſiſteret in Angliâ Heptarchia Regem Cantij Ethelbertum S. Gregorius, ac Edwinum Regem Northumbriæ Bonifacius, et Honorius Pontifices, Angliæ Reges appellarunt apud Bedam, lib. 1. cap. 32, ac lib. 2. cap. 10, et 17.

341. Ne pari nomine confunderentur differentes ſignificatione, et dominatu, qui omnium Provinciarum adeoque univerſi Regni ſummo jure moderabantur habenas *Summi Principes*, *Supremi Monarchæ* crebriùs *Reges Totius Hiberniæ* appellabantur. conſulantur Wareus de antiquit. cap. 4, et cap. 24. Syllog. Uſſer, pag. 136,

137

137. 142 et 143: ac Gratianus Lucius, pag. 80. 92, 93, et 306, &c. verùm ceſſante Pentarchiâ, et Titulo Regis aſſumpto ab inferioribus Principibus, ſensìm deſuevit additio voculæ *Totius*. at quia nonnulli Metropolitani, etſi Primatibus ſubordinati, et omni juriſdictione carentes extra ſuam Provinciam aſſumunt denominationem Primatis, ideo illi Præſuli qui verè Primas eſt, et omnibus in Regno præficitur, ad differentiam denotandam attribuitur in propriâ ſignificatione dicta particula *Totius*.

342. Nunc factâ hypotheſi quod diverſarum ſedium Præſulibus, uni concedatur a ſummo Pontifice Titulus *Primatis Hiberniæ*, alteri *Totius Hiberniæ*, pronum eſt inferre, imo manifeſtè patet ex terminis, ejus qui obtinet titulum *Totius Hiberniæ*, præponderare jus illius, qui non niſi *Hiberniæ* ſimpliciter exaratur, niſi quis dicat voluiſſe ſedem Apoſtolicam ea diſtinguere, quæ non magis inter ſe diſcrepant quàm Marcus Tullius Cicero. quod quam abſonum ſit, et ridiculum neminem latere arbitror, cui Solida Curiæ Romanæ agendi ratio, ſtyluſque accuratus comperta ſunt: et colligitur *can. Apoſtolicæ* 35, *quæſt.* 9: *gloſſ. & D. D. in cap. ad audientiam de Reſcript.*

343. Si quid autem incommodi, aut abſurdi habet illa hypotheſis (Primatum enim Dublinienſem nulli innixum alteri fundamento quàm figmento Joannis Allani, extra nudæ Hypotheſeos fines excurrere non admitto) in eos rejiciendum erit, qui illi pro ſuo ambitu anſam dederunt: fateor enim Armacanos Præſules in Bullis, et Reſcriptis Pontificiis quandoque inſcriptos fuiſſe *Primates Hiberniæ*, quandoque *Totius Hiberniæ* donec Primatis Hiberniæ Titulum auſu temerario arrogarunt Dublinienſes (eodem modo poſſent et Caſſelienſes, cum æquali polleant juriſdictione intra, neutiquam autem extra fines ſuarum reſpectivè Provinciarum exercendà) ex inde ad retundendam recentem hanc uſurpationem accuratiùs invigilantes ſummi Pontifices inſerere conſueverunt Proviſionibus Armacanis Titulum *Primatis Totius Hiberniæ*, ut vel hinc innoteſceret, et integra conſervaretur Armacana per univerſum Regnum Præeminentia, et juriſdictio Primatialis.

Quoniam (ſicut ingenuè fatetur etſi Archiepiſcopo Dublinienſi Suffraganeus totiès laudatus Rmus. Oſſorienſis Rotheus Analect. pag. 227, et 228) *quidam Regni hujus totius Primatum, qui Eccleſiæ Armacanæ competit, novis Artibus extinguere molirentur*——

ac

—— *ac modis omnibus laborarent antiquam Scaturiginem funditùs transvertere ex suo alveo, jus obtinuit, et consuetudo, ut cum Antistes Dublinienſis se Primatem vocitet Regni Hiberniæ, ad notandam istius segregationis singularitatem, quâ filiæ placuit esse divulsam a cervice, et ubere matricis, ipsa matrix omnium, et vera cetærarum nutrix, ac genitrix Armacana totius Regni Primatum conspicuâ plenitudine denotaret, et isto sui Tituli discrimine configeret oculos ambitiosæ æmulatricis.*

344 Quemadmodùm quinque Archiepiſcopi Africani (ut ſupra vidimus, num. 60.) *Africæ Primates* denominabantur, quos tamen ſub ſuâ poteſtate complectebatur Archiepiſcopus Carthaginenſis utpote *totius Africæ Primas*: cujus rei alibi plura occurrunt Exempla. Cæterùm ſi nil ampliùs contineat, aut ſuperaddat illa vocula *Totius* quærendum eſſet cur Georgius Brunus (qui prætenditur fuiſſe antea Primas Hiberniæ) eam ſibi a Rege Edwardo Sexto impetraverit, et conceſſam ingentis honoris loco habuerit? (vid. num. 25, et 26) cur Dowdallo Armacano per modum pœnæ idem Rex ademerit? interrogandus etiam venit ipſe Rmus. Talbotus quare tantoperè inſtiterit apud Clementem decimum, ut tam ſpernenda vocula ſuis inſereretur Proviſionibus, ſicut vidit inſertam Armacanis? (vid. num. 30) mirum ſane ad hæc animum non adjeciſſe, aut ſi adjecit, voluiſſe hujuſmodi argutiis illudere Lectoribus.

345. Objicit ſibi fol. 57. " quod duo ſummi Pontifices Innocen-
" tius decimus, et Clemens nonus in Litteris ſuis Apoſtolicis Ed-
" mundo Reilly, ac Olivero Plunketto datis dicant ſe, illos con-
" ſtituere Primates Regni Hiberniæ (omittit tamen more ſuo hæc
" verba illis Litteris inſerta, *et ad Eccleſiam Totius Regni Primatialem promovemus*) " et reſpondet Innocentium decimum putaſſe
" illum fuiſſe Stylum Antiquum Curiæ Romanæ in Electione An-
" tiſtitis Armacani; ita enim ſuæ Sanctitati falsò ſuggeſſerat Dio-
" nyſius Mazzarius S. S. Congregationis de propagandâ fide Secreta-
" rius, ac Provinciæ Dublinienſis hoſtis inſenſiſſimus —— ——
" Clemens nonus ſui Prædeceſſoris Exemplar ſecutus eundem Sty-
" lum ſervavit.

346. Unde quæſo immanis illa hoſtilitas, et atrox Illmo. Mazzario Simultas cum Dublinienſibus, quorum multum dolendæ ſunt vices, ſi tot experiantur hoſtes inſenſiſſimos, quot habet Primatus Armacanus Aſſertores? quibus argumentis, ſignis, aut adminiculis

con-

convincitur tam perditæ fuiſſe conſcientiæ, et profligatæ impudentiæ, ut falſis Suggeſtionibus auſus eſſet decipere Innocentium decimum? *utrumque* (ait) *adeò manifeſtum eſt, ut noſtrâ non indigeat probatione.* Sed puerile nimium eſt, imo vix in ipſis pueris ferendum tam inſipidum ratiocinandi genus, quo quilibet Subleſtiſſimæ fidei homuncio facile obtrudet quicquid incidet imaginationi quantumvis ab omni veri apparentiâ alieniſſimum.

347. Quaſi-verò Sola unius, et quidem in caſu ſuo (qui totiès teſſeram fregit) ac nuda aſſertio ſine tabulis, ſine teſtibus ſufficiat ad infamem deceptionis, et mendacij maculam irrogandam Selecto inter Sublimes Romanæ Eccleſiæ Prælatos Secretario SS. Congregationis de propagandâ fide Dionyſio Mazzario, qui nunquam fuit Datarius, aut Subdatarius, et quamvis verè fuiſſet pro theſauro Peruano vel minimum de antiquo, et uſitato Curiæ ſtylo immutare (quod graviſſimis pœnis vetitum eſt) non præſumeret: nec in Pythagorica incidimus tempora ut penitus acquieſcamus audientes, *ipſe dixit.*

Et quoniam indubitata antiquitatis monumenta, ac Patrios Annales tot Sæculorum calculo Venerabiles, tot Magni nominis authores ſine ſcrupulo rejiciat, et vilipendat, eâ ſolâ de cauſa quod Armacanum Primatum confirment, demonſtrentquè quâ authorithoritate, et juriſdictione in totum Clerum hujus Regni pollerent a tempore S. Patricij illius Succeſſores Præſules Armacani, indignari non debet, ſi illius unius dictum nullo ſuſſultum teſtimonio alij pariter reſpuant: nec ſe præferendum cenſeat S. Auguſtino, qui Epiſt 3 ad Fortunat magis æquam offert conditionem dicens: *talis ſum in Scriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.*

348. Quid autem in præfatis Apoſtolicis litteris Innocentij, et Clementis reprehendit, niſi quod Armacanis jure competere, et a præcedentibus Pontificibus fuiſſe indultum Satis Superquè probatum eſt hactenus? et continetur in Originali Bullâ etiamnum extante Romæ in Archivis Conventûs S. Iſidori, quam Petro Lombardo conceſſit Clemens octavus annis ad minus Sexaginta ante inaugurationem Edmundi Reilly et nondum nato Dionyſio Mazzario: quo manifeſtè convincitur quam fædè titubet in plano Petrus Dubs. cum læſione charitatis, ſimul et juſtitiæ propalando Illmum Mazzarium id falſò Suggeſſiſſe Innocentio decimo, quamque parum profecerit in exactiſſimo ſuo (ut gloriatur) Scrutinio revolvendo &c. fortè etiam

am Monacho Augenſi ſæculo duodecimo Scribenti vitam S. Laurentij Dublinienſis, et Surio falſò Suggeſſit Dionyſius Mazzarius a Gelaſio *totius Hiberniæ Primate* conſecratum fuiſſe Laurentium (vid num 167) ac falſis Suggeſtionibus decepit diu præmortuos S. Bernardum, Trithemium, Bolandum, Baronium alioſque commemoratos a num 9 omnes aſſerentes Armacanum *Totius Hiberniæ Metropolitanum, et Primatem* vid etiam a num 1. Sed omiſſis ineptiis.

349. Non gravetur Lector advertere quod recentiores Dublinienſes, atque ipſe Rmus Talbotus fol. 66, 67, 80, et 81. ex ſuo Regiſtro oſtentent deciſionem Innocentij Sexti approbante Concilio Cardinalium, ſtatuentis ut Archiepiſcopus Armacanus eſſet *Primas Totius Hiberniæ*, Dublinienſis autem *Primas Hiberniæ*. Quid ergo opus falſis Suggeſtionibus, ut Innocentius decimus, et Clemens nonus Armacanis attribuerent quod diu ante tantâ Solemnitate decreviſſet Innocentius Sextus ? et quanta implicantia in terminis ut illius (quod ab Innocentio Sexto inſtitutum aſſeritur) initium referatur ad Innocentium decimum, et Dionyſium Mazzarium trecentis annis poſteriores ? Scilicet quia hujus fabellæ figulus conſuevit non tantum cum aliis, ſed etiam ſecum ipſo ſententiarum contrarietate pugnare. hæc obiter ad hominem : nam commentitia illa deciſio non aliundè ortum habuit, quam ex ambitioſiſſimo cerebro Joannis Allani.

350. Acriter fol. 59. invehitur in Richardum Archiepiſcopum " Armacanum dicens : " ipſum quâ *temeritate* calamum in Mendi- " cantium ordinum inſtituta ſtrinxit, eâdem crucem ſuam in civi- " tate Dublinienſi erexiſſe." ſed non leve (ni fallor) temeritatis argumentum eſt privatâ authoritate arrogare ſibi provinciam carpendi, quem redditâ facti ſui ratione in conſiſtorio Apoſtolico Innocentius Sextus, et S. Cætus Cardinalium indemnem dimiſerunt, atque ab omni reprehenſionis cenſurâ immunem in iis, quæ multa Scripſit doctiſſimus Richardus, præſertim in libris contra Armenos, quædam erroris inſimulari a nonnullis Doctoribus Catholicis non abnuerim, unde cautè legendum monet Bellarminus de Scriptor Eccleſiaſt pag. 387.

351. Quod de aliis doctis, et piis viris dici poteſt, imo de quibuſdam Sanctiſſimis Eccleſiæ Patribus, qui in veritatis inquirendæ Semitâ quandoque ceſpitarunt imbecillitate humani intellectûs inſufficientis

entis ad omnia plenè comprehendenda, non vitio voluntatis, aut pertinaciâ, Siquidem Scripta ſua judicio Eccleſiæ ſubjecerunt; in quo illos fideliſſimè Richardus eſt Secutus. nam raro quis inveniatur quantâcunque Scientiâ, vel Sanctitate præditus, cujus Scripta in errorem aliquem non impingant. *non facile eſt* (ait Xenophon) *ut reperiri aliquod opus poſſit, in quo nihil a quoquam reprehendatur, eſt enim arduum quidquam perficere, ut non alicubi pecces.* Et ipſe Doctorum lux S. Auguſtinus lib. 4. de orig anim cap. 1. ita de ſe fatetur: *negare non poſſum nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſint juſto judicio, et nullâ temeritate damnari*: vid *can negare diſt* 9, *cum* (ut notat Baronius epit Spond ad an 109 num XI.) *divinarum tantum ſit Scripturarum inconcuſſam continere veritatem.*

352. Vidimus num 10, quid de Richardo noſtro ſenſerit Spondanus Scribens eum *Theologum fuiſſe doctiſſimum, Armacanum in Patriâ ſuâ Archiepiſcopum, et Totius Inſulæ Primatem.* Et Joannes Trithemius lib de Scriptor Eccles. " Richardus (inquit) Ar-
" chiepiſcopus Armacanenſis, et Hiberniæ Primas, vir in divinis
" Scripturis eruditus, et Sæcularis Philoſophiæ, juriſque canonici
" non ignarus, ingenio clarus, Sermone Scholaſticus, in declamandis
" Sermonibus ad populum excellentis induſtriæ, Scripſit ingenij
" ſui nonnulla opuſcula, quibus nomen ſuum ad Poſteros tranſ-
" miſit. hic cum aliquando de materiâ mendicitatis prædicaret Po-
" pulo, novem concluſiones protulit, quibus offenſi Fratres Ordinum
" mendicantium ad Sedem Apoſtolicam coram Plebe appellaverunt;
" comparentibus ergo tam Archiepiſcopo, quam Fratribus Aveni-
" one coram Papâ Innocentio Sexto, et Cardinalibus Anno Domi-
" ni 1357 octavâ Menſis Novembris: Richardus Archiepiſcopus
" publicè protulit, legit, et pronunciavit earundem Propoſitionum
" lib. 1. *Nolite judicare ſecundum faciem*, &c.

353. Quantâ autem pietate, et Sanctitate vixerit innoteſcens titulo Sancti Richardi de Dundalk, ubi natus eſt, demonſtrant crebra, quibus poſt mortem coruſcavit, miracula, quorum Specimen exhibetur in præfatione affixâ libro defenſorij Curatorum excuſo Pariſiis apud Petrum Billaine an 1633, quæque moverunt Papam Bonifacium nonum ut illum Sanctorum albo adſcribendum ſtatuerit et dato Diplomate Præſulibus Joanni Cultono Armacano, Richardo Young Bangorenſi, ac Abbati Oſneyenſi examinanda commiſerit, ac inſuper

Canonizationis efformaverit Bullam, cujus in Vaticano asservatæ Exemplar Pater Lucas Waddingus ordinis Seraphici doctrina, et pietate celebris Româ in Hibernia ad Rmum. Ossorienſem Epiſcopum tranſmiſit plura cupiens de hâc re adeat dicti Waddingi annal minor tom 4 ad an 1357, Spondanum in continuatione Baronij ad dict an. Wareum de Præſul fol. 21, et modò citatam præfationem.

354. Nihilominus glorioſus Antiſtes, quem a contumeliis vindicant divina, et humana teſtimonia, quæ obſtruere deberent ora obloquentium, *temerarius* fuit erigendo crucem in Civitate Dublinienſi, imo et Sycophanta (" qui ad uſurpandam contra fas illam poteſ-
" tatem, Edwardi tertij Regis Angliæ in favorem Primatus Arma-
" cani Litteras oſtentavit, quas tamen ut falſas, et Subreptitiè obten-
" tas Rex poſtea revocavit") temerarius inquam fuit, et Sycophanta dum placuerit Petro Dubſi iſta partim haurienti ex proprij ingenij Scrinio, partim ex referto commentis Tripode-Corypheei ſui Thomæ Rivij, Eccleſiæ Armacanæ, Catholicorum Hiberniæ, ac Sedis Apoſtolicæ hoſtis iniquiſſimi (vid a num 101 ad 104) toties deprehenſi in manifeſtis mendaciis, ut oculatum oporteat eſſe Lectorem, et niſi quod videt, nihil ab eo acceptum credere. Advertendum inſuper prætenſas illas Regis Edwardi revocatorias Litteras juxta Rivium, et Rmum. Talbotum eſſe eaſdem, quibus obtrudunt Edwardum declaraſſe quod *Dublinienſis Eccleſia honorabilior ſit Terræ Hiberniæ.* unde liquidiſſimè conſtat fictitias fuiſſe, vel certè Subreptitias. vid num 120.

355. Sed quamvis juriſdictioni Armacanæ obſtiterint Dublinij commorantes Regij juſticiarij prævalentibus apud eos magnâ inter-Aulicos potentiâ, et muneribus Collegæ ſui Alexandri Bicknor Archiepiſcopi Dublinienſis juſticiarij pariter, et Summi Hiberniæ Theſaurarij tamen pius Præſul Richardus non tantum Dublinij Crucem erexit, ſed etiam more Majorum alia obivit munia Primatialia, et refragantem Priorem de Kilmainham excommunicavit, quem poſtea reſipiſcentem abſolvit, ut probant quæ ipſe Petrus Dublinienſis adducit ex Regiſtro Armacano.

" Prædicti juſticiarij, ac Prior de Kilmainham cum ſuis Compli-
" cibus receptâ pecuniâ ab Archiepiſcopo Dublinienſi negotium
" Eccleſiæ Armacanæ impedierunt. eodem anno Prior de Kilmain-
" ham per miracula B. Patricij mortuus eſt: eodem Anno Alex-
" ander Archiepiſcopus Dublinienſis propter injurias, et Seditiones
" quas

" quas contra Eccleſiam Armacanam fecit mortuus eſt per B. Patri-
" cij miracula : Prior de Kilmainham non fuit traditus Eccleſiaſti-
" cæ Sepulturæ, donec authoritate Domini Primatis (quia in eo
" apparebat pænitentia ſalutaris) fuit abſolutus".

356. Hæc referens fol. 60. exclamat *quàm mendax Regiſtrum Armacanum* ! Sed pacatiùs aliquantulùm : unde acriores hi aculei in Viro Rmo. tantuſque impetus conviciandi ? nonne aptius quadraret Regiſtro Dublinienſi ob rationes adductas Num. 84, et ſeqq. ? " quia videlicèt pecuniâ non potuerunt devinci juſticiarij Hiberniæ, aut Prior de Kilmainham, hoc eſt Prior Equitum S. Joannis Hi-
" eroſolimitani *Proregi dignitate, et divitiis proximus*" credat quicunque aſſuetus adinventiones proprij cerebri conſpicuæ præferre veritati, cum tot Præſules, et Proceres dignitate, et divitiis præcellerent in hoc Regno. ut id tamen tranſeat cum reliquis conceptibus imaginariis.

At potentia, et opes non ſemper tollunt depravationem cordis, vel cupiditatem ampliùs poſſidendi, imo potiùs acuunt juxta tritum adagium : creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit : quod præ innumeris ex ſacrâ, et profanâ hiſtoria demonſtrarunt exemplo ſuo filij Samuelis conſtituti ſupremi judices ſuper populum Iſrael, qui *declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium*, 1 Reg. 8. et Felix ſupremus pro Cæſare Præſes judeæ expectabat pecuniam a Paulo Apoſtolo, quam quia non acceperat, non dimiſit illum etſi innocentem agnoſceret, ſed vinctum reliquit Succeſſori ſuo Feſto act. 24. et quamvis alij reperiantur homines, non continuò alij Mores : ſiquidem *pecuniæ obediunt omnia, Eccleſ.* 10, 19. et *omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones Iſai.* 1, 23, et *munera excæcant prudentes, et ſubvertunt verba juſtorum Exod.* 23, et *Deuter.* 16. *multos perdidit aurum, et argentum, et uſque ad cor Regum extendit, et convertit, Eccli.* 8.

357. Sed " quid (inquit) de Excommunicatione ab Armacano
" fulminatâ contra Priorem Equitum S. Joannis Hieroſolimitani ab
" Ordinariis exemptum ? quid de abſolutione poſt mortem in Ci-
" vitate Dublinienſi, quæ non agnoſcebat ullam in Armacano juriſ-
" dictionem ?" reſpondebit affatim vel levitèr verſatus in jure canonico, quod quantumcunque exemptus, poſſit ratione delicti alibi commiſſi, puniri, et excommunicari, præſertim ſi jurisdictionem, vel authoritatem Præſulum evacuare nitatur : *cap. patentibus de privileg.*

vileg. cap. volentes eod. in Sexto, et *cap. non minus ver jurisdictionem de immunit Eccles*: *cap. cum et plantare § fin. de privil*: *cap. Romana de pœnis in 6°*: *Abb. in cap. cum veniſſent, Num.* xi. *de judic*: *Innoc. in cap.* 1, *de offic. Deleg. et in cap. Dilectus de pœnis*: *Cardinalis in Clement* 1 *quæſt.* 3 *de offic. ordinar. L. nullum, et ibi Salicet cod. de teſtibus*: imo ipſo facto iſtiuſmodi perturbatores ſunt excommunicati cap. 16, Bullæ Cænæ. Reſpondebit paritèr quod in Excommunicatione decedenti, ſi ante mortem pœnitentiæ ſigna ediderit, poſſit, et debeat Eccleſiæ benignitate ſubveniri, ut defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur: ita præſcribitur *cap. a nobis eſt ſæpè quæſitum de ſentent excommunicat.*

358. Armacanum autem non habere jurisdictionem in Civitate Dublinienſi, inviſa eſt etiam Logicis petitio principij aſſumendo pro judicato quod eſt caput controverſiæ. aſſeruit fol. 23, ſine teſte, ſine comite Petrus Dubs. (ut diſcuſſimus ſuperiùs a num. 105) in diſceptatione inter Uſſerum Armacanum, et Buckleum Dublinienſem in Sanctiori Concilio, " imperioſi Proregis Comitis Strafordi " tantam fuiſſe in Uſſerum propenſionem, ac contra Buckleanas " partes pertinaciam, tantam in conciliariis Proregi Submiſſionem, " et adulationem, ut iniquum fuerit decretum pro Sede Armacanâ " promulgatum " attamen dum incolentes Dublinium juſticiarij dignitate, et Proventibus Proregi longe inferiores contra prærogativas Armacanas quidquam moliuntur in gratiam alterius juſticiarij, et Regij Theſaurarij Alexandri Bicknori, illicò tam integri, et incorruptibiles fiunt, ut ne quidem pecuniarum tentationi Succumbere poſſint. En quam veriſimilibus argumentis probatur *mendax*, et infrà *mendaciis Scatens* Regiſtrum Armacanum.

359. Suggillat fol. 61. et mendaciis ſimilitèr accumulat miracula S. Patricij, quibus aſcribitur mors Archiepiſcopi Alexandri, quem dicit Senio confectum. an Senilis fuerit, an robuſtioris ætatis (de quo nihil occurrit in hiſtoriâ) non moror, ſed quod ambo conſpirantes contra præeminentiam Armacanam Alexander Bicknorus, et Prior de Kilmainham tam brevi tempore, eodem morbi genere, et vix non repentino ſimul perierint, indubitatum obſervantibus apparuit indicium Supernæ Ultionis. nec recens, ſed præcedentium Sæculorum conſtans fuit traditio (et nonnulla refert Exempla Cambrenſis lib. 2. expugn. Hibern. et topograph. diſt. 2, cap. 50, Wareus in Annal. ad an. 1184, et 1538, ac Hanmerus pag. 160) violantes

lantes jura Patricianæ Eccleſiæ, graves, et terrificas luiſſe pænas S. Patricio vindicante injuriam ſuæ Sedis, et Cleri.

360. Qui primus obtruſit prætenſam Bullam Lucij Tertij (de quâ egimus a num. 63) Archiepiſcopus Lucas (vid. num. 137) et obtentu fictitiæ Exemptionis Primatum juriſdictioni (etſi incaſſùm) ſe ſubtrahere elaboravit, tot annis ante obitum captus oculis ſuſtinuit in tenebris incommoda cæcitatis. deindè Joannes Leach poſt ſexaginta annos (nam eo intervallo rectæ ordinationi, et Hierarchico Regimini acquieverunt Dublinienſes) contentionem habuit cum Rolando jorſio Armacano (quod jorſius in Provinciâ Dublinienſi Crucem ante ſe geſtari permiſerat an. 1313) et intra paucos dies extinctus fuit. Thomas Mynot Miloni Armacano eandem de Cruce portandâ Dublinij excitavit controverſiam an. 1375, et ſecedens Londinum ibi mox expiravit.

361. Tot irati numinis Experimenta ita terruerunt ſubſequentes Præſules Dublinienſes, ut nullum per centum quinquaginta, et ampliùs annos Armacanis obeundi, ubi libuit, Primatialia munia negotium faceſſiverint; proindè pacificè tulerunt Michael Fregurius, et Walterus Fitzymons appellationes interjectas a Sententiis ſuis an. 1462, et 1493 in cauſa Matrimoniali Aliſiæ Knight, et contentione capituli Leighlinienſis ad Primates Joannem Bole, et Octavianum a Pallatio, qui provocantes admiſerunt, et jus dixerunt inter partes Authoritate Primatiali (vid. num. 22, et 23) donec tandem ſuperveniens malis avibus ambitioſiſſimus Allanus immenſa inſoleſcens potentia ſui Patroni, et Sacrilegiorum ſuorum remuneratoris Cardinalis Wolſei veſano auſu turbavit harmoniam inter caput et membra conteſtando (quamvis ad ſuam confuſionem) cum Georgio Cromero Armacano de præcedentia Dublinij in Parliamento habito an. 1533, vid. num. 78 et 320. ſed anno ſequenti apud Artenniam prope Dublinium funeſta morte excuſſo cerebro occubuit.

362. Qui illum excepit Georgius Brunus ambitu æqualis, et faſtu impetravit ab Edwardo ſexto ſibi, et Succeſſoribus Primatiam totius Hiberniæ. haud multo poſt ex ipſa Sede Dublinienſi ignominioſè expulſus, omnique dignitate, et titulis ſpoliatus, deliteſcens, et cunctis fidelibus inviſus diem clauſit in ærumnis: cum illo ceſſavit uſurpatio Dublinienſium quouſquè contentionem movit Lancelottus Buckleus, qui non tantùm Decreto Sanctioris Concilij Succubuit an. 1634 (vid. num. 106) ſed demùm mœrore confectus animam

mam efflavit. tandem controverſiam reſuſcitavit an. 1670, Rmus. Talbotus immoderatè Stylum acuens, et bilem in prærogativas Armacanas. quas autem ab inde (ut obſeruarunt contemporanei, quorum nonnulli ſuperſunt) paſſus ſit infirmitates tam corporis, quam animi etiam priuſquàm in manus inſequentium incideret, et verè innocuus, ob orthodoxæ Religionis profeſſionem ſuſtineret ſqualores carceris, aliis omitto recenſendas. non enim Perſonam tum charactere, tum nobili ſtemmate mihi multò venerabilem inſectari contendo, ſed erronea Scripta pro modulo meo refutare propugnando veritatem. liceat tamen opinari, quod ſi pro atrocitate attentati deberet eſſe plagarum modus (ſæcluſa ſubſequenti resipiſcentia de qua num 402) non mirum si præ cæteris duriùs plecteretur.

363. Siquidem alij (ſi excipias Proteſtantem Brunum confiſum diplomati Regis Edwardi Sexti) prætenderunt tantummodò exemptos ſe a juriſdictione Armacana Solus inter Catholicos Præſules Talbotus æqualem (ſi Superis placet) imo et ſuperiorem poteſtatem arrogare præſumpſit. et forſitan Seriò attendenti non vulgare apparebit cæleſtis offenſæ argumentum, quod primò adeo ingenij, et ſcientiæ laude celebratus apud ſuos, ut quædam etiam pro re Catholica propugnanda contra Neotericos monumenta Typis edidiſſe dicatur, in tam patentes poſtea lapſus sit errores ſparsim annotatos in hoc tractatu, totquè corruptelis impleverit libellum ſuum de prætenſo Primatu Dubliniensi, pervertendo ordinem narrationis, truncando textus, adulterando ſenſum &c.

364. Aliud detexit mendacium in Regiſtro Armacano, ſcilicet quia ibi continetur, " quod Joannes Archiepiſcopus Armacanus vi-
" ſitaverit Provinciam Conaciæ, Donatum videlicetArchiepiſcopum
" Tuamenſem„ ejuſque Suffraganeos, eo quod quolibet Septennio
" debeatur Armacanis visitatio totius Hiberniæ". Unde probatur mendacium? quoniam Wareus de Præſul. fol. 250, referens " Joan-
" nem Bole Archiepiſcopum Armacanum 24 Aprilis an. 1461 ad
" Donatum o Murry Archiepiſcopum Tuamenſem litteras perſcrip-
" ſiſſe, sicut ad Elfinenſem, Clonfertenſem, Duacenſem, Alladen-
" ſem, et Achadenſem Epiſcopos, quibus innuit ſe paulò pòſt Pro-
" vinciam Tuamenſem visitaturum: addit *ſed an viſitaverit non conſtat*, ſubjungens, *certè aſſerunt ſibi Archiepiſcopi Armacani in cæteris Provinciis Viſitationem quolibet ſeptimo anno.* mendacium ergo erit quicquid non conſtat Wareo, et proinde mendax Regiſtrum Armacanum

macanum. bella herclè concluſio!

365. Demiſſius de ſe ſentiret candidus, et eruditus Author Wareus, et agnoſceret nullum quantumvis doctiſſimum, niſi ſimul arrogantiſſimum diffiteri poſſe, quin de multis in ſe actu veriſſimis ſibi non conſtet, præſertim in rebus facti. cæterum viſitationem peractam affirmat Regiſtrum verè venerabile (quicquid obtrectandi libido ſuggerit in contrarium) et juxta juriſperitos magis probat unus affirmans, quam multi negantes, ſeu reſpondentes per verbum Neſcio: *L. Actor cod de probat*, et D. D. cum Maſcar conclus 192 N. 1: *quia negantis factum per rerum naturam nulla eſt directa probatio*: *cap bonæ memoriæ* 23. *de Elect.* et illud inſertum fuit Regiſtro vix non duobus ſæculis ante tempus Warei, de quo dicere liceat ſine ullâ illius injuriâ, vel quod non pervolverit totum Regiſtrum (cujus tamen honorabilem crebrò facit mentionem) vel quod ipſi exciderit lapſu memoriæ: non enim omnia poſſumus, aut colligimus omnes. Sed omiſſis conjecturis fas ſit ita diſcurrere: voluit viſitare Provinciam Tuamenſem Archiepiſcopus Bole, potuit viſitarè, ergo fecit. quod voluerit, patet ex Regiſtro, et jam viſo teſtimonio Warei, potuiſſe autem manifeſtum eſt ex deciſione Papæ Alexandri Quarti (vid num. 20.) decernentis, ut Archiepiſcopus Armacanus, et Singuli ſui ſucceſſores poſſint Provinciam Tuamenſem de quinquennio in quinquennium viſitare ergo, &c.

Ecce alterum mendacium Regiſtri Armacani, ubi intergeſta Joannis Bole pag. 98. deſcribitur iſta viſitatio, et pag. 92. præfigitur hic titulus: *Commiſſio ad viſitandum Provincias Caſſelienſem, et Tuamenſem jure Primatiali——Univerſis, et Singulis Venerabilibus Fratribus Dnis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Rectoribus, Vicariis, cæteriſque tam Viris Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus per Provincias Caſſelienſem, et Tuamenſem nobis Primatiali jure ſubjectas ubilibet conſtitutis præſentes noſtras Litteras viſuris, vel audituris Joannes Dei, et Apoſtolicæ ſedis gratiâ Armacanus Archiepiſcopus Hiberniæ Primas Salutem in omnium Salvatore*——deinde peractâ viſitatione Tuamenſis Provinciæ, ſubjungit propter ardua quædam negotia Eccleſiam Metropoliticam, et Primatialem Armacanam, Clerumque, et populum Provinciarum antè-dictarum tangentia expedienda ſe detentum quominus Provinciam Caſſelienſem perſonaliter viſitare poſſet in præ-

senti, destinasse loco sui ad illud munus obeundum Clericum suum Magistrum Magonium Macdonachy canonicum Elfinensem, &c.

366. Excandescit Petrus Dubs. fol. 58. perplexus ad commemoratam num 22. provocationem Alsonæ, sive Alisiæ Knight, et ut qualicunque effugio se intricato expediat anfractu, *respondet primò* " ex ipsis Registris constare illum Archiepiscopum Armacanum " fuisse Summi Pontificis Delegatum." quis hæc tam confidenter asserentem non crederet ita legisse in ipso Registro? ubi tamen ne verbum quidem, aut mentio habetur Delegati Pontificij. Archiepiscopus ille Armacanus fuit jam præfatus Joannes Bole, quem nec Wareus in ipsius vitâ, nec alius ullus Scriptor antiquus, vel recentior, ullumve monumentum, aut Traditio facit Delegatum Summi Pontificis, nec uspiam alibi tali dignitate donatus reperitur extra imaginationem asserentis licentiâ consuetâ Petri Dublinensis, qui dum premitur ineluctabili vi veritatis, plures imaginari non detrectat delegatos Pontificios, quam unquam deputavit Sedes Apostolica si vel unum saltem ullius nominis Authorem allegaret pro novo hoc commento, tunc fortè excusabilis appareret. at quod imaginariis ipsius conceptibus sine teste, sine adminiculo deferamus contra notorietatem publicam, plus est quam rationabiliter peti, aut expectari potest: cum in ipso Registro, tum ex facto pateat Apostolos concessos Appellanti Alisiæ directos fuisse ad Primatem nullâ factâ mentione Legatinæ, alteriusve potestatis.

367. " Respondet secundò totam historiam esse fictitiam: pluri" mis enim (inquit) Scatet figmentis Registrum Armacanum, ne" que enim credibile est ausos fuisse Præsules Armacanos admittere " Appellationes Civium Dublinensium post tot verbera, et vul" nera, quibus excepti sunt illi, qui Crucem Armacanam in Pro" vinciâ Dublinensi attollere conabantur." de figmentis, et mendaciis parum Sincerè cum infractione charitatis, et justitiæ contra rei Evidentiam imputatis Registro Armacano jam vidimus.

Et judicet æquus Lector an non potiùs pudendum, quam refutatione dignum censeri debeat hoc Responsum: enimverò tam terrifici erant Dublinienses ut Præsul Armacanus et quidem (juxta Rmum. Talbotum constitutus Delegatus summi Pontificis) non auderet etiam in civitate, aut Diœcesi suâ admittere Appellationes Civium Dublinensium veritus eorum verbera, et vulnera in tam remotis. perpen-

pendatque ad quas pueriles nugas, et ineptias conſtringat malæ cauſæ patrocinium. et neſcio an multum devinciat (quos Sacrilegij reos aſſerit, et excommunicatione irretitos intimat inflictione verberum, et vulnerum unctis Domini Præſulibus Catholicis) ſuos Dublinienſes doctos malo ſuo ab hujuſmodi Sceleribus cavere.

368. Quandoquidem in ſuâ Hiberniæ hiſtoriâ anglicè Scriptâ narrat Stanihurſius, et ex eo Gratianus Lucius pag. 227. " gravi Se-
" ditione inter Dublinienſes, et Comitis Ormoniæ milites exortâ,
" Cives in D. Patricij templum grege facto irrupiſſe, Sacrorum Si-
" mulacra jaculis confixiſſe, Imagines dejeciſſe, Reliquias violaſſe,
" Sacrum denique locum irreligioſiſſimè profanaſſe, pro quibus barba-
" ricis flagitiis a Legato Pontificio tulerunt pœnam, ut Prætor Ur-
" bis ad perpetuam rei memoriam in Solemni Corporis Chriſti Sup-
" plicatione nudis pedibus incederet, qui ritus in deſuetudinem ante
" non abiit, quàm Eccleſiæ Catholicæ authoritatem e medio Comitia
" Suſtulerunt.

Sed ut redeamus unde digreſſi ſumus. Archiepiſcopum Bole admiſiſſe Appellationem ejuſque delegatum Jacobum Leach pronunciaſſe ſola Authoritate Primatiali evincit ipſa, quæ Sequitur, Sententia lata in Termonfeccan prope Pontanam an 1462: illamque e Regiſtro Armacano inter geſta præfati Bole accuratè deſcriptam de verbo ab verbum Dudleus Loſtus Juris utriuſque Doctor, et Magiſter Regiæ Cancellariæ inſeruit ſuo libro fol. 80. de caſu Ware, et Shirley, quem Anno 1668 peroravit Dublinij in Curia Archiepiſcopali coram Gulielmo Buckleo Cancellario Archiepiſcopi Dublinienſis nemine in dubium revocante facti veritatem, aut excipiente contra competentiam Judicis.

369. " In Nomine Domini Amen. Auditis, viſis, cognitis, et
" plenius intellectis meritis, et circumſtantiis cauſæ Appellationis,
" et ipſius cauſæ principalis primò coram honorabili viro Magiſtro
" Gulielmo Thunder Officiali Domini Rogeri Croſs Archidiaconi
" Dublinienſis inter Aliſiam Knight Mulierem partem Actricem ex
" parte unâ, et Simonem Abrey ejus de facto maritum Partem ream
" ex parte altera motæ, et aliquandiu pendentis indeciſæ, deinde per
" viam Appellationis ad Curiam Metropolitanam Dublinienſem
" devolutæ, et ibidem finaliter terminatæ, ac ad Curiam Metropoli-
" ticam Armacanam *Totius Hiberniæ Primatialem* denuò per Ap-
" pellationis viam devolutæ, et nobis per Rmum. in Chriſto Pa-

" trem Dnŭm Dnūm Joannem Dei, et Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Ar-
" chiepiſcopum Armacanum *totius Hiberniæ Primatem* ſine cano-
" nico terminandam commiſſæ: et quia nos viſis, et rimatis Actis,
" et Proceſſibus cauſarum hujuſmodi coram Magiſtro *Roberto Offi-*
" *ciali Curiæ Dublinienſis judice a quo introductis*, et coram nobis
" *judice ad Quem productis*, inuenimuſque per depoſitiones Teſti-
" um fide dignorum coram nobis productorum, contra quos, ſeu
" quorum dicta nihil pro parte dicti Simonis erat objectum ſive pro-
" poſitum, et alia legitima documenta animum noſtrum juſtè mo-
" ventia, memoratam Aliſiam ſuam intentionem tam in Appellatio-
" num, quam in ſui principalis cauſis bene, et legitimè fundaſſe:
" Nos Igitur Jacobus Leach Eccleſiæ Armacanæ Canonicus parti-
" bus, et cauſis antedictis Commiſſarius per ſupraſcriptum Rmum.
" Patrem Dominum noſtrum Joannem Archiepiſcopum et Prima-
" tem Specialiter deputatus Chriſti nomine primitùs invocato, et
" de juris conſilio peritorum ad plenum deliberati Supradictam Ali-
" ſiam bene, et legitimè appellaſſe, ac judices Supradictos, a quibus
" extat appellatum, nulliter, et nequitèr, injuſtè, et inique Sententi-
" aſſe pronunciamus, decernimus, et declaramus, eorumque Sen-
" tentias infirmamus, caſſamus, irritamus, et annullamus, viribuſque
" vacuamus. Et quia invenimus per depoſitiones Teſtium fide dig-
" norum. quod dicta Aliſia per vim, et metum Amicorum Suo-
" rum compulſa matrimonium cum dicto Simone contraxit, et nun-
" quam in eundem conſenſit, imo veriùs diſſenſit, quodque quam
" citius potuit ipſius comitivam effugiit. Matrimonium igitur de
" facto, et non de jure inter dictos Aliſiam, et Simonem contractum
" quatenus de facto, et non de jure proceſſit, caſſamus, irritamus, et
" annullamus, caſſum, irritum, et nullum de jure fuiſſe, et eſſe
" pronunciamus, decernimus, et declaramus: eoſdemque ab invicem
" Separamus, et divortiamus, ac dotes, et donationes propter nupti-
" as, Paraphernalia inter eoſdem præfata, ſive donata decernimus
" hinc inde fore reſtituenda, ac utrique parti alibi in Domino nu-
" bendi licentiam impertientes per hanc noſtram Sententiam de-
" finitivam, quam in his Scriptis fecimus juſtitia mediante.

370. Ex tenore hujus Sententiæ manifeſtum eſt (ut jam monui-
mus) latam fuiſſe non Legatina, ſed Primatiali poteſtate, ut nullus
legenti relinquatur deſuper cavillandi prœtextus. manifeſtum eſt

pari-

pariter contra intentionem appellantis ad curiam Primatialem nullam fuiſſe oppoſitam exceptionem ab Archiepiſcopo, aut officiali Dublinienſi, a quo acta, et Proceſſus cauſæ Principalis *producta* fuerunt coram judice ad Quem. ita exploratum fuit jus Appellationum a Curia Dublinienſi, aliiſque per totum Regnum competere Præſuli Armacano. Proſequamur tamen impugnantem nequicquám Bullas Pontificias et imprimis Sicut provocationem Capituli Leighlinienſis ad Primatem Octavianum a Palatio diſſimulat (vid num 22, et 23) ita tacitè prætermittit deciſionem Alexandri Quarti confirmantis poteſtatem Armacanis in Tuamenſes (vid num. 19. et 20.) quia nimirum in re tam Solemniter, et contradictoriè diſcuſſâ, ac definitâ apud Subſellia Apoſtolica nullus occurrit argutiandi locus.

Sed ne quis imaginario diverticulo Petri Dubſis. in præcedenti Appellatione Aliſiæ Knight, comminiſcatur cauſam Leighlinienſem non Primatiali, ſed Legatinâ Authoritate terminaſſe Octavianum : dicitur quidem cum in Minoribus ageret inſcripſiſſe ſe quandoque Nuncium Sedis Apoſtolicæ, quia a præfatâ ſede miſſus fuit in Hiberniam ad colligendum denarium S.Petri, nullâ aliâ præditus poteſtate niſi quantum Spectaret ad iſtam collectionem (quemadmodum in Angliâ Collectores ejuſmodi denarij Nuncij quoque appellabantur indicante Baronio Epit Spond ad an 1167, et alibi) ſed aſſecutus Dignitatem Archiepiſcopalem Octavianus, ſicut illud officium dimiſit, ita et honorarium Titulum Nuncij, ac deinceps Solâ juriſdictione Primatiali utebatur : nec alia commemoratur in Sententiâ, vel apud citatos Authores, alioſve eâ de re tractantes.

371 Sed omnes intendit nervos enervandæ Bullæab Urbano quarto conceſſæ Patricio ô Scanlan (vid num 20) videlicet *Primatiam verò totius Hiberniæ quam Prædeceſſores tui uſque ad hæc tempora inconcuſſé habuiſſe noſcuntur, ad exemplar Cæleſtini Papæ Prædeceſſoris noſtri tibi, tuiſque Succeſſoribus Authoritate Apoſtolicâ confirmamus ſtatuentes ut Hiberniæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, et alij prælati tibi, et Succeſſoribus tuis tanquam Primati obedientiam, ac Reverentiam omni tempore debeant exhibere.* ad quod reſpondet primò nec ipſam Bullam nec ipſius Exemplar uſpiam comparere Sed in ſuo exactiſſimo Scrutinio evolveret Regiſtrum Armacanum, ubi illam cum multis aliis, quæ videtur neſcire, vel certe diſſimulare, reperiret expreſſam ad longum ubi agitur de acceſſu, et inthronizatione præfati Patricij ô Scanlan.

372.

372. Reſpondet Secundò fol. 8. " falſum eſſe Cæleſtinum Papam " Pallium, aut Primatum conceſſiſſe S. Patricio, aut ſedi Armacanæ, " cum omnes fateantur Sedem, ac Civitatem Armacanam diù poſt " Cæleſtini obitum fuiſſe conditam anno ſcilicet 455." videtur Petrus Dubs. non ſomniare niſi de pallio, quia nimirùm aſſerit (perperam quidem, et mimus eruditè) pallium, et Primatum non potuiſſe disjungi, quod falſiſſimum probavimus a num 231 ad num 244 ultro fatemur Armachiam non extitiſſe tempore S. Cæleſtini, de cujus conſtructione aliquid innuimus a num. 1. ad num. 6. ac infrà fuſiùs diſſeremus et in Bullâ Urbani quarti ne quidem nominatur aut Pallium, aut Sedes Armacana : ſed palam colligitur a Cæleſtino conſtitutus S. Patricius *Primas Nationis Hibernicæ* (vid num 190 et Seqq) quam dignitatem tranſmitteret ad ſuos Succeſſores relictâ ei licentia deligendi quamcunque vellet Sedem, aut civitatem Semper futuram Principem Metropolim, et Primatialem totius Hiberniæ.

373. Sic vidimus num. 235. ex Venerabili Bedâ S. Auguſtinum mandante S. Gregorio Papa a Vigilio Arelatenſi conſecratum *Archiepiſcopum Gentis Anglorum*, idque ſine pallio, aut expreſſione Sedis particularis, quam S. Auguſtinus poſthabitâ primaria civitate Londinenſi, ſibi, et Succeſſoribus fixit Cantuariæ, quæ exinde ob ipſius honorem, et Reverentiam utpote Apoſtoli Anglorum, devenit Primatialis totius Angliæ vid num. 37, et 308.

Et pariter Teſtibus eodem Bedâ Lib. 5. cap. 12, Marcelino in vitâ Swiberti Baronio Epit. Spnod. ad an 696. S. Willebrordus a Sergio Papa ordinatus fuit *Archiepiſcopus Friſonum* nulla facta mentione Pallij, aut Sedis, quam eidem Willebrordo poſt reditum ab Urbe Pepinus Dux, et Major Domûs Franciæ aſſignavit Trajectum olim Wiltemburg dictum. Et S. Boniſacius Germaniæ Apoſtolus a Gregorio 2° conſecratus fuit Epiſcopus nulli certæ ſedi adſcriptus, ſed Apoſtolatui tantum Germaniæ generatim mancipatus, donec per plures annos ſub Zacharia Papa cathedram fixit Moguntiæ, quæ proinde, intuitu meritorum ejus et Apoſtolatûs totius Germaniæ conſtituta fuit metropolis. Vid Baron. Epit. Spnod. ad an. 719. et habemus in hac noſtra Hibernia nonnullos Præſules denominatos non ab Urbe, aut Speciali Eccleſiâ, ſed a Territorio, ſcilicet Midenſes, et Oſſorienſes Epiſcopos. quomodò ergo mirum accidere potuit ulli vel levitèr imbuto notitiâ Eccleſiaſtica, quod a Cæleſtino Papa S. Patricius conſtitueretur Archiepiſcopus, et Primas Hibernorum ante conditam

conditam Armachiam, et ibidem ipſe poſtmodum ſibi, et Succeſſoribus collocaret Sedem Primatialem?

374. Tertiò impugnat Bullam, " quia (inquit) Rolandus Jorſe, " et David o Hiraghty, ſicut antè Reynerus Præſules Armacani " magnam habuerunt contentionem cum Archiepiſcopis Dublinien- " ſibus de Primatu :" en hic iterum ut artificioſè invertitur Scopus, et ſenſus cum omnis controverſia a Dublinienſibus ſuſcitata memoratis Rolando Jorſeo, Davidi o Hiraghty, ſicut doctiſſimo Richardo, aliiſque fuerit, non de Dignitate Primatiali, quam omnes agnoſcebant in Armacanis nullatenùs ſibi arrogantes, ſed de erectione Crucis Dublinij, aliiſquè ſpectantibus ad exemptionem (collige dicta num 318, et Seqq.) illorum proterviam repreſſit Papa Urbanus declarans, et ſtatuens ut Hiberniæ Archiepiſcopi (adeoque Dublinienſes) Epiſcopi, et alij Prælati Armacano Antiſtiti tanquam Primati obedientiam, et Reverentiam omni tempore debeant exhibere (ſicut Urbani proximus Anteceſſor Alexander quartus in ſimili attentato fregit arrogantiam Tuamenſium vid num 20) quo Apoſtolico Decreto evaneſcere debuit omnis diſceptatio Dublinienſium de fictitiâ ſua exemptione, niſi quod ea ſit quorumdam indoles, ut quod ſemel animo conceperunt præjudicium, præſertim ſi eorum ambitioni blandiatur, prætextum, prætextui attexentes, et quærentes nodum in Scirpo : non facilè dimittant.

" Mirum (ait) fol. 7. Patricium o Scanlan in ſua Synodo Pon- " tanæ celebrata an 1263. nihil Dixiſſe de iſta Bulla, quam an 1260. " acceperat." Sed unde conſtat nihil dixiſſe? remittit in margine ad *Wareum de Præſul Hibern.* non adnotando locum, aut Paginam : at ubi de tranſlatione Scanlani e Sede Rapotenſi ad Armacanam promovente Urbano Quarto an 1261 agit Wareus de Præſul fol. 18. hæc habet. *Anno ſequenti Synodum Provincialem Pontanæ coegit* (Scanlanus) *Statutorum pars aliqua habetur in Regiſtro Octaviani de Palatio Archiepiſcopi Armacani fol.* 282 : nec edocet ſingulatim quid dictum, quidve omiſſum ibi fuerit. Quis autem ex vaga hac intimatione inferat nihil de illa Bulla dictum in Synodo a Scanlano? omittamus tamen ita contigiſſe. Etenim Proviſiones, et Bullæ Papales (ut Sexcentis deciſionibus fuit a Rota obſervatum Teſte Seraphino decis 775. num 2. et confirmat idem Sentiens Proſper Fagnanus *in cap.* : *præterea ne Prælati vices ſuas num* 84.) producendæ

tantum

tantum ſunt, ubi agitur de canonizanda gratia, ſeu capienda poſſeſſione, ſcilicet in ipſa Eccleſia, ad quam quis aſſumitur coram Capitularibus, aliiſve habentibus jus ad inthronizandum, quibus inhibetur ſub pæna ſuſpenſionis quemquam ſine præfatis proviſionibus admittere, aut agnoſcere Prælatum : *Extravag injunctæ de Elect.* in Merropolitana itaque Eccleſia coram capitulo Suam Bullam exhibuit Scanlanus, et inſerta fuit Regiſtro, unde deſumptum eſt Exemplar. nec erat cur veluti puellares puppas præ manibus geſtans alibi oſtentaret.

375. Quærit fol. 15. *ignoraveritne Urbanus Quartus viros uxoratos ſacris ineptos ordinibus non fuiſſe Primates?* proculdubiò non ignoravit, nec *rerum Hibernicarum apprimè gnarus* (ut ibi perhibetur a Petro Dubſi) ignoravit etiam ſub uſurpatione octo uxoratorum, ad quos collimat, in aliis Præſulibus canonicè electis a clero (vid num. 14, et 259.) ac in ipſa Metropoli Armacana ſubſtitiſſe inconcuſſè Primatiam totius Hiberniæ Authoritate Apoſtolica Stabilitam a S. Patricio. quemadmodum non diffitebitur ipſe Rmus. Talbotus perſeveraſſe continua ſerie in ſe, ſuiſque Prædeceſſoribus catholicis, atque in ipſa Sede Dublinienſi inſtitutam ibi a Cardinale Paparonio Dignitatem Archiepiſcopalem, quamvis illam Eccleſiam excluſis orthodoxis per duo pænè Sæcula viri uxorati &c. occuparunt hujuſmodi ejus argutiolæ contra Bullam Urbani otium vix merentur, aut patientiam Lectoris.

376. Modò nonnihil de conſtructione Armachiæ conditæ an 454. juxta communiorem opinionem quam omnibus diſcuſſis ſequitur Bolandus ubi ſupra num. 4, etſi aliqui pluribus annis anticipent. Condita autem fuit monitu Angelico : Angelus enim fundationis Author fuit, et Architectus ſitum, formam, quantitatem, et ambitum deſignando tum Urbis, tum conſtruendæ Baſilicæ, cujus erectionem multa clarificarunt miracula (vid a num. 1 ad 6, et num 96.) idque donatione Darij Principis in loco contiguo Emaniæ Regiæ Sedi Ultoniorum Regum, nunc foſſis latis, veſtigiis murorum eminentibus, et ruderibus priſtinum redolenti Splendorem : quorum plures ſummi fuerunt Monarchæ, ſeu Reges totius Hiberniæ, et longè ampliori potiebantur avito Dominio, quam Anglo-Saxones Reges Cantij, in quorum ditione Cantuariæ totius Angliæ Primatum fixit S. Auguſtinus.

377.

377. Illic itaque civitatem egregiam Angelicis indiciis deſignatam " fundavit, et divinitùs adjutus ad unguem perduxit S. Patricius ſta- " tuens futuram deinceps *totius Inſulæ Principem Metropolim, et* " *Primatialem.* Quod ut firmum Semper, et inconvulſum perma- " neret, voluit Sedis Apoſtolicæ Authoritate confirmari, adeoque " apparente ei Angelo, et hoc ejus propoſitum approbante Romam " profectus eſt." ubi Pallio donatus, quam petiit confirmationem impetravit a Summo Pontifice Leone primo, qui ab an 440. ad 461. clavum rexit Eccleſiæ Univerſalis.

Nec tantum Principatum Eccleſiaſticum, ſed et ſtudium generale, ſeu Academiam Armachiæ inſtituit Sanctus Apoſtolus noſter, in cujus vita habetur, quod *Armachiæ Summum Studium litterale maneat Semper*, et ibidem etiam ſub Tyrannide Danorum, ac multis annis poſt Anglorum adventum floruiſſe, plurimis antiquis atquè recentioribus conſtat teſtimoniis. unde ipſi uxorati ſine ordinibus uſurpantes illam Eccleſiam *Litterati* dicuntur a S. Bernardo.

378. Ex hâc Academiâ *innumeri prodierunt viri Sanctitate, et doctrinâ celebratiſſimi plurium nationum Apoſtoli, et verbi Dei Præcones pro fide propugnandâ Sanguinem fundentes* (vid Superius num. 96.) inter quos ſplenduerunt S. S. Switbertus, et Willebrordus, ille Weſtphaliæ, hic Friſonum Apoſtolus ambo Martyres, Angli quidem natione, Alumni tamen Scholæ Armacanæ. et præclarum illius Gymnaſij ornamentum fuit S. Gyldas Albanius (quem Baleus, Harpsfeldius, et Pitceus S. Patricij noſtri faciunt Diſcipulum) in eo Rectorem extitiſſe confirmat in ejus vita Carducus Lancarvanenſis, ita de eo Scribens: " Gyldas Britonum Hiſtoriographus tunc remanens in " Hiberniâ Studium regens, et prædicans in Civitate Armachiâ au- " divit fratrem Suum ab Arthuro Rege interfectum fuiſſe.

379. Et de S. Catroe in ejus vitâ ad 6. Martij cap. XI. dicitur: " Intellexerat vir Dei quod viderat, et paratis, quæ viæ, et Scholæ " erant neceſſaria adoleſcens apud *Hiberniæ Metropolim Armachiam* " in priſtino Diſciplinarum Muſeo ſe recluſit non veritus poſt dog- " mata divina mundanas Litteras quærere ——— ——— Gymna- " ſium Sapientiæ ipſa Ductrice angulatim percurrebat. nec alia quam Armacana colligitur fuiſſe illa Egregia Schola quam idem S. Catroe in Hibernia rexiſſe traditur cap. 12. his verbis " per totam " Scotiam conſervis ſuis triticum Sapientiæ ſibi creditum fideliter " erogavit———nam a tempore adventûs ſui nullus Sapientum

" Mare tranſierat, ſed adhuc Hiberniam incolebant." et Armachiam tanquam ad bonarum Artium emporium confluebant non tantum Hiberni, ſed et Britones, Galli, Saxones, aliique. Et Pars Urbis *Trian-Saxon* i. e. portio Saxonum appellabatur, quia ſtudioſi Anglo-Saxones ibi inhabitarent. et Florentius Macarty in ſuis Antiquitatum Hibernicarum Collectaneis ex vetuſto Monumento Oxonienſi refert tot Armachiæ Collegia extitiſſe, ut ſtudioſorum Cenſus Septem Millium numerum exceſſerit.

380. Magnum certè, et rarum illius Academiæ privilegium ſupra retulimus num. 13. quod in Synodo nationali an 1162 indictâ a S. Gelaſio Primate Cloonæ, nunc Cleane prope Dublinium communibus Suffragiis ſtatutum fuerit, ne ullus impoſterum per totam Hiberniam ad Sacræ paginæ profeſſionem, ſive ad Theologiam publicè docendam admittatur, qui non prius Armacanam Scholam frequentaverit. Et Rodericus Rex cupiens ſtudium Litterarum in Academiâ Armacanâ promovere, annua penſione adauxit Stipendium ejuſdem Academiæ Archimagiſtri an 1169, ſuoſque Succeſſores ad eandem Penſionem quotannis ſolvendam obſtrinxit ea conditione ut Studium generale pro Scholaribus tam ex Hibernia, quam ex Albania &c. adventantibus Armachiæ continuaretur.

381. Hinc Summoperè, et meritò mirabitur Lector tradere fol. 54. Petrum Dubſem. quod dum Quatuor pallia detulit in Hiberniam an 1152. Cardinalis Paparonius, *Armachia tota fermè in cineres reducta, ſuiſque Sepulta ruinis jaceret cadaver potius quam Civitas.* ex quibus Tabulis iſtud deprompſit ? quia fortè in exactiſſimo ſuo Scrutinio pervolvendo Annales detexit Triad Thaumaturg pag. 306. *Armachiam an* 1150. *magnum paſſam incendium, quo Portionis ejus tertiæ Trian-more vulgo appellata medietas.* (adeoque Sexta duntaxat pars Urbis) *flammis abſumpta fuit.* Sed eodem loco adverteret, et non more ſuo diſſimularet, ſolicitudine S. Gelaſij Primatis, et Munificentia Burgi-Magiſtrorum, Nobilium, et Principum Terræ copioſe contribuentium mox reſtauratam.

382. Quod paritèr contigit communi, ac alacri ſtudio cæterorum Hibernorum Zelantium gloriam Matricis ſuæ, et Primatialis Metropolis, quoties fortuito incendio devaſtata fuit, aut hoſtili debacchatione——Danorum paganico furore Sævientium in omnes ædes Sacras, potiſſimum in Principem hanc Baſilicam ex parte dirutam etiam a Normannis Dublinienſibus Duce Gluniardo an 890, et iterum

rum 895. adverteret etiam ead pag. 306. *Cardinalem Paparonium honorificè Susceptum, et Septem diebus Armachiæ detentum a B. Gelasio.* Commodum fortè, et dignum Apostolico Legato hospitium Cadaver, et cineres ? quam parum æquum fuisset Statutum Synodi Nationalis excludentis alibi a professione, et Magisterio Theologiæ omnes, qui priùs cineribus Armacanis immersi cadavericam Academiam non frequentarent ?

383. Quam Supervacanea fuisset cura Roderici Regis, imo stolida liberalitas, seu potiùs indiscreta profusio augendo pensionem ut Studium generale in cadavere, et cineribus continuaretur ? et etiam casu quo Metropolis illa Romani Pontificis Authoritate constituta totius Insulæ Primatialis (cujus Metropolitano non tantum Episcopi, et clerus, sed etiam Reges, et Principes ab initio Subditi erant tanquam Primati in omni obedientiâ, et ipse unus omnibus præfuit juxta S. Bernardum) verè passa fuisset cladem, et ruinam incendio casuali, ideonè decidens Primatu subjici deberet (si Deo placet) Dublinio ? ita imaginatur Petrus Dubs.

384. Parili attentato Gumitanus Episcopus insurgebat olim adversus Carthaginem, in eam sibi usurpans jus Metropolitani, quod Carthago desolata jaceret, ut videretur cum Mænibus pariter corruisse ejusdem Ecclesiæ Authoritas. Sed Leo Papa nonus temerarium ausum refrænavit declarans velle esse integra privilegia Ecclesiæ Carthaginensis, sive Carthago deserta jaceret, sive resurgeret aliquando gloriosa ; ita Baron Epit Spond ad an 1053. plura cupiens de Dignitate, ac Splendore Metropolis, et Academiæ Armacanæ a primordiis Christianitatis in hoc Regno, præter citatos Authores, et monumenta num. 1. et Seqq pervolvat notas in S. Fiecum præsertim num. 15. Usserum de primord pag. 857, 859, et 907. Wareum de Antiquit cap. 15. de Præsul fol. 13, et 15. et in Annal ad an 1174 : et 1188 : Ketinum Lib. 2. pag. 52. Lucium pag. 169, et 170.

385. Restat discutienda Bulla Joannis 22. videnda num. 21, et hic iterum subjicitur ad commodum Lectoris : " Joannes Episco-
" pus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. promptæ
" fidei, et pronæ devotionis affectus quem Venerabilis frater Nico-
" laus Archiepiscopus Armacanus *Hiberniæ Primas* erga nos, et
" Romanam Ecclesiam in effectu laudabiliter exhibet promeretur,
" ut eum gratiosâ Benevolentiâ prosequentes, quæ digna a nobis

" poſtulat ad exauditionis gratiam admittamus —— —— *Quod cum in Partibus Hiberniæ ad Sedem Apoſtolicam ex quacunque cauſâ hactenùs appellari contingit, ſeu appellatur de præſenti, hujuſmodi Appellantes ad eandem Sedem directe, nec non ad Archiepiſcopalem Curiam Armacanam Tutorie appellarunt, et appellant, 1 Potiſſime illâ de cauſa ne in præjudicium pendentiæ hujuſmodi Appellationum in Romana Curia, et extra eam, atque Appellantium præfatorum per Appellatos, ſeu alios quidquam temere attentetur* —— ——
" datum Bononiæ idus Auguſti Pontificatûs noſtri Anno quinto.

386. Hanc Bullam etſi ſtatim falſi, aut mendacij conſueto more ſuo non redarguat Petrus Dubs. veroſimiliter quia continetur etiam in ipſis Archivis Dublinienſibus, frivolis tamen affaniis a vero ſenſu, et rectâ intelligentiâ ſatagit avertere mentem Lectoris, et primò ait fol. 64: " in hac Bulla non agi de Primatu, ſed " de remedio contra fraudes appellationum Romanarum." nullus diffitebitur Sapiens expedire multum, ut quemadmodum a tot Sæculis ſtatuit Suprema Authoritas, ita Semper in Hibernia noſtra tam remota a Sancta Sede unus conſervetur, et confirmetur judex pro reparandis gravaminibus in cauſis Appellationum, ob difficultatem recurrendi Romam, et periculum fraudibus, et falſis ſuggeſtionibus circumveniendi ſummum Pontificem, et SS. Congregationem.

387. Probè Scimus quid attentatum fuerit a parte adverſâ in diſceptatâ Romæ cauſâ Valentini R. Parochi SS. Jacobi, et Catharinæ Dublinij, de qua nonnihil alibi ad præcavendos hujuſmodi abuſus Patres ſecundi Concilij Millevitani, cui interfuit S. Auguſtinus, etſi plenè agnoſcerent Romani Pontificis ſupra Univerſalem Eccleſiam præeminentiam, et juridicam poteſtatem, ex quâ ſequitur jus avocandi ad ſe omnes Eccleſiaſticas cauſas, et ad ipſum ex omnibus Eccleſiæ partibus appellandi, tamen can. 22. (qui in Africano Concilio, ſeu Carthaginenſi Sexto eſt 92) edixerunt (et antea lib. 1. Epiſt. 3. Senſit S. Cyprianus) ne Presbyteris, aut inferioribus Clericis permittatur Appellatio ad Tranſmarina. Huic canoni anſam dedit provocatio impij Apiarij Presbyteri calumniis, et fraudibus deludentis S. Zozimum Papam; ſicut pariter contigit in cauſa Celeſtij.

388. Dicit Secundo hic tantum agi de Armacanæ Provinciæ Appellationibus, eo quod non dicatur *Curia Primatialis*, aut ex omnibus partibus Hiberniæ, ſed Archiepiſcopalis curia, et in Partibus Hiber-

Hiberniæ, &c. Sed hic mirabilis occurrit incohærentia, cum asserat agi de Remedio contra Appellationum Romanarum fraudes, quæ non minus committi possunt in Appellationibus ex omnibus aliis extra Provinciam Armacanam Partibus Hiberniæ, de quibus evitandis, prospiciendo universo Regno æquè debuit esse Solicitus Papa Joannes eas remittendo ad Curiam Armacanam: præterea iisdem verbis præscribitur appellatio, et quidem *Tutorie* ad Sedem Armacanam, et in illis Partibus indiscriminatim, e quibus appellatur ad Sedem Apostolicam, quæ ex omni angulo Terræ Hiberniæ potest admittere Appellationes, Ergo potest et Armacana. Adverteret Petrus Dubs. in ipso hujus Bullæ exordio Nicolaum (cui Scribitur) Archiepiscopum vocari, simul et *Primatem*, cujus proindè Curiam oportet esse *Primatialem*. et ex toto contextu, ac Appellationibus sine differentiâ admittendis ex partibus Hiberniæ manifeste patet Ecclesiæ Armacanæ Primatialis jurisdictio per universam Insulam. Recole si placet dicta num. 21. vers *hic observandum.*

389. Nec nisi erroneè, et apertissimam evertendo veritatem prætenditur hic agi tantum de Armacanæ Provinciæ Appellationibus, quasi vero incideret menti Romani Pontificis indiguisse Archiepiscopum Armacanum novo Diplomate Apostolico, ut posset admittere Appellationes e Diœcesibus jure Metropolitano sibi Suffraganeis, de quo nec hic, nec alibi uspiam contigit dubitatio, aut controversa, sed unicus Scopus Pontificis fuit, omnem cavillantibus tollendo prætextum ad exemplar Prædecessorum suorum præsertim Alexandri Quarti, et Urbani Quarti confirmare Potestatem Primatialem curiæ Armacanæ super reliquas Provincias, et Partes totius Regni. cum hanc Bullam exhibitam ab Illmo. gloriosæ memoriæ Olivero Armacano viderit, et fategerit suis argutiolis infirmare Petrus Dubs. qua fide, aut confidentia asserere potuit fol 3. præfatum Illmum. Armacanum in suo jure Primatiali unicæ duntaxat Bullæ Urbani Quarti Patricio o Scanlan mentionem facere.

390. " Quod vero (inquit) in illâ Bullâ non comprehendantur " Appellationes Provinciæ Dublinienſis, patet etiam ex titulis. quibus uti solebant Archiepiscopi nostri in suis Litteris Patentibus " juxta Regist fol. 16 et sunt hujusmodi N. —— —— —— " Miseratione divina Ecclesiarum Cathedralium S. Trinitatis " Regularis Abbas, et S. Patricii Sæcularis Dublinienſis Episcopus, " et Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus, ac Hiberniensis Ecclesiæ " Primas, liberæque Capellæ Regiæ B. Michaelis de Pencrich in

An-

" Anglia Decanus natus, Cœpiſcopatuumque (ſedibus Suffraganeo-
" rum vacantibus)Cuſtos Spiritualitatis, et Spiritualis juriſdictionis,
" atque omnium decimarum in eadem Provincia Apoſtolicus Com-
" pulſor perpetuus, *nec non Appellationum quarumcunque per totam Metropolim ad Romanam Curiam emiſſarum judex per ſe tutorius, ac Singularis, &c. Addit Allanus ex aliis privilegiis ibi citatis* (veriùs diceret ex ambitioſiſſimi ſui cerebri figmentis) *atque per totam Hiberniam de jure ante ſe Crucem deferens.*

391. Rides Lector ad tam ſolidum Argumentum, vel potius ſuccenſes, et deſpectu, non Reſponſo dignum meritò arbitraris? nimirum imaginarij a Joanne Allano, aliiſve Recentioribus Præſulibus Dublinienſibus connecti tituli Apoſtolicas Conſtitutiones enervabunt, et evertent Primatialem præeminentiam Armacanam! quid ſi eadem licentia cervelotica Patriarchas ſeſe inſcriberent, et quidem Univerſales imitati effrænatam Arrogantiam Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, et pari inſolentia tandem contenderent cum Romano Pontifice, a quo veſano auſu non multum videntur abeſſe, cum *Apellationum quarumcunque per totam Metropolim ad Romanam Curiam emiſſarum judices Tutorios, et Singulares ſe* præſumant; putabam hujusmodi Appellationum judicium, et deciſionem Spectare ita privativè ad Sedem Apoſtolicam, dum ad illam directè provocatur, quin Seſè ingererent, aut ingerere auderent Archiepiſcopi Dublinienſes. Sed novo, et nullibi uſpiam Gentium uſitato documento, Appellationum omnium per totam Metropolim ad Romanam Curiam emiſſarum per gravatos a Metropolitanis Dublinienſibus, *judices ſunt Tutorij, et Singulares*, ijdem ipſi a quorum oppreſſione appellatur, reclamante ipſo dictamine rectæ rationis, et juſtitiæ naturalis, ut omittamus canonicas, et civiles Leges illud inhibentes: videatur Joannes Andreas in cap a collatione de Appellat in 6°. et Textus ſunt clari in cap non putamus de conſuetud: et in cap. Romana de Appellat eod lib.

392. Perken Warbeck ementitus Perſonam Richardi Ducis Eboracenſis filij Edwardi quarti ſe Regem Angliæ nuncupavit: an ideo fortè indè debuiſſet Sceptro, et Regio Diademate decidere verus Rex Henricus Septimus? ſi pro licentià arrogandi novos titulos Subſiſteret uſurpatio, quæ pax foret, quæ Securitas in civili, aut Eccleſiaſtico Regimine, quolibet arripiente pro libitu quam cuperet dignitatem et præeminentiam? deceſſores Joannis Allani, etſi nonnulli

nulli ambitione, et faſtu vix impares, non adeo ſe ultra Modeſtiæ, et moderationis metam erexerunt, ut memoratos jam commentitios Titulos uſurparent, contenti in ſuis Litteris ſola (quæ tunc unicè, ſicut et modò competit) denominatione Archiepiſcopali.

393. Unde ipſe Alexander Bicknor, de quo num. 355. inſtrumentum fundandæ Academiæ apud Wareum de Antiquit cap. 15. ita exorditur: In Dei nomine Amen *Nos Alexander de Bicknor permiſſione Divina Dublinienſis Archiepiſcopus volumus, concedimus, et ordinamus*, &c. Ubi nulla mentio Primatûs, alteriuſue Tituli præter Archiepiſcopalem, quamuis adeo aucuparetur honores, et independentiam Bicknorus ut erigendæ Cruci Armacanæ in Civitate Dublinienſi (et ſi incaſſùm) acritèr obſtiterit. putaſne omitteret inſcribere ſe Primatem, &c. ſi vel leviſſimâ conjecturâ appareret convenire? et qui Bicknorum proximè excepit Joannes de S. Paulo (cujus tempore prætenditur edita deciſio Innocentij Sexti: quippe Eccleſiæ Dublinienſi præfuit ſub toto Regimine Papæ Innocentij, illique Supervixit) hoc moriens mandavit Epitaphium inſcribi ſuo Sepulchro: *Ego Joannes a S. Paulo Archiepiſcopus Dublinienſis credo quod Redemptor meus vivit*, &c. conſulatur Wareus de Præſul fol. 112. et 113.

Idem manifeſtò patet ex omnibus occurrentibus monumentis, ac ex ipſis Dublinienſibus, præſertim Regiſtro Monaſterij S. Thomæ Dublinij, quod etiamnum extat integrum, et nuper pervolvimus et Sæpe ratione deciſionis, donationis, aut confirmationis commemorantur Antiſtites Dublinienſes nullo a ſe, vel ab aliis inſigniti titulo, niſi *Archiepiſcopali* duntaxat, ut videre eſt pag. 21. p. 23. p. 26. p. 49. p. 51. p. 91. p. 92. p. 109. et p 139. Attamen ubi ibidem fit mentio Præſulis Armacani, diſertè *totius Hiberniæ Primas nuncupatur* vid pag. 110. et p. 111.

394. Sed nondum incidit, nec per ſequentes ducentos propè annos innotuit de Suppoſititiâ deciſione Innocentij Sexti commentum Allani, qui ſicut finxit Archiepiſcopum Dublinienſem adinſtar Eboracenſis in Angliâ exarandum Primatem Hiberniæ, ita pariter exemplo Eboracenſis non erubuit comminiſci quod *per totam Hiberniam de jure anteſe Crucem deferat*, (vid num. 81.) non latuit acutum Præſulem Talbotum omnibus ſi iis diverticulis, et Argutiis nullatenùs convellendam ineluctabilem vim Diplomatis Pontificij confirmantis Primatibus poteſtatem admittendi Appellationes ex iis partibus

bus Hiberniæ, adeoque omnibus, e quibus Solet, aut poteſt appellari ad Curiam Romanam: propterea ad conſuetum in preſſuris tandem recurrit effugium dicens fol. 65. *Nonullis videtur citata Bulla conficta.*

395. Sed quinam confingerent? non Armacani, cum tam ſedulò aſſervetur in ipſo Archivo Dublinienſi, ut inde non niſi numeratis aureis in paratis extracta copia haberi poſſit. Non Dublinienſes ſoliti quidem ſtruere, et corradere undequaquè faventia ſibi, non Adverſariis. Quomodò videtur conficta? *quia* (inquit) *in fine dicitur. Datum Bononiæ idus Auguſti Pontificatûs noſtri anno quinto: conſtat vero ex Platinâ, aliiſque Scriptoribus Joannem 22 Menſibus duntaxat octo in Pontificatu vixiſſe: Attamen ſuſpicor pro Joanne 22 poni debuiſſe Joannem 24: hoc eſt Balthazarem Coſſam de quo dubitabatur, an verus fuerit Pontifex, adeoque in Concilio Conſtantienſi depoſitus fuit.* perſpicuum eſt legenti Platinam, apud eum vitio Typographico mendas irrepſiſſe enumerando Pontifices iſtius nomenclaturæ, uti inter alios obſervat Platinæ Scholiaſtes, et continuator in Annotationibus pag. 235. et 237. Onuphrius Panuvinus. at cum nominis error non officiat, modò conſtet de Perſona, *Cap. Significante cum Gloſs de Reſcript*: L. *falſa demonſtratio ff. de condition, et demonſtrat.*

396. Is qui ab aliis omnibus, imo (Secluſâ hallucinatione Librariorum) ab ipſo Platinâ agnoſcitur, et nuncupatur Joannes 22, et penultimus illius nominis fuit Jacobus de Oſſa Caturcenſis, quem Platina de vit Pontific: pag. 257. Scribit tenuiſſe Pontificatum ultra octodecim annos, et præfatus Onuphrius Panuvinus in Chronico pag. 45. hæc habet. *Joannes* 21 *dictus* 22 *Jacobus* de Oſſa Caturcenſis creatus 7. idus Auguſti a 22. Cardinalibus, &c. illique attribuit octodecim annos menſes tres, et Dies 28. totidem annos et menſes eidem Jacobo de Oſſa *Joanni* 21. *dicto* 22. attribuunt pariter Spondanus in auctuar et in continuatione Baronij ad an 1334. Bellarminus in chronic ad finem Libri de Scriptor Eccleſiaſt pag. 576. Cabbaſutius indic Chronolog in principio ſuæ notitiæ Eccleſiaſticæ: Caranza Sum Concil pag. 383, aliique omnes.

397. Et uel etiam perfunctoriè evolvens tot Conſtitutiones videndas tum in propriis tum in communibus Extravagantibus a Joanne 22. editas attendendo datas, et annos quibus prodierunt cum diuturnâ diſceptatione de paupertate Seraphicâ, et Solemnitatibus Canonizationum

zationum (quatuor enim juxta Platinam, alioſque inter Sanctos retulit, duos Thomas, alterum Epiſcopum Herfordenſem alterum Aquinatum Doctorem Angelicum, Ludovicum Toloſanum, et Petrum Moroneum ſeu Cæleſtinum quintum) manifeſtiſſimè concipiet, non tantum octo menſes, ſed etiam bis octo annos vix potuiſſe ſufficere ad omnium operum complementum, ut ex patentiſſimo hoc errore in calculo tam obvio cætera Petri Dub——s diſcat Lector, et caveat, niſi quæ aliundè ſolidioribus repererit ſuffulta munimentis. Et pace ipſius ſit dictum, non videtur multum deſudaſſe lectitando Extravagantes, aliaſve partes juris Canonici ut colligitur ex modo allegandi: Exemplo ſit quod dicat fol. 24. *decretum Gregorij lib. 1. tit. 6. cap. 28. de Electione, et Electi poteſtate.* Accuratiùs cum omnibus juriſperitis ita, *cap. quod ſicut de Elect*; id obitèr.

398. Ne tamen fiat altercatio de Authore citatæ Bullæ, demus fuiſſe Balthazarem Coſſam in Concilio Conſtantienſi (ſicut ab Onuphrio Bellarmino, Cabbaſutio, reliquiſque) dictum *Joannem* 23, ac etiam apud Platinam pag. 287. ex illius Balthazaris epitaphio in Lapide Sepulchrali: *Joannes quondam Papa* 23. *obiit Florentiæ*, &c. ac denuò pag. 291. *Balthazaris Coſſæ Joannis vigeſimi tertij quondam Papæ corpus hoc Tumulo conditum*, &c. unde iterum habes non Platinæ, ſed impreſſoribus imputandum, quod in ipſius Volumine Jacobus de Oſſa numeretur Joannes vigeſimus tertius, et Coſſa vigeſimus Quartus; ſed quomodò, et a quibus dubitabatur an verus fuerit Pontifex? cum ab omnibus texentibus catalogum Romanorum Pontificum ponatur inter legitimos Pontifices, et rectâ Serie S. Petri numeretur Succeſſor. ita Platina ubi ſupra, Onuphrius, Bellarminus, Cabbaſutius, Caranza, &c. cum tamen dubios, aut Schiſmaticos Pontifices in linea collaterali exprimant, et diſtincto charactere. Et Joannis Anteceſſorem Alexandrum quintum in Concilio Piſano electum (exauthoritatis contendentibus de Pontificatu Gregorio 12, et Benedicto 13) verum, et indubitatum Papam agnoſcit Univerſa Eccleſia, et inſequentes cognomines Pontifices reſpectu ad hunc Quintum, recenſet Alexandros Sextum, Septimum, et octavum, ac Joannes de quo agimus, Concilium Conſtantienſe indixit, præſeditque primis Seſſionibus.

399. Soletne autem, vel an etiam poteſt Eccleſia Univerſalis, in ſuis præcipuis Paſtoribus repræſentata adeo obfuſcari, aut Seduci, ut ſe ſubjiceret, vel regendam committeret non vero, nec legitimo Pontifici ? depoſitus autem fuit anno Sexto ſui Regiminis eâ potiſſimum de cauſâ, quod illud eſſet unicum Remedium ad exitiale Schiſma extinguendum, quod hactenus duraverat pervicaciâ Gregorij, et Benedicti, quibus pauci aſtipulabantur. et Gregorius nolebat dimittere, quam poſſidebat; Dignitatem niſi pariter cederet Joannes, qui concilium indixerat cum plenâ in Seipſum poteſtate quantâ opus erat ad reſtaurandam Eccleſiæ unitatem : et in illum finem convocaturus concilium, publicas cum propriæ dimiſſionis promiſſione dedit Litteras Sigiſmundo Imperatori, et poſtea in pleno concilio vovit, ac juravit Deo, Eccleſiæ, et concilio dare ſe pacem per viam Simplicis ſuæ ceſſionis Papatûs, eamquè re ipſâ adimplere, modò Gregorius, et Benedictus idem præſtarent.

400. Sed mutato poſtmodum animo clam ſe Subduxit : quæ cauſa fuit Patribus aſperiùs in ipſum agendi, quapropter poſtulatum gravium criminum reum declarantes *Joannem dictum Vigeſimum tertium* contra fidem jurejurando promiſſam, et voti Religionem, fugæ criminalis convictum, Sacri collegij prævaricatorem, et deluſorem ſummo Pontificatu depoſuerunt, quam Sententiam edito deſuper Scripto Joannes ipſe a Sigiſmundo reductus in concilium approbavit, et Statim Pontificio ſe palam abdicavit. at veriti Patres ne quid deinde contra Eccleſiæ pacem moliretur, ſtatuerunt ſub cuſtodiâ Imperatoris detinendum, quamdiu concilio viſum fuerit. horum ampliorem notitiam deſiderans præter Platinam, Spondanum, Binnium, alioſque, adeat fuſè omnia referentem Joannem Cabbaſutium notit Concilior a pag. 631 : et notit Eccleſiaſt pag. 523. et 540 : ac Caranzam pag. 385, et Seq.

401. Non itaque dubius, aut incertus Pontifex fuit Joannes 23, quem uſque ad terminum depoſitionis, ſeu propriæ dimiſſionis (ſi paucos excipias Schiſmaticos protervè adhærentes dejectis antea Gregorio, et Benedicto) univerſus Orbis catholicus ut verum, et legitimum Papam amplectebatur : Sicut Specialiter patet de Hiberniâ noſtrâ, cujus Cathedralibus ſuo tempore——ab an 1410. ad 1416. vacantibus, more præcedentium Pontificum providit de Paſtoribus : Siquidem Metropoli Tuamenſi præfecit Cornelium Minoritam : Sedi Midenſi Edwardum Dantſey : Dunenſi Joannem quemdam : Connerenſi

nerensi Joannem Cely : Rapotensi Robertum Mubire, et hoc brevi defuncto Joannem Macarmick : Clonmacnosensi Philippum o Mæil, Laonensi Donatum mac Cragh : consulatur Wareus de Præsul.

Et Episcopi ab eo alibi renunciati quot quot convenerunt Constantiam, Sessionem habuerunt, ac Suffragium æque ac reliqui Antistites in Concilio œcumenico, et promoti ab illo ad Purpuram (fuerant autem Sex decem Teste Onuphrio in annotationibus ad Platinam pag. 287, inter quos a Bellarmino de Scriptor Eccles. fol. 394. enumeratur celebris Petrus ab Alliaco Episcopus Cameracensis) ingressi conclave cum aliis Cardinalibus elegerunt Martinum quintum : ac omnia illius statuta, et Diplomata vim habuerunt, et robur Pontificium, quidni et citata Bulla, dato etiam quod ab eo promanasset, et non a Joanne 22. Et quamvis verè postea detegeretur non legitime institutus, sed ex errore communi functus supremo principatu Ecclesiæ; nil minus illius gesta sine exceptione Subsisterent : *can infamis vers verumtamen 3 quæ 7.* et *L Barbarius ff. de offic. prætor.* verus ergo fuisset Pontifex, vel errore communi pro vero habitus Joannes 23. parum refert ad rem præsentem, et invictissimè constat adductam Bullam vim habere Constitutionis Papalis.

402. Perpendimus a num. 30. quæ propugnando miserandam causam Dublinensem, et impugnando Armacanam retulit Author in suo libello, cujus palpabiles errores frequentes corruptelas, obtruncationes, et adulterationes textuum, acriores aculeos, et atrocia Scommata in viros primarios tum Sacros, tum profanos (omissis levioribus vix non ubique occurrentibus nævis) Sparsim annotavimus, Studio asserendæ veritatis, non vituperandæ Personæ (absit) quam cum illustri Stemmate unde tot præclari viri prodierunt, veneramur.

Et cum errata recensuerimus, æquum est in illius laudem ut subsequens resipiscentia non lateat Lectorem : quoniam Rmus. Præsul primæ commotionis mitigato impetu, et Sepositò ardore proveniente ex intemperanti æmulatione Sedis, morti vicinus, et exagitante haud dubiò stimulo conscientiæ flexis genibus, et profusis lachrymis sæpiùs veniam deprecatus fuit omnium quæ egit, aut scripsit contra Illmum Oliverum, et Præeminentiam Primatialem Armacanam, uti affirmarunt oculati Testes, quorum nonulli etiamnum inter vivos degunt præsertim R.R. Edwardus K——s, et celebris Dublinij Pharmacopola Dominicus Ryan. adeoque non funesto, sicut quidam Prædecessores casu sublatus fuit, sed passus ærumnas, et Squalores car-

ceris in glorioſa confeſſione curſum conſummavit. quantum expediret Sequentibus errantem, ut Sequerentur pœnitentem.

EPILOGUS CUM. RECAPITULATIONE HUJUS TRACTATULI.

403. Ex hactenùs viſis patet non niſi imaginariam, et cervelotică licentiâ excogitatam a Petro Dubſi. quam obtrudit, definitionem Primatûs, quaſi vero conſiſteret in conceſſione Pallij capiti, ac præcipuæ civitati Regni, uel præfecturæ, quod manifeſtiſſimè refellitur communi praxi totius Europæ (vid num. 30. et Seqq) et quamvis etiam vera admitteretur, nihil prodeſſet uſurpationi Dublinienſium, cum Dublinum nunquam caput Regni fuerit, aut præcipua Civitas uſque ad an 1172 : Scilicet vigeſimum poſt tradita quatuor Pallia a Cardinale Paparonio an 1152 (vid num. 44. 45. 46. et 170.) ſed antea Simplex tantum extiterit Parochia Diæceſis Glandelacenſis, donec impotenti incolentium Danorum libidine, et Sævo in Hibernos odio obtinuit Sæculo undecimo Epiſcopum non habentem juriſdictionem aut Territorium extra muros (vid num. 18. 89. 163. 164. et 170) aſſecuto Pallium et Gradum Archiepiſcopalem Gregorio Dublinienſi (ut aliquantulò decentiùs Dignitatem ſuſtentaret) aſſignaſſe Cardinalem Legatum partem Diæceſis Glandelacenſis, et quatuor Epiſcopatus Suffraganeos. vid. num. 19. et 89.

404. Patet quoque quam oſtentant deciſionem Innocentij Sexti merum eſſe commentum ambitioſiſſimi Joannis Allani nullibi viſam, vel etiam auditam, ne quidem ipsis Dubliniensibus ante illius promotionem ad iſtam Sedem an 1528. duobus pœnè Sæculis poſt Innocentium Sextum (vid. num. 76. 77. 78. 79, et 393) prætenſam Bullam Lucij tertij Joanni Commino eſſe fictitiam, aut certè Subreptitiam, et etiam gratis dato, quod eſſet genuina, in eâ non inhiberi nisi Conventus celebrare, cauſas, et negotia Ecclesiaſtica taactare in Diæcesi Dubliniensi abſque aſſenſu Dubliniensis Archiepiſcopi, quod æque competit aliis omnibus Epiſcopis (vid num. 63. et 64) ac nullum inducit novum privilegium, aut exemptionem (uid num. 72. 73. et 74.) et nullatenùs impedit quo minùs alius Archiepiſcopus præſertim totius Regni Primas præcedentiam obtineat ubique in Diæce-

si,

si, et Provinciâ Dublinienſi, ac cauſas inde Appellatione devolutas terminet in Curiâ ſuâ (vid num. 64. et 66.) quod cum ægre ferant, et infringere attentent Recentiores Dublinienſes auſu temerario detrectantes ſub eſſe legitimis Superioribus (quibus etiam juxta prodigioſam Ordinis, et canonum inverſionem Petrus Dubs. quod mirari ſatis non poſſis, æquiparare ſe præſumit) meritò deciderent prætenſo privilegio, etiamſi verè illud aſſecuti fuiſſent vid num. 67.

405. Præterea perſpicuum eſt illam Bullam, aliaſque adductas ab Adverſariis (quamvis nullo falſitatis, figmenti, aut Subreptionis vitio laborarent) nihil officere juriſdictioni Primatis, cujus ibi nulla fit mentio, nec comprehenditur ſub inhibitione factâ Prælatis inferioribus (vid num. 71.) liquet quoque nullum argumentum pro phantaſtico Primatu, aut commenticiâ exemptione deduci poſſe ex referto mendis, et corruptelis Regiſtro Dublinienſi (vid num. 81, 85, et 86.) quibus ritè penſatis quid remanet ambigendum de æquitate Supremi judicis, quin pro ſuo executionis canonum ſtudio, et Zelo Hierachici Regiminis, imitatus Prædeceſſores ſuos ſtatim recenſendos (quorum vilipenditur Authoritas pervicaciâ refragantium) repreſſurus novam Uſurpationem (quæ diſciplinam convellit, et Eccleſiam perturbavit offendiculo fidelium, Scandalo pullorum, et ludibrio Proteſtantium) redactos in ordinem Præſules Dublinienſes cogat expuncto (quem perperam arrogant) titulo Primatis contentos eſſe ſolâ competenti denominatione Archiepiſcopali, et debitâ obedientiâ revereri a Romanis Pontificibus inſtitutam, ac toties confirmatam per totum hoc Regnum juriſdictionem Primatialem Armacanam.

406. Quæ Primatialis juriſdictio diſpari innititur fundamento, quamque unanimiter aſtruunt quicunque in venerandâ antiquitate verſati ſunt omnis generis Scriptores Sacri, et profani priſci, et Recentiores, Domeſtici, et Extranei, Catholici, et Proteſtantes ex præcipuis totius Europæ nationibus, Italis, Gallis, Hiſpanis, Germanis, Anglis, Hibernis, et Scotis. vitandæ prolixitatis cauſâ, non niſi celebriores ſeligimus, qui de notitia præcedentium Sæculorum, aut de Eccleſiaſticis præeminentiis, et Dignitatibus ex profeſſo Tractatus ediderunt. Imprimis diſerte affirmant ex Italis S. Antoninus, et Author Catalogi Orbis Præſulum in Archivis Cancellariæ Apoſtolicæ, Cardinales Baronius, et Pallavicinus, ac Odericus Reynaldi (vid num. 9. 10. 19. 20. et 194.) ex Gallis S. Bernardus cum Monacho Augenſi

genſi in Vitâ S. Laurentij Dublinienſis, Spondanus, et Renatus Chopinus (vid num 6, 7, 8, 10, et 167.) ex Hiſpanis Barboſa, Rodericus a Cunha, et Azorius (vid num. 9.) Ex Germanis Sigebertus, Surius, Trithemius, et Bolandus addi poſſet Marianus Scotus, qui nominatiſſimam ſuam Chronologiam in Germaniâ compilavit, etſi Hibernus fuerit Natione, ut norunt eruditiores, et agnoſcunt ipſi Scoto-Britanni apud Uſſerum de Primord fol. 735. (vid num. 4. 168. 194. et 352) ex Anglis Jocelinus, Giraldus Cambrenſis, Edmundus Campianus, Florentius Vigornienſis, Matthæus Weſtmonaſterienſis, Nicolaus Harpsfeldius, et Ranulphus Ceſtrenſis : item chronicon Scotorum vid num. 3. 4. 10. 193, et 194.

407. Ex Hibernis noſtris enumerandi primo loco D. Patricij vitæ Scriptores S. Benignus in Primatu Succeſſor, S. Fiecus primus Lagenienſium Archiepiſcopus, S. Evinus Abbas de Roſſmacrune in Lageniâ, et Probus, aliiq conſulendi num. 1, et 2. quos Sequuntur priſci illi, et Venerabiles Authores, qui ad Poſteros tranſmiſerunt Geſta SS. Benigni, Albei, Fiechi, Kierani, Declani, Ibari, Grilani, et Brigidæ (vid a num. 195 ad 200) accedunt Doctor Ketinus, Philippus ô Sulivanus, et Florentius Macarty Momonienſes : Gratianus Lucius, ſeu Joannes Lynch Archidiaconus Tuamenſis, Rogerius ô Flaherty in ſua Ogygia, et Donatus ô Roirk lib. contra Dempſterum Conacienſes : Rmus. Epiſcopus Oſſorienſis David Rotheus, cum Authore Annalium de Clunenagh, Thomas Meſſinghamus, et Richardus Arsdekin Lagenienſes: ac ex ipſis Dublinienſibus, Uſſerus, Wareus, et Scriptor Regiſtri Monaſterij S. Thomæ: imo reliqui hujus Regni Incolæ docti, et indocti, nobiles, et Plebei, Angli et Hiberni non alium nuncupantes, aut agnoſcentes Primatem præter Armacanum Archiepiſcopum, qui apud Proteſtantes præcedentium temporum in hoc uſum obſervantes præeſt toti Clero ſua communionis, nemine contradicente in univerſa Inſula, et undequaque contendentium diſcepationes decidit in ſua Primatiali curia vid num. XI. 14. 15. 16. 26. 27. 193. 334. 343, et 393.

408. Ultra declarationem Æcumœ. Trident. Synodi apud Palavicinum Lib. 15. cap. 13. ăſtipulantur Officia canonica tot Religioſorum ordinum, imo totius Eccleſiæ in feſto S. Patricij (vid num. 5. 191. 192. et 193) tandem irrefragabilitèr evincunt acta, et Diplomata Summorum Pontificum Cæleſtini 1, Leonis Magni, Innocentij 2, Eugenij 3, Urbani 3, Alexandri 4. Urbani 4, Joannis 22,

S. Pij quinti, et Innocentij XI. Cæleſtini inquam conſtituentis S. Patricium totius Hiberniæ Archiepiſcopum, et Primatem relictâ ei libertate ſibi, et Succeſſoribus deligendi Sedem, in qua eadem impoſterum perſeveraret prærogativa: Leonis confirmantis inſtitutam a S. Patricio Sedem Armacanam *totius Inſulæ principem Metropolim*: Innocentij 2 *concedentis confirmationem alterius a S. Celſo erectæ Metropolis ſubditæ primæ Sedi* (Armacanæ) *ejuſque Archiepiſcopo tanquam Primati*: Evgenij 3. per Legatum Suum Paparonium *ordinantis Armacanum Archiepiſcopum, prout decuit, in Primatem Super omnes alios.*

409. Urbani 3 per ſuum pariter Legatum Cardinalem Vivianum approbantis officium Tranſlationis S. Patricij *Archiepiſcopi Hiberniæ Primatis, et Apoſtoli.* Alexandri 4. Statuentis Poteſtatem Armacanis in Tuamenſes: Urbani 4 mandantis *ut omnes Archiepiſcopi Hiberniæ, Epiſcopi, et alij Prælati Armacano, et Succeſſoribus obedientiam, et Reverentiam omni tempore debeant exhibere*, &c. Joannis 22. præſcribentis appellandum tutoriè ex aliis Hiberniæ partibus ad curiam Armacanam, e quibus ſolet appellari ad Sedem Apoſtolicam: Pij quinti canonicorum Lateranenſium (e quorum numero fuit aliquandiu S. Patricius, adeoquè firma geſtorum ejus memoria ex domeſticis monumentis, et conſtanti traditione inter eos conſervatur) approbantis, et jubentis imprimi officium continens quod *S. Patricium in totius Hiberniæ Metropolitanum deſtinaverit S. Cæleſtinus*: Innocentij XI. inſerentis lectioni quintæ officij S. Patricij ad 17 Martij *Armacanam Sedem Romani Pontificis Authoritate totius Inſulæ Principem Metropolim conſtitutam*: quibus firmiſſimum robur additur ex Bullis, et Reſcriptis aliorum Pontificum declarantium in Electione Præſulum Armacanorum illam Eccleſiam eſſe totius Hiberniæ Primatialem vid num 4, 5, 7, 16, 20, 21, 145, 192, 279, 372, et 385.

410. Advertimus ſupra quanto obſequio Primates proſequerentur antiqui Monarchæ, et Principes Hibernici, cuncti Subjecti Sedi Armacanæ, ejuſque Metropolitano in omni obedientia (et unus ipſe omnibus præfuit mandavitque obſervanda &c.) ac Leges ediderunt de augendo Redditu S. Patricij quotannis Solvendo Primatibus per totum Regnum, ſicut ſe in ipſo initio converſionis interpoſito Religionis voto obſtrinxerunt Specialiter Dublinienſes (vid num. 6. 161, 178, 179, 287, 292, 297, et 298) nec officio defuerunt, (ſed

quam-

quantum ad ipsos spectabat pro observantia canonum, foverunt, et ab Usurpatoribus vindicarunt jura Primatialia) Angliæ Simul et Hiberniæ Reges, Henricus 3. Edwardus 3. Edwardus 4. Regina Maria: Carolus 1. Carolus 2. et Jacobus 2. vid num. 26. 105. 106. 126. et 338.

411. Hinc factum ut a tempore S. Patricij Antistites Armacani totam Insulam sub sua potestate complectentes creberrimè visitaverint omnes Provincias: Synodos Nationales indixerint, iisque præfuerint, Episcopales, et Metropolitanas sedes erexerint, Constitutiones ediderint, et statuta promulgaverint pro Reformatione Cleri, et Populi, cæteraque e norma canonum dispositerint, causas provocantium ex aliis Provinciis admiserint, et in sua Curia terminaverint Authoritate Primatiali vid num. 7, 11, 12, 13, 14, 15, 22, 23, 24, 290, 291, 292, 293, 366, et 369.

412. Itaque quisquis Seriò, et attentè tot Diplomata Sedis Apostolicæ, cujus est instituere, et confirmare omnes Dignitates Ecclesiasticas (vid num. 32.) tot Regum in idem collimantium studia, et Sanctiones; tot Religiosorum ordinum, ac etiam totius Ecclesiæ horas canonicas decantandi usum: tot celeberrimorum Authorum ex præcipuis Europæ nationibus Testimonia, et consensum: exercitium jurisdictionis, et continuatam tredecim Sæculorum possessionem observaverit, et simul de Præeminentia Primatiali Armacana per totum Regnum Hiberniæ vel minimum dubitare poterit, Verendum ne clarissimæ Luci veritatis affectatò occulos occludat nihili pensitans quod monetur Eccli 4°. *non contradicas verbo veritatis ullo modo et de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Quæ cum omnibus hactenùs dictis in hoc Opusculo Sinceriss. mè iterum subjiciuntur judicio, et censuræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, ad quam spectat verum sensum ab erroneo, Sanum a noxio, Orthodoxum a perverso secernere, et exponere fidelibus.

Ad majorem Omnipotentis Dei
Beatissimæ Virginis
Matris Mariæ,
ac S. Patricij
Gloriam et
Honorem.

F I N I S.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

A.

ABbas idem quod Pater. Num. 335. quomodo utraque denominatio competat Armacanis. n. 334, 335, et 336.
Abbates Laici Eccleſiæ Fundos uſurparunt n. 257.
Abbas nuncupatus fuit Hugo Magnus n. 336.
Abbatis Evini Teſtimonia vid Evinus.
Abbas Congenſis appellavit ad Armacanum n. 24.
Ab, et *in* præpoſitiones quantum differunt n. 226, et 227.
Ab initio, et *in initio* longè diſcrepant n. 219, et 226.
Ab Arimathea vid Joſeph.
Abſolon cur Rex appellatus n. 336.
Academia Armacana florentiſſima n. 2, 179, 378, 379, et 380.
Academiæ illius ſingulare Privilegium n. 13, et 131.
Accuſatio Adverſarij iniqua contra omnes Authores ſuæ prætenſioni rleragantes refellitur a n. 92, ad 101, n. 299, 301, a n. 321, ad 335, a n. 345, ad 356.
Adamus——Loſtus Armachiâ tranſlatus Dublinium, et quare n. 122. Succeſſori ſuo Armacano præcedentiam Dublinij, et alibi ceſſit ibid.

INDEX.

Adriani quarti, et Alexandri tertij Bullæ fictitiæ, aut ſubreptitiæ cenſentur n. 260. et Seq.

Advenientes ex Anglia cum Henrico Secundo ad prætenſam reformationem Hibernorum quales fuerunt n. 272.

Æneas Rex Momoniæ, et Proceres a S. Patricio baptizati n. 196.

Africanæ Eccleſiæ fæditas, et corrupti mores n. 263.

Africani quinque Primates inferiores nulli certæ Sedi affixi, omnes ſubditi Archiepiſcopo Carthaginenſi totius Africæ Primati n. 60. et 61.

Alberici comitis Tuſculani, aliorumque in Romanam Eccleſiam violentia n. 257, 264, 265, et 266.

Albeus primus Momonienſium Archiepiſcopus conſtitutus a S. Patricio n. 197, et 201.

Albinus Abbas de Baltinglaſs reprehendit corruptelam cleri ex Angliâ advenientis n. 102, et 103.

Alexandrini, et Antiocheni Patriarchæ a S. Petro inſtituti abſque Pallio cujus uſu multis Sæculis caruerunt n. 57, 232, et 234.

Alexandrina Eccleſia cur præferatur Antiochenæ n. 33.

Alexandri quarti deciſio pro Armacanis 20.

Alexandri tertij Bulla prætenſum Primatum Dublinienſem evertit n. 132.

Alexandri Bicknor fruſtranea contentio ne Dublinij erigeretur Crux Armacana, aut exerceretur juriſdictio, non tamen Primatis titulum arrogare præſumpſit n. 319, 354, et 393.

Alanus vid Joannes.

Angliæ Primatus Cantuariæ ſtabilitur, et quare n. 37, et Seqq. ac n. 308, et 373.

Annales de clunenagh pro Primatu Armacano n. 16.

Annales Monaſterij Duiske, ſive S. Salvatoris pro eodem n. 23.

Annalium Hibernorum Scriptores, ſive Antiquarij a calumniis Adverſarij vindicantur a n. 321, ad 333. quam accurati et fideles in Scribendo a n. 326. ad 331.

Antiochenæ civitatis Dignitas, et amplitudo juriſdictionis n. 33.

Antiquarij Hiberni vid Annalium.

Apoſtoli titulus, et honor quomodo competant n. 286, 306, ac 307. et quam meritò aſſecutus S. Patricius ibid.

INDEX.

Apoſtolorum cura in eligendis civitatibus, quibus præcipui Ethnicorum Archiflamines præerant n. 48.
Appellatio quid ſit n. 21, et 114.
Appellationes interjectæ Sæpius ex aliis Provinciis ad Primatialem Sedem Armacanam n. 15, 22, 23, 24, 369, et 370.
Appellatio ritè facta ad Sedem Apoſtolicam ligat manus Ordinariorum n. 391.
Appellatio ad tranſmarina clericis Africanis interdicta, et quare n. 387.
Archiepiſcopi, Primates, et Patriarchæ olim inſtituebantur abſque traditione Pallij, imo plures ſine fixâ ſede a n. 231 ad 244.
Archiepiſcopi nulli in Parlamento ſedent ad ſiniſtram Regis ſed ad dextram omnes, unde refellitur commentum Rivij, et Lynchij a n. 111 ad 116.
Archiepiſcopatus varios erexit S. Patricius a n. 197. ad 200.
Archiflaminum loco Succeſſerunt plerumquè Apoſtoli, et primi fidei Præcones n. 48.
Archiflamen Hiberniæ Armacanus n. 10.
Archivum Cancellariæ Apoſtolicæ ſolum Armacanum Hiberniæ Primatem agnoſcit n. 9.
Arelatenſis Eccleſiæ Primatui derogatur in concilio Taurinenſi, ſed mox reſtituitur a Zozimo Papâ ad n. 49, ad 54.
Arianorum impietas ineptè refutatur ab Adverſario n. 220 et 221.
Armacana civitas, et Eccleſia conſtruitur ſitum, et formam præſcribente Angelo n. 1, 2, 3, 376. et ſeqq. illius celeberrimum Studium vid *Academia.*
Armacana Eccleſia authoritate Romani Pontificis totius Inſulæ Princeps Metropolis, ac Primatialis conſtituitur a S. Patricio a n. 1, ad 6, n. 119, a n. 191, ad 194, 199, 376, et ſeqq.
Armacanæ Prærogativæ, et jura Primatialia confirmantur ab aliis Summis Pontificibus n. 10, 16, 20, 21, 408, et 409.
Eadem jura Primatialia aſtruunt officia Eccleſiaſtica, et celeberrimi totius Europæ Authores. a n. 1, ad 30, a n. 191, ad 201, n. 406 407, et 408.
Iiſdem juribus ſuffragantur ſtudia Regum, et Diplomata quantum, ad ipſos Spectabat n. 6, 26, 105, 106, 126, 161, 178, 179, 292, 297, 298, 338, et 410.

INDEX.

Armacanus Clerus nullum agnoſcit Archiepiſcopum ſuum, niſi in illius Electionis Bullâ exprimatur quod illa Eccleſia ſit *Totius Hiberniæ Primatialis* n. 144, et 145.

Armacani cæteras Provincias hujus Regni viſitare ſoliti; concilia Nationalia indicere, iiſque præſidere a n. XI. ad 19, n. 132, 133, 155, a n. 290 ad 297, et 336. per Octingentos annos Primatiali juriſdictione ſine obice functi ſunt n. 8. Appellationes ſæpius admiſerunt, et terminarunt ex aliis Provinciis n. 15, 22, 23, 24, 369, et 370.

Armacana Eccleſia Sacrilegè a Laicis uſurpata a n. 253, ad 259. tempore illius Uſurpationis veros, et legitimos habuit a clero canonicè ſubſtitutos Antiſtites, quorum nonnulli inter Sanctos relati n. 14, 259, et 293.

Armachiâ Hiberniæ capite corruptâ cæteræ Eccleſiæ hujus Regni inficiuntur n. 6. 258, et 259.

Armacanæ Eccleſiæ (ceſſante Tyrannide) decus, et ſplendor a n. 268. ad 273.

Armacani Præſules vocantur Patres, Abbates, ac Principes n. 335, et 336. Et vicarij Generales ſunt ad exercitum Regium n. 110.

Armacanæ ſedis Præeminentia patet etiam ex partitione Provinciarum n. 19.

Armacanorum Præſulum plurimi Sanctorum albo adſcripti n. XI, et n. 155.

Armacano in concilio Kennanenſi primum inter reliquos Archiepiſcopos Pallium traditum fuiſſe evincitur ex Baronio, aliiſque n. 16, 17, 18, et 85.

Armacano, et Dublinienſi Archiepiſcopis concurrentibus de Pallio recipiendo in conſiſtorio, quamvis Dublinienſis longè antiquior eſſet conſecratione, tamen ob Præeminentiam Primatialem præfertur Armacanus n. 29.

Armacanorum juriſdictioni non officit prætenſum Dublinienſium Privilegium, etiamſi genuinum probaretur, ſicut nec aliæ Bullæ obtruſæ ab Adverſariis obſtant a n. 63, ad 84.

Armacani crucem in Urbe Dublinienſi ante ſe geſtari faciebant a n. 318 ad 321, 350, et 355.

Armacano Primatui aſtipulantes iniquè carpuntur ab Adverſario a n. 99, ad 101, et a n. 309, ad 335.

INDEX.

Armacana Eccleſia Spoliatur ſuo Primatu, et Dublinienſi confertur ab Edwardo Sexto Rege Proteſtante ſed mox reſtituitur authoritate Legati Apoſtolici, et Reginæ Mariæ n. 25, et 26, ac 338.
Armacani Primatûs Præeminentia confirmatur Solemni Decreto Sanctioris concilij ſub Carolo primo n. 106, et 107.
Armacani Primates ſuum Tribunal tenent in Urbe Dublinienſi n. 101, et 182.
Armachiam plures Archiepiſcopi Dublinienſes transferri ſe procurarunt n. 122.
Armacanis ſolis Titulus Primatis conceditur in Bullis Pontificiis n. 9. 145, 345, et 348.
Armacanam Eccleſiam cum Fundis, et Redditibus ſibi appropriavit Turgeſius Danorum Rex n. 255.
Arſdekin vid Richardus.
Artrigius Armacanus, ejuſque Viſitatio in Momoniâ, ac de Lege S. Patricij n. 12, 290, 291, 292.
Auguſtinus Anglorum Archiepiſcopus conſecratus ſine Pallio, aut aſſignatione Sedis n. 235, et 373. ob illius (utpotè Anglorum Apoſtoli) Reverentiam, Primatus totius Angliæ ſtabilitur Cantuariæ prætermiſſis celebrioribus Urbibus n. 37, 38, et 39.
Authoritas Legatina, et Extraordinaria differt a Primatiali, et ordinariâ n. 287, 288, et 289.
Authoritas Perſonæ conficientis facit fidem inſtrumentis n. 85.
Azorius vid Joannes.

B.

BAculus Jeſu Armachiâ transfertum Dublinium operâ Anglorum n. 314.
Bajulationi crucis Armacanæ in Urbe Dublinienſi fruſtra ſeſe oppoſuerunt Dublinienſes Præſules obtentu prætenſæ exemptionis a n. 317, ad 321, et 355.
Balthazar Coſſa vid Joannes 23.
Barboſa Armacanum Præſulem Totius Hiberniæ Primatem aſſerit n. 9.
S. Barnabæ Apoſtoli corpus Salaminæ inventum illam Eccleſiam Primatialem Cypri effecit a juriſdictione Antiochenâ immunem n. 53.

INDEX.

Baronij Teſtimonium pro Primatu Armacano n. 9, et ex geſtis Cardinalis Paparonij refellit commentum de *Primo* Pallio conceſſo Dublinienſibus n. 17, et 89.

Benedictus nonus Puer decennis in Supremâ Sede violenter collocatus n. 257, et 294.

S. Benignus in Primatu totius Hiberniæ Succeſſit S. Patricio n. 199.

S. Bernardus egregie vindicat jura Primatialia Armacana a n. 6, ad 10, et n. 217, illius mens, et Senſus perperam detorquentur, et corrumpuntur ab Adverſario n. 93, a. n. 216, ad 219, et a n. 297, ad 303.

Bicknor vid Alexander.

Bituricenſis Eccleſia non niſi pluribus Sæculis poſt innumeras pæne alias Primatis titulum aſſecuta etſi primum obtinuiſſe erroneè obtrudat Adverſarius a. n. 54, ad 63.

Bolandus de Erectione, et Prærogativis Eccleſiæ Armacanæ n. 4.

Bonifacius conſecratus Epiſcopus nullius certæ ſedis, ſed Apoſtolatui tantum Germaniæ generatim mancipatus donec poſt plures annos cathedram fixit moguntiæ, quæ proinde totius Germaniæ metropolis fuit conſtituta: cui Eccleſiæ ſimul et Trajectenſi aliquandiu præfuit. num. 117. et 373.

Briennus Burrous Supremus Monarcha in Metropoli Armacanâ (cujusfuit Benefactor) ſepeliri voluit cum filio Morchardo, ſicut et poſtea illius Nepos Rex Muriertachus n. 178, et 179. utriuſque pietas, et ſtudium erga Sedem S. Patricij ibid: vid etiam n. 174.

Brienni Borroi, et Regum familiæ ô Briennorum Encomium, ac perpetuum Bellum cum Dublinienſibus, aliiſque Danicis civitatibus a. n. 171. ad 180. quam fædè de prætenſo eorum ſtudio in Dublinienſes imponit Adverſarius n. 169: et 170.

Britannicæ Eccleſiæ aliarumque per orbem diſſolutiones, et corruptelæ a. n. 262. ad 269.

Brunus vid Georgius.

Buckleus vid Lancelottus.

Bulla Lucij tertij, ſeu prætenſum Privilegium (omiſſo etiam quod eſſet genuinum) nihil prodeſt Dublinienſibus, nec novum jus inſtituit, nec derogat juriſdictioni Primatiali a. n. 63. ad 75.

Bulla attributa Honorio tertio eâdem exceptione eliditur: imo ex ipſo contextu, et ſententiarum incohærentiâ patet fictitia n. 75.

Bulla

INDEX.

Bulla Innocentij tertij pro unione Eccleſiæ Glandelacenſis impertinens omninò ad intentum Adverſarij, quo fatente illa Bulla falſificata fuit additione voculæ *Primò* a. n. 82. ad 88.
Bullarum falſificatio quot, et quibus modis contingere poteſt n. 84.
Bullæ Alexandri tertij conceſſa S. Laurentio evincit quam arcta fuerit juriſdictio Dublinienſium Archipræſulum n. 132.
Bullæ Pontificiæ ſi Dignitati de jure aut conſuetudine competentes titulos non exprimant falſæ, aut ſubreptitiæ cenſentur n. 144. et 145. ac 215.
Bulla Joannis de Lupè propterea rejecta a capitulo Caſletenſi n. 145.
Bullæ attributæ Adriano 4°. et Alexandro 3°. ſuſpectæ de vero, et ſubreptitiæ a pleriſque arguuntur n. 260. et 261. ac. 272.
Bullæ Alexandri 4i. Urbani 4i. et Joannis 22i. pro præeminentiâ Primatiali Armacanâ ſuper totum Regnum n. 20. et 21. fruſtra impugnantur ab Adverſario, cujus cavillationes regeruntur a. n. 345. ad 350. et a. n. 385. ad 402.
Bulla Clementis octavi conceſſa Petro Lombardo Armacano etiamnum extat n. 348.
Bulla de canonizando Richardo Armacano. n. 353.

C.

CAnones ab Adverſario citati pro ſtatuendo Primatu in capitibus Regnorum in alienum Senſum ab ipſo detorti: et quamvis litteraliter admitterentur, nihil conducerent ad illius intentum, cum Dublinium ante finem Sæculi duodecimi non fuerit caput, aut præcipua civitas Hiberniæ a. n. 40. ad. 49.
Canones inhibentes conſecrari Epiſcopos ſine conſenſu Metropolitani n. 164, et 165.
Canonica Eccleſiæ officia ſolum Armacanum totius Hiberniæ Metropolitanum, et Primatem decantant n. 5. et a. n. 191. ad 194.
Cantuaria olim longè inferior fuit aliis civitatibus in Angliâ n. 37, et 39.
Cantuarienſis Eccleſia ob reverentiam S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli Primatum totius Angliæ obtinuit ibid.
Cantuarienſes ſoliti aliquandiu Dublinienſium, Waterfordienſium, et Limericenſium Præſules conſecrare, dum illæ civitates Danis parerent, et ob quam rationem a. n. 160, ad 167.

INDEX.

Cantuarienſium quam infirma, et precaria fuerit juriſdictio in Dublinienſes n. 118, 166, 167, 168, 176, et 177. et reſtituto ad prſtinum ſtatum Regimine Hierarchico cantuarienſes ab hujuſmodi conſecratione abſtinuerunt n. 166, 167, et 168.

Capita Regnorum, Seu primariæ Urbes Totius Europæ Primatu carent n. 9, 31, 35, 36, et 144.

Capitulum caſletenſe rejecit Bullam ſui Præpoſiti ob defectum competentis tituli n. 145.

Capituli Leighlinienſis ad Curiam Armacanam Appellatio n. 22, 23, et 361.

Cardinalis Polo vid Polo.

Cardinalis Colonne Sententia pro Armacano n. 28.

Cardinalis Paparonius vid Paparon.

Caroli Martelli violentia in Eccleſiam Rhemenſem, aliaſque Gallicanas donatas viris Laicis n. 262.

Carolus primus mandat Monumenta, et Titulus Eccleſiæ Armacanæ, et Dublinienſis juridicè examinari in Sanctiori concilio, ubi poſt biduanam diſceptationem Palmam retulit Armacana n. 106.

Carolus Secundus Armacanam præfert Dublinienſi n 126,

Carthaginenſis civitas quamvis olim Dignitate et amplitudine præſtantiſſima, aliis tamen inferior fuit in juriſdictione Eccleſiaſticâ n. 34.

Carthaginenſis Archiepiſcopus utpotè totius Africæ Primas univerſam Africam cum quinque Primatibus inferioribus ſub Suâ juriſdictione complectebatur n. 60, et 61.

Carthagine dirutâ, ac pænè deſertâ, illius Eccleſiæ privilegia reſervari integra mandavit Leo nonus n. 384.

Caſſelienſis Archiepiſcopatus primò Imilacæ inſtitutus a S. Patricio, poſtea Caſſeliam tranſlatus a S. Celſo Sedi Armacanæ ſubjectus confirmante Innocentio Secundo n. 7, 8, 62, 197, 201, 241, 279. Caſtitas Cleri Hiberniæ n. 103.

Catalogus omnium Europæ Primatum ſolum Armacanum Hiberniæ Primatem refert n. 9.

Caveam Platonicam incolentes quid teſtarentur n. 200.

Cæleſtinus Papa S. Patricium Archiepiſcopum et Primatem Nationis Hibernicæ conſtituit a. n. 191, ad 199, et a n. 371, ad 374.

Celſus Armacanus cæteras Provincias viſitando toties perluſtravit, Synodos Nationales indixit, iiſque præfuit, Eccleſiam Caſſelienſem.

ſem in Metropolim erexit n. 7, et 12, Armacanam ſimul, et. Dublinienſem Eccleſias adminiſtravit n. 116. morti proximus deſignavit S. Malachiam Succeſſorem ſuum in Sede Armacanâ n. 6, et a. n. 287, ad 290.
Cenſus vid Redditus.
Chopinus vid Renatus.
Clemens 4, ſtatuit nullo privilegio Singularibus perſonis conceſſo derogari juriſdictioni Ordinariorum n. 140, et 141.
Clocherenſis Eccleſia ante Armacanam erigitur, eique præfuit aliquandiu S. Patricius, qui poſtea præfecit S. Macartenum n. 274.
Colganus vid Joannes.
Comitia a Rotherico Rege indicta præcedente reliquos Præſules S Gelaſio Armacano n. 132.
Concilio Conſtantienſi ut verus Pontifex præfuit in primis Seſſionibus, qui idem concilium indixit Joannes 23, a. n. 398, ad 402.
Concilii Tridentini Patres Armacanum Antiſtitem hujus Regni Primatem agnoſcunt, et declarant n. 10, et 27,
Confirmatio quid ſit, et quid præſtet n. 180, et 242.
SS Congregatio palmam adjudicat Armacano n. 28.
Coqui Horatiani gloriatio n. 186.
Crucis Bajulatio vid *Armacani Crucem.*
Curſeus vid Joannes.
Curvinus vid Hugo.
S. Cyprianus ſine Pallio functus eſt ſuo munere Primatiali n. 233.
Cypri Primatus quâ ratione Salaminæ conſtitutus n. 53.
Cyrillus Alexandrinus primus Patriarcharum qui an 430, decoratus fuit Pallio n. 234.

D.

DAmianus, et Fugatius ab Eleutherio Papâ miſſi ad Britannorum converſionem non nuncupantur Britanniæ Apoſtoli, et quare, ubi de prætenſo Apoſtolatu Joſephi ab Arimathea a. n. 304, ad 309.
Danorum invaſio, et Tyrannis in Hibernia: n. 161.
Dani poſteriores, prioribus fugatis, in tribus civitatibus, Dublinienſi, Waterfordienſi, et Limericenſi dominabantur n. 162, illorum ac præſertim Dublinienſium atrocia, ac perpetua Bella cum

Hibernis n. 163, et a n. 170, ad 175.
Dani Dublinienſes, et reliqui populares converſi ad fidem, ob ſævas cum Hibernis inimicitias, ſuos primos Epiſcopos miſerunt in Angliam conſecrandos contra canones a n. 163, ad 167. tandem illorum Epiſcopi authoritate Pontificiâ ad debitam ſubjectionem ſuis reſpectivè Superioribus in Hiberniâ reducti ſunt a n. 166, ad 169, et n. 178.
Dani ſacrilegè uſurparunt Eccleſiaſticos Fundos, nomina, et Titulos Dignitatum n. 255, et 256.
Darij poſteritas Danorum profanationem ſecuta Metropolim Armacanam a Majoribus ſuis donatam, et ditatam invaſit abuſu illis Sæculis paſſim alibi frequentato, n. 256, et 257.
Davidis Rothei Epiſcopi Oſſorienſis teſtimonia pro Primatu Armacano n. 15, 24, 343, et 365. vindicatur ab invectivis Adverſarij a n. 98, ad 102.
David, et Dubricius Archiepiſcopi, et Primates dextralis Britanniæ conſtituti abſque pallio a n. 236, ad 240.
Deambulatorius fuit Archiepiſcopatus Lageniensium nulli certæ Sedi affixus ante adventum Cardinalis Paparonij n. 62, et 166.
Decisio Alexandri quarti pro Armacano contra Tuamenſem n. 19, et 20.
Decretum Sanctioris Concilij cauſam adjudicantis Armacano contra Dublinienſem n. 106.
Definitio Primatûs ab Adverſario confecta n. 30. et toties in Scenam producta n. 186. manifeſtiſſimè falſa convincitur a n. 31. ad 40. Item ex enumeratione omnium Primatuum totius Europæ n. 9, 18, 41, 144. et etiam dato quod vera eſſet, nihil prodeſſet adverſario, cum Dublinium Regni caput non fuerit ante annum 1172. n. 44, 46, et 146. melius exprimitur n. 56, et 202.
Definitorij Provincialis Prædicatorum hallucinatio dum Archiepiſcopum Dublinienſem vocaret *Lageniæ Primatem* n. 149.
Dignitates Eccleſiaſticas a Romanâ Eccleſia emanare oportet n. 32, et 124. nec debent illæ Dignitates immutari ſecundum mobilitatem rerum mundanarum, ſeu Urbium in adminiſtratione civili n. 46, et 47.
Dilemma in Adverſarium circa uſum Pallij n. 229, et 230.
Dionyſius vid Muſarius.

INDEX.

Dissolutio Ecclesiasticæ disciplinæ vid Usurpatores Ecclesiæ Armacanæ.

Dominicus Armacanus Appellantes ad suum Tribunal ex aliis Provinciis Sæpius admisit et relevavit gravaminibus n. 24. primum locum in omnibus congressibus Archipræsulum per totum Regnum, item et in Galliis inter nostrates obtinuit nullo contradicente n. 29. propter præeminentiam Sedis. in concessione pallij præfertur Dublinienſi Archiepiscopo etsi consecratione tot annis antiquiori ibid.

Dominium Comitis Mortoniæ, qui postea fuit Joannes Rex Angliæ quam exiguum fuerit in Hiberniâ n. 127, et 128.

Dowdallus Armacanus vid Georgius.

Dublinium olim non nisi simplex Parochia fuit Diæcesis Glandelacenſis n. 18. vid a n. 44, ad 47, et n. 82.

Dublinienſium votum de Solvendo annuo Redditu S. Patricio, ejusque Successoribus Primatibus n. 161. harmoniam turbavit oppressio Danorum Sæculo nono ibid. post dictorum Danorum conversionem, Episcopos—— habuit Dublinium coarctatos intra muros n. 89, et 118. qui Episcopi contra canones, et reclamantibus Armacanis consecrabantur a Cantuarienſibūs a n. 163, ad 166, ac n. 176, et 177. vid Dani Dublinienſes.

Dublinienſis Ecclesia ad Archiepiscopalem evecta an 1152 a Cardinale Paparonio attribuente partem Diæcesis Glandelacenſis n. 89, et 130.

Dublinium caput Regni esse cæpit an 1172, et vigesimo post adventum Paparonij num. 44, et 46.

Dublinienſis Ecclesiæ status tam antè, quam post assecutionem Pallij n. 18, 89, 90, 120, et 121, ac 130.

Dublinienſium Antistites juxta antiquos canones ne quidem inter Metropolitanos numerandi n. 19, et 44. circa medium Sæculi 13i. Regimen Hierarchicum in hoc Regno subvertere attentarunt n. 18, et 137.

Dublinienſes, et Comprovinciales Sæpè appellarunt Armachiam vid *Appellat*.

Dublinienſes Præsules nullum unquam suæ prætensæ Primatiæ Signum ediderunt nec jurisdictionem exercuerunt extra Suam Provinciam a n. 128, ad 135. plures illorum ad Sedem Armacanam translati fuerunt n. 122, et 123.

INDEX.

Dublinienſes Archiepiſcopi nunquam Primatis titulo inſigniti fuerunt ab omnium Dignitatum Inſtitutrice Sede Apoſtolicâ n. 124, a n. 141, ad 145, et n. 251. nec Lageniæ Primates etiam in latâ, et inferioris ordinis ſignificatione competente paſſim Archiepiſcopis reſpectu ſuarum Provinciarum, propriè nuncupari poſſunt a n. 149, ad 153; nullus illorum egit pro reviſione cauſæ amiſſæ in ſanctiori concilio ſub Carolo primo, ſed juſtæ ſententiæ penitus acquieverunt n. 108.

Dublinienſis Eccleſia ſimul cum Armacanâ adminiſtrata fuit a S. Celſo a n. 116, ad 121. iniqua utriuſque facta comparatio ab adverſario contra omnem rationem præferente Dublinienſem ibid. vid etiam n. 120, et 354.

Dublinienſis Eccleſia longè differt a prærogativis, et juribus Eccleſiæ Eboracenſis n. 80, et 81. Eccleſiæ Dubliniensis corruptelæ in moribus, et diſciplinâ n. 270.

Dubliniensium ob commiſſum Sacrilegium pæna, ut in Supplicatione nudis pedibus incederet Prætor n. 368.

Dublinij, sicut olim Primates Catholici sic modò Proteſtantes Primates ſuum tenent auditorium, et jus dicunt inter litigantes n. 26, et 182.

Dublinienſes Armacanis prærogativis refragantes divinâ vindictâ plectuntur a n. 355, ad 364.

Dublinienſes aliqui quam vanos, et ridiculos Titulos uſurpaverint n. 81, et a num. 390, ad 395.

Dubliniensium exemptio et Privilegio ac prætenſus Primatus Hiberniæ non nisi commentitia convincuntur a n. 63, ad 89, et 361.

Duplexij Authoris Gallici concinnum dictum n. 268.

E.

EBoracensis civitas olim multò ampl ior Cantuariâ, aliiſque in Angliâ, attamen Primatum Angliæ non obtinuit a n. 37, ad 40. Scotiæ tamen Primatum habuit, unde etiamnum Primatis titulum conſervat, non uſurpatione sicut Dublinienſes n. 80, et 81.

Eboracensis Præſulis privilegium de præferendâ cruce ibid, et n. 68.

INDEX.

Eccleſiarum præſertim ſublimiorum Univerſi ferè orbis deplorabilis Status, et diſſolutio ex oppreſſione et Uſurpatione Laicorum ac iniquorum Antiſtitum a n. 253, ad 269.

Eccleſiarum Patroni Laici eas ſibi pleriſque in locis uſurparunt n. 256, et 257.

Eccleſiarum Prærogativæ, ſeu Præeminentiæ non debent ſecundum civilem Urbium Dignitatem immutari n. 46, et 47.

Edmundus Campianus pro Primatu Armacano n. 10.

Edmundi Reilly Bulla ab Aduerſarij cavillis vindicatur a n. 345, ad 350.

Edwardus Sextus ereptum Armachiæ totius Hiberniæ Primatum contulit Dublinio, ſed mox reſtituitur n. 25, 26, 337, et 338.

Emania vid Ultonienſium Regum Habitaculum.

Ængus, ſive Æneas Rex Momoniæ cum Proceribus et populis a S. Patricio ad fidem converſus baptizatur a n. 195, ad 198.

Epiſcopi nomine omnes Dignitates ſublimiores etiam Papales quandoquè comprehenſæ n. 333.

Epiſtola Cleri Romani ad quoſdam particulares Hiberniæ Præſules n. 203, et Seqq.

Epiſtolæ S. Gregorij Papæ non ad Hibernos, ſed ad Iberos Aſiæ populos Scriptæ probantur ibid, et a n. 207, ad 210, et etiam omiſſo quod ad Hibernos Scriptæ fuiſſent, nihil prodeſſent intento Adverſarij a n. 213, ad 216.

Epiſtolæ Talboti pro Primatis titulo Romæ obtinendo n. 30, 130, et 143.

Error computi Paſchalis non fuit culpabilis in Hibernis n. 211, et 212.

Eſus Sanguinis pluribus Sæculis prohibitus n. 42.

Eugenius tertius Primatum Armacanæ Eccleſiæ confirmauit n. 10. et 16.

S. Euini Teſtimonia pro Præeminentiâ Armacanâ n. 1, 2, 96, et 198.

Excommunicatio Prioris de Kilmanham ob reſiſtentiam factam Armacanis, qui poſtea resipiſcens abſolutus fuit n. 355, et 357.

INDEX.

F.

FAlsificatio Litterarum præsertim Apostolicarum quid sit, quibus modis fiat, et quâ pœna plectatur n. 84.

Felicis ô Ruadani Archiepiscopi Tuamensis relatio de statu Ecclesiæ Dublinienſis vera probatur contra exceptiones Adversarij a n. 89. ad 92.

Fides instrumentorum ab integritate Personarum conficientium dependet n. 85.

S. Fiecus discipulus S. Patricij, ac ejus vitæ Scriptor n. 1, et 2. primò Sleptensis Antistes, postea Lagenienſium Archiepiscopus constitutus a S. Patricio n. 198, et 199.

Firmilianus Cæsareæ Metropolitanus sine pallio n. 233.

G.

GAlliarum Metropolitani plures quam in aliis Regionibus Primatis titulum assumunt, et quare n. 53.

Gelasius Armacanus sæpius Hiberniam visitavit tam ante, quam post accessum Cardinalis Paparonij, Synodos Nationales convocavit iisque præsedit n. 13, 14, 17, 19, 131, et 132. S. Laurentium Dublinij consecravit n. 167, 168. et 348. vir Sacer vaccam candidam cujus solum lacte vescebatur secum quocunque veniebat circumduxit n. 296.

Georgius Ash Protestantium Clocherenſium Episcopus recusato Archiepiscopatu Tuamensi Derrensem Episcopatum amplectitur 123.

Georgius Brunus Dublinienſis Archiepiscopus in præmium Apostasiæ Primatum totius Hiberniæ impetravit ab Edwardo Sexto n. 25, 26, 86, 326, 337, 344, et 362.

Georgius Dowdallus Armacanus mox præfatum Primatum recuperavit, quem exindè pacificè possident Armacani, et ex ipsâ sede Dublinienſi dejecit Brunum qui obiit in annonis n. 26, et 362.

S. Georgij Sodalitium n. 135.

Gigantes quinam olim, et ob quam rationem vocabantur n. 329.

S. Gildas Albanius Rector Academiæ Armacanæ n. 378.

Glande-

INDEX.

Glandelacenſis Eccleſia unitur Dublinienſi n. 82, et 83, ac 89. inanes Adverſarij halucinationes circa Bullam illius Unionis a. n. 83, ad 91, nec tamen illa Unio plenum ſortita fuit effectum uſque ad an 1497, n. 83.
Glandelacenſis Eccleſiæ jura violarunt Dublinienſes dict num 83, et 164, ac 165.
Gothricus Regulus Dublinij abuſivè Rex Hiberniæ vocatus n. 340.
Græcorum immoderata ambitio illos Turcarum jugo Subjecit n. 34.
Gratianus Lucius atrocia bella inter Reges Hiberniæ, et Danos Dublinienſes poſt Wareum (vid num 170) deſcribit a. n. 171 ad 176. idem Gratianus Geſta Præſulum Armacanorum exercendo jura Primatialia per univerſum Regnum refert vid a. n. XI, ad 15, 258, 259, et 292.
Gregorius Magnus non ad Hibernos noſtros, ſed ad Iberos Aſiæ populos Scripſit vid *Epiſtolæ* S. *Gregorij*.
Gregorius Septimus diu ante adventum Paparonij teſtatur fuiſſe in Hibernia Archiepiſcopus n. 204.
Gumitani Epiſcopi uſurpantis jura Carthaginenſis Eccleſiæ audaciam repreſſit Leo nonus n. 384.
Gulielmus conquæſtor aliique Normanni ex eodem Stipite cum Norvegienſibus ſeu Danis infeſtantibus Hiberniam Genus deduxerunt n. 165.
Gymnaſia erecta, et dotata ab Hibernis pro re antiquariâ, ſeu Patriæ hiſtoriâ exarandâ n. 326, et 327.

H.

HEnrici Secundi moribus corruptiſſimi violentia, ac injuria irrogata Eccleſiæ, et Sedi Apoſtolicæ n. 261, et 272. quales miſerit in Hiberniam commilitones, quamque parum aptos reformationi, aut Religioni promovendæ, imo raptores Bonorum Eccleſiæ ibid. in Hiberniam appulit an 1172 num 46 Synodum habuit Caſſeliæ n 18.
Henricus Londres agnomine Scorch Villain fraudibus notatus n. 86.
Heribertus Comes Aquitaniæ filium ſuum nondum quinquennem Eccleſiæ Rhemenſi præfici curavit Archiepiſcopum n. 262.
Hibernia jure dicta Inſula Sanctorum, olim etiam nuncupata Scotia n. 153. cur appellata ogygia n. 330.

INDEX.

Hiberni nullâ unquam Hæreſeos, aut Schiſmatis labe inquinati fuerunt, nec fulmine Apoſtolico irretiti, ſed omnibus vicinis Gentibus fide præpollentes a. n. 210, ad 213: illorum error in celebratione Paſchatis non fuit culpabilis ibid.

Hiberniæ cleri caſtitas, et aliæ virtutes ante inquinationem Exterorum n. 102, et 103.

Hiberniæ Eccleſiæ ſplendor, et ſingulare decus tempore adventûs Henrici Secundi et Sociorum a num 268, ad 273.

Hiberniæ Reges qui Dublinienſes, et reliquos Danos perpetuo bello exagitarunt a. n. 170, ad 174.

Hibernorum Regum pietas, et munificentia erga Sedem Primatialem Armacanam n. 178 et 179: quorum Studium proſecuti ſubſequentes Angliæ ſimul, et Hiberniæ Reges n. 126.

Hiberniæ, et Totius Hiberniæ Reges quantum differunt a. n. 339, ad 342.

Hiſtorici Hibernici vid Annalium Hibernorum Scriptores.

Hugo Curvinus abdicatâ Dublinienſi Metropoli ad Oxfordienſem Epiſcopatum tranſiit n. 123.

Hugo Magnus Pater Hugonis Capeti Abbas nuncupatus, et unde n. 326.

Hugo Reilly Primas in Concilio Nationali Kilkenienſi primum a Nuncio Apoſtolico locum ante omnes alios Archiepiſcopos habuit nemine contradicente, et poſtea Caſſeliæ præfuit numeroſæ Synodo aſſidente Secundo loco Archiepiſcopo Caſſelienſi n. 27.

I.

JAcobus Leach Officialis Armacanus Appellatione devolutam Sententiam Curiæ Dublinienſis irritavit n. 22, et 369, argutiolæ Adverſarij contra factum refutantur a n. 366, ad 371.

Jacobus Margetſonius a Sede Dublinienſi promovetur ad Armacanam n. 122, et 126.

Jacobo primo attribuitur falsò a Rivio deciſio pro Dublinienſibus contra Armacanos quod manifeſtè refellitur n. 101, 106, et 107.

Jacobi Secundi Specialis Munificentia erga Primatem ob Præeminentiam Sedis, dum Catholicorum Præſulum inopiæ ſubveniret n. 126.

INDEX.

Jacobo Uſſero in diſceptatione cum Buckleo Dublinienſi de Præeminentia adjudicatur cauſa a Sanctiori Concilio. n. 105, et 106.
Index, ſeu *Inſigne* plenitudinis honoris vid *Pallium*.
Indulgentiæ Dubliniensi Ecclesiæ conceſſæ illuſoriè commemorantur in Argumentum fictitij Primatûs n. 88.
Indultum Joannis Mortoniæ comitis nihil facit ad intentum Adverſarij a n. 124, ad 129.
Inhibitio inferioribus facta non comprehendit Dignitates ſublimiores niſi nominatim exprimantur n. 71.
Innocentius Secundus Caſſelienſem Metropolim ſubditam Armacanæ sine traditione Pallij confirmavit n. 7, 8. ac 297. illi quam ſtolidam et fatuam affingat cautelam Adverſarius vid n. 245, 248, 249, et 250.
Innocentij 3i. Reſponsio approbantis functiones Archiepiſcopales obitas sine Pallio n. 240. illius Bulla vid Bulla Innocentij 3i.
Iunocentij 4i, indultum Lucæ Dubliniensi si non Supposititium, certe Perſonale fuit nihil officiens juriſdictioni Primatis utpote Ordinarij Archiepiſcoporum a n. 137, ad 142.
Innocentio 6°. attributa decisio ut uterque Archiepiſcopus Primatem ſe ſubſcriberet non nisi merum figmentum Allani evincitur a n. 76, ad 82, et a n. 390 ad 395.
Innocentius X. nuncium misit ad Confæderatos Hiberniæ n. 27.
Joannis Allani commentum vid Innocentio 6°. quam ambitioſus, et fraudibus deditus fuerit dictus Allanus n. 78, 79, 361, et 390. Adminiſter Cardinalis Wolſei in evertendis Quadraginta Monaſteriis n. 78.
Joannes Azorius de Primatibus, ejuſque Teſtimonium pro Armacano n. 9.
Joannis Bole Armacani visitatio per alias Provincias n. 14, 364, et 365. Appellationem Alſonæ Knight a curia Dubliniensi admisit, et cauſam per Suum Officialem terminavit n. 22, et a num. 366, ad 371.
Joannis Colgani laudabile ſtudium, et proficua Scripta a n. 50, ad 58.
Joannes Cummin Anglus Archiepiſcopus Dubliniensis Joanni Comiti Mortoniæ Puero duodenni ſuggeſſit quæ voluit, et impetravit indultum, si non commentitium, de quo vid n. 124, et 125. illius prætenſum Privilegium obtentum a Lucio 3°. sive verum sive fictitium

titlum (unde initium Sumpsit controversia de imaginariâ exemptione Dubliniensium cum Armacanis vid num. 318, 319, et 320,) diu delituit per Quinquaginta annos nunquam exhibitum a Cummino, aut Succeſſore Henrico Londres, donec primus oſtentavit Archiepiſcopus Lucas novo attentato conatus, etsi incaſſum ſe Subducere juriſdictioni Primatiali n. 137. et a num. 317, ad 321, ac 360. Cummin et Meliſa Armacanus nunquam ſeſe viderunt in Hibernia, etsi perperam dicat Adverſarius contendiſſe de Primatu n. 317.

Joannes 22 antea Jacobus de Oſſa imperitè ab Adverſario aſſeritur vixiſſe in Pontificatu octo tantum mensibus, cum ultra octodecim annos rexerit Ecclesiam, et proinde illius Bulla pro Armacanis data Pontificatûs anno quinto iniquè ex illo capite impugnatur a n. 385, ad 398.

Joannes 23 Balthazar Coſſa verus, et legitimus fuit Pontifex, qui indixit Concilium Conſtantienſe, præſeditque primis Seſſionibus uſque ad depositionem ob prægnantiſſima motiva a num. 398 ad ad 402.

Joannis Conſtantinopolitani intollerabilis arrogantia cui videntur approximare recentiores Dublinienſes n. 391.

Joannis Leach Dublinienſis attentatum n. 141, et 319.

Joannis de Lupè Bulla rejecta a Capitulo Caſletenſi ob defectum tituli competentis n. 145.

Joannis S. Pauli Archiepiſcopi Dublinienſis (qui Supervixit Innocentio 6°) Epitaphio convincitur fictitia deciſio præfato Innocentio adſcripta ab Allano, ſicut ex titulis aſſumptis ab aliis Archiepiſcopis n. 393, et 394.

Joannes Curceus Dublinienſibus addictus, ſed infenſiſſimus Ultonienſibus, unde illum in Ultoniâ ſtabilire voluiſſe Primatum minus eruditè aſſerit adverſarius n. 309. et a n. 313, ad 317.

Joannes Vivianus Legatus Apoſtolicus quid egerit in Hiberniâ n. 192.

Jocelinus luculenter Suffragatur Primatui Armacano Super totum Regnum n. 3, et 96. injuſtè incuſatur ab Adverſario n. 92, et 96. vindicatur a calumniis n. 312. Non fuit Abbas Ultonienſis (ut eroneè more ſuo tradit Adverſarius) nec Hibernus, ſed Anglus, et Monachus Cænobij Furnenſis in Anglià, neque Meliſæ ô Carrol jam præmortuo, poſt obitum Curcei qui diu poſtea ſupervixit (unde

(unde mireris Adversarij ita asserentis licentiam) dedicavit suum opus n. 309, 310, 311, 312, et 316.
Joseph ab Arimathea si verè in Angliâ fuerit, Apostoli titulum non obtinuit, nec ejus locus Sepulturæ Avalonia fieri meruit Primatialis a n. 304, ad 309.
Judex Appellationum ad Sedem Apostolicam solus Papa, vel ab ipso delegatus n. 391.
Jurisdictio Cantuariensium olim in Dublinienses, aliosque Danicos in Hibernià Episcopos quam infirma, et precaria n. 118, 166, 167, 168, 176, et 177.
Jus alteri acquisitum non tollitur, nec læditur per subsequens privilegium, nisi prioris in Secundo mentio fiat n. 70.

K.

KEnaunense concilium in quo traditis Quatuor Palliis Quatuor Archiepiscopis Cardinalis Paparonius *Armacanum in Primatem super omnes alios, prout decuit, ordinavit.* a num. 16, ad 19.
Kenanensis nunc Clunmacnocensis Diæcesis adjudicatur Armacano n. 90.
Kenulphi Regis Epistola pro Primatu Cantuariensi 37.
Ketinus vid Severinus.
Kilkenienſi in concilio primum post Nuncium Apostolicum locum tenuit Hugo Armacanus n. 27.
S. Kieranus unus ex Quatuor Episcopis qui in Hibernià prædicaverunt ante S. Patricium illiusque Magisterio sese subjecerunt a num. 195, ad 198.
Kilmainham vid Prior.

L.

LAici, et Potestates Sæculares opprimentes Ecclesias, earumque jura, et Redditus usurpantes a num 253, ad 269.
Laici sub prætextu Patronatûs, ac defensionis Ecclesiarum fundos, ac Possessiones sibi appropriarunt n. 257.
Lagenienſium Archiepiscopatus nulli olim certæ Sedi affixus fuit n. 62, et 166.
Lageniæ pars magna etiam jure Metropolitano subjacet Armacano n. 149, et 150, unde nequidem Lageniæ Primates nuncupari pos-

ſunt in vero Senſu Præſules Dublinienſes ibid. quicquid in contrarium jactat Adverſarius n. 147.
Lancelottus Buckleus Dublinienſis de præeminentiâ acriter contendit cum Armacano ſed poſt biduanam diſceptationem in pleno concilio Regio cecidit cauſâ n. 106, et 107. exceptiones Adverſarij contra Concilij decretum refelluntur a n. 105, ad 112.
Landavenſi, et Legionenſi Eccleſiis in Britanniâ præfecti fuerunt Archiepiſcopi, et Primates abſque pallio, quo tot Sæculis caruerunt Archiepiſcopi Menevenſes, qui interim Septem habuerunt Suffraganeos a num. 236 ad 240.
S. Laurentius Dublinienſis conſecratus fuit Dublinij a S. Gelaſio Totius Hiberniæ Primate n. 167, et 168, illique primum locum ceſſit ubique n. 13, et 132.
Leighlinienſis capituli Prouocatio a Curia Dublinienſi ad Armacanam n. 22, et 23.
Leo primus Sedem Armacanam totius Inſulæ Principem Metropolim conſtituit, contulitque pallium S. Patricio a n. 3, ad 6, n. 193, 229, et 377.
Lex S. Patricij ineptè interpretata ab Adverſario a n. 291, ad 293.
Liber fictitius quem Parlamentarium vocat Doctor Lynch poſt Rivium rejicitur a n. 113, ad 116.
Litterarum Apoſtolicarum falſificatio, quot, et quibus modis contingere poteſt n. 84, et 85.
Litteræ Patentes Reginæ Mariæ pro Primatu Armacano n. 338.
Litteræ Regum obtruſæ ab Adverſariis vid Regum Litteræ.
Loftus vid. Adamus.
Londinenſis Civitas olim celeberrima, nec tamen Primatialis n. 39.
Lucas Archiepiſcopus primus omnium Dublinienſium niſus ſe ſubtrahere juriſdictioni Armacanæ n. 137.
Lucij 3i. Diploma vid Bulla Lucij 3i.
Lugdunenſis, et Viennenſis Eccleſiæ uſurpantur a Laicis n. 262.
Lynchij Doctoris incohærentia, et Contradictiones. a n. 113, ad 116.

INDEX.

M.

S. MAcartenus post S. Patricium primus Clocherensis Episcopus num. 274.
Magistri antiquitatum Hibernicarum vid Quatuor Magistri.
S. Malachias Connerctensis Episcopus Mandato Metropolitani sui Celsi reluctans consecratur postea designante eodem celso promovetur ad Sedem Primatialem Armacanam n. 6, 7, 273, et 297. constitutus Primas acriter incubuit ad restaurandam disciplinam Tyrannicâ Laicorum profanatione callapsam, et feliciter restituit n. 249, 268, 269, 270, 277, et 296. post triennium abdicato Primatu substituto pro se S. Gelasio fit Dunensis Episcopus n. 269, 277, et 278. Romam proficiscitur pro Pallio obtinendo Armacanæ, et Cassellensi Ecclesiis n. 7, et 9. Legatus Pontificius per universam Hiberniam constituitur, et Legatino officio Zelosissimè incubuit n. 249, 271, 275, et 280. Pallium ipsi promittitur pro Metropoli Armacanâ ab Innocentio secundo n. 246, etsi differatur traditio ob motiva commemorata n. 252, Confirmationem novæ Metropolis Cassellensis a S. Celso erectæ obtinet sine traditione Pallij n. 7, 24, 242, 243, 279, et 297.
Margetsonus vid Jacobus.
Marianus Scotus Hibernus tamen natione pro Archiepiscopatu S. Patricij n. 194, et 406.
Maria Regina Georgium Armacanum suæ totius Hiberniæ Primatis Dignitati restituit exautorato Usurpatore Bruno Dublinensi n. 26, 126, 337, et 338.
Martellus vid Carolus.
Mazarius seu Dionysius Mazarius iniquè ab Adversario incusatus vindicatur n. 93, et a num. 345, ad 350.
Mechliniæ Primatus Belgij erigitur n. 35.
Melisa Armacanus alias Provincias visitavit n. 12, et 293.
Melisa, seu Malachias ò Carrol Armacanus nullam habuit cum Joanne Cummin contentionem, qui se inuicem non viderunt in Hibernià, ut falsò asserit Adversarius, nec vixit, cum Scriberet Jocelinus n. 309, 311, 312, et 317.
Mellifontensis Abbas, sicut et Episcopus Midensis electione Præsulum Armacanorum interesse olim consueverunt n. 129, et 135.

Mene-

INDEX.

Menevenſes Archiepiſcopi tot ſæculis ſine pallio etſi Septem haberent Suffraganeos vid Landaventis Eccleſiæ.
Metropolitani plurimi primis ſæculis sine pallio conſtituti ſuas exercebant functiones a n 231, ad 244.
Metropolitanis competebat conſecratio Suffraganeorum n. 118, 164, et 165.
Michael Boyle, et Narciſſus Marſhius Dublinienſes promoveri ſe curarunt ad Sedem Armacanam n. 122.
Mileſiorum progeniem ut deſcribit Ketinus n. 322, et 323.
Miracula S. Patricij affligentis detrahentes juribus ſuæ Sedis a n. 359, ad 364.
Moguntinus Archiepiſcopus Germaniæ Primas cum ſuâ ſimul Eccleſiâ etiam Trajectenſem rexit n. 117.
Mulſhachlini Regis induſtria extinctus Tyrannus Turgeſius ut deleti Dani n. 161, et 162.
Muriertachi, Terdelachi, ſicut et Avi Brienni Borroi Regum o Briennorum cruenta bella cum Dublinienſibus a n. 171, ad 174. permiſerunt ſubactis Dublinienſibus, aliiſque Danis Neophytis, in fide ut eorum Epiſcopi aliquandiù conſecrarentur a Cantuarienſibus a num. 175, ad 178.
Muriertachus Dublinienſes rebellantes tertiò perdomuit n. 173. illius pietas, et munificentia in Eccleſiam Caſſelienſem pro ſuo ſtudio erga S. Patricium illius Eccleſiæ Patronum n. 174. abdicato tandem Regno, et inito clericatu Armachiam Seceſſit, ibique piè obiit n. 179.

N.

NArciſſus Marſhius vid *Michael Boyle.*
Negationes quædam in ſenſu S. Bernardi, aliorumque Patrum quomodò intelligendæ a num. 222, ad 228.
Neotericorum morem in rejiciendis Authoribus, antiquis monumentis, et veteri Traditione mutuatur Adverſarius a num. 90, ad 95, nota præſertim n. 94.
Nicolia Armacani Bulla conceſſa a Joanne 22. num. 21, et 385, ubi ad num. 402, regeruntur objectiones Adverſarij.
Nicolai Epiſcopi Leighlinienſis contentio cum canonicis, qui primò provocaverunt Dublinium poſtea Armachiam n. 22, et 23. Normanni Gallicani et Norvegienſes ſeu Dani qui in Hiberniam appulerunt, communem habuerunt Stipitem n. 165.

INDEX.

O.

OBedientia quid sit, et potius obligationis debitum, quam devotionis obsequium probatur præsertim *omnis obedientia* num. 29 ; et 298.
Oericus Rynaldi pro Armacano n. 19, et 20, ex illius Scriptis commenta Allani de prætensâ decisione Innocentij Sexti manifestè deteguntur a num. 76 ad 81.
Officia Ecclesiastica testificantia jurisdictionem Primatialem Armacanam n. 5, et a num. 191, ad 194.
Ogygia meritò dicta Hibernia n. 330.
Oliverus Armacanus Appellationem a Curia Dublinensi admisit, et fine debito terminavit, ac insuper Tribunal tenuit Dublinij n. 24. contra competitorem prævaluit in Curia Romana n. 28, inanes circa illius Bullam Adversarij cavillæ referuntur a num. 345, ad 350.
O Neillorum familia iniquè ab imperitis reputatur usurpasse Ecclesiam Armacanam 250.
Ordinarius Metropolitanorum est Primas Regni, sicut illi respectu suorum Suffraganeorum n. 141.
Ossorienſis Diœcesis exemptio a jurisdictione Dublinensi n. 149.

P.

PAllium quid, et quando illius usus incepit in Ecclesiâ num. 229, et 231.
Pallium olim non nisi rarò, et magnas ob causas concedebatur ipsis Metropolitanis num. 231, et 232. quid præstare debebant illi quibus dabatur n. 252. Solus Romanus Pontifex illud confert n. 238.
Pallium quandoque concessum Episcopis inferioribus, qui nec Primates erant, nec Metropolitani n. 231
Pallium accepit S. Patricius a Leone primo n. 3, 229, et 230. de illius Authore discordia Scriptorum unde processit n. 228.
Pallio Patriciano nimis irreligiosè illudit Adversarius n. 55, 96, et 228.

INDEX.

Pallium in initio adfuiſſe, et defuiſſe ab initio quomodò cohæreat in vero Senſu, et ſubſiſtat a num. 216, ad 228.
Pallij requirendi cauſâ pro ſede Armacanâ concilium Nationale tenetur n. 246, et 247.
Pallia plura quam duo afferri per Paparonium ægrè tulerunt Hiberni n. 17.
Pallium primum Sedi Armacanæ conceſſiſſe Paparonium evincitur ex ejus geſtis n. 17, 18, et 85.
Pallium, et Primatum diſiungi poſſe liquet a num 231, ad 244, 372, et 373. cum plurimi fuerint Archiepiſcopi, Primates, et Patriarchæ non accepto pallio ibid.
Pallium primò conceſſum anno 738. Eccleſiæ viennenſi, etſi ab exordio Chriſtianitatis in Galliâ eſſet Archiepiſcopalis n. 235.
Pallium quinam petierunt a Benedicto nono, etſi violenter intruſo in Sedem Petri no. 294.
Pallium in conſiſtorio accipientibus Archiepiſcopis Armacano, et Dublinienſi: Armacanus quamvis conſecratione poſterior præfertur ob Primatialem Sedis præeminentiam n. 29.
Pallium denegatum S. Malachiæ perperam obtrudit Adverſarius n. 244, 246, et 247.
Paparonius Primatum Armacanum confirmat n. 16, et 17. honorificè exceptus Armachiæ a. S. Gelaſio n. 382.
Pariſienſis civitas Galliarum ſemper caput fuit, nec tamen Primatialis etiam poſt aſſecutionem Pallij n. 35.
Paſchalis Feſti error non fuit culpabilis in Hibernis n. 211, et 212.
Patriarcha vid Primas.
S. Patricius Archiepiſcopus, ſeu Archipontifex, et Primas Nationis Hibernicæ conſtitutus a Cæleſtino primo mittitur in Hiberniam, totam Inſulam ad fidem convertit, et propterea Summum habuit Epiſcopatum Hiberniæ per circuitum a num 191, ad 202. Metropoles erexit, et Archiepiſcopos inſtituit n. 197, et 198, ac 201. Jure merito Hiberniæ Apoſtoli titulum aſſecutus ibid, et n. 286, 306, et 307. Armacanam urbem et Eccleſiam ductu Angelico conſtruxit, ac Romam profectus totius Inſulæ Principem Metropolim authoritate Apoſtolicâ a Leone primo pallio inſignitus conſtituit a num. 1, ad 6. et a num 191, ad 194, n. 229, et 230.
S. Patricij animadverſio in violantes jura ſuæ Eccleſiæ, et Cleri n. 355, et a num 359, ad 364.

INDEX.

Pæna refragantium præeminentiis Armacanis ibid.
Pæna Dublinienſium propter Sacrilegium n. 368.
Penſio vid Redditus.
Petrus Dublinienſis primus omnium Catholicorum Præſulum, qui cum Armacanis de Primatu contendit n. 28, 362, 363. Romam provocat, et cauſâ cadit dict num 28, iteratis litteris a Clemente decimo efflagitat titulum Primatis, et repellitur attentatum n. 30, 77. 251. Libellum erroribus, corruptelis, et Scommatibus a num 30. ad finem uſque vix non ubique occurrentibus refertum compilavit, tandem reſipiscit, et veniam deprecatus eorum quæ egit, aut Scripſit contra Armacanos, eorumque præeminentiam in Glorioſâ confeſſione Spiritum reddidit n. 402.
Petrus Lombardus Armacanus eruditione clariſſimus n. 27, et 93.
Platonicam Caveam incolentes quid teſtarentur n. 200.
Polus cardinalis Apoſtolicus Legatus cooperatus Reginæ Mariæ reſtituendo Armacanis Primatum totius Hiberniæ n. 26, et 338.
Pontifices Romani Laicorum oppreſſione ac violentiâ intruſi n. 254, 257, 264, 265, 266, et 294.
Praxis Scribendi Summorum Pontificum n. 213, et 214.
Prædicatorum Definitorium vid Definitorij.
Primas et quidem Totius Hiberniæ cum indubitató ſit Armacanus non expedit, nec rationi, Canonibus, aut Hierarchico Regimini congruit, ut alius in hoc Regno parem dignitatem, aut poteſtatem aſſequatur n. 79, et 80.
Primates olim plerumque in loco Protoflaminum, ſeu Archiflaminum non habita ratione præcipuarum Urbium, vel capitum Regnorum ſubſtituebantur n. 48, vel ubi Apoſtoli Nationum ſibi, et Succeſſoribus Sedem fixerunt n. 31. 36, 37, 50, et Seqq.
Primates ſunt ordinarij reſpectu Archiepiſcoporum n. 16, et 141.
Primates plures in Gallia quam alibi ſe inſcribunt, et ob quam rationem, n. 53.
Primates quinque inferiores Africæ ſubdebantur Archiepiſcopo Carthaginenſi, utpote totius Africæ Primati n. 60, et 61, ac 233.

INDEX.

Primates Armacani sunt Vicarij Generales ad exercitum Regium n. 110.

Primates Protestantes exemplo præcedentium Catholicorum suum Tribunal tenent in Urbe Dublinienſi, et decidunt causas provocantium ex aliis Provinciis n. 24, 26, 101, et 182.

Primates, et Patriarchæ diversorum sunt nominum, sed ejusdem officij n. 48, 57, et 59. eorum dignitas, et jurisdictio ab exordio Ecclesiæ n. 32, et a num. 55, ad 62, n. 232, et 233.

Primatibus debent obedientiam Archiepiscopi, et ab his ad illos fit Appellatio, non vice versâ n. 16, 58, et 59.

Primatibus Armacanis cur accuratè Totius Hiberniæ titulus attribuatur in Diplomatibus Apostolicis a num. 338, ad 355, qui titulus si deficiat in Bullis Electionis Primatum non admittuntur a Capitulo, aut Clero Armacano ad possessionem n. 144, et 145.

Primatis nomine omnes in Hibernia tum Catholici, tum Protestantes Armacanum intelligunt, nunquam verò Dublinienſem, quem Archiepiscopum tantum appellant, sicut Cassellienſem, et Tuamenſem n. 26, et 105.

Primatis denominatio quomodo competat Eboracenſi n. 80, et 81.

Primatis Suarum Provinciarum titulum assumunt quidam Archiepiscopi, nullam tamen inde assecuti Præeminentiam Specialem, aut exemptionem, sed omnes Subjiciuntur Primati totius Regni n. 341, et Seqq.

Primatus definitio vid *definitio Primatus.*

Primatus Ecclesiæ Armacanæ authoritate Apostolicâ institutus a S. Patricio. vid *Armacana Ecclesia*, confirmatur a Summis Pontificibus, et asseritur a celeberrimis Europæ authoribus ibid.: ubi et in Sequentibus articulis sub eadem Nomenclaturâ reliquæ Primatum prærogativæ de visitationibus, indicendis conciliis Nationalibus, Appellationibus admittendis, &c. exprimuntur.

Primatus Armacanus ab Edwardo 6° ablatus restituitur a Reginâ Maria n. 25, 26, 125, 337, et 338. roboratur decreto Sanctioris Concilij sub Carolo primo n. 106, et 125, innititur etiam aliorum Regum Diplomatibus ac studiis quantum ad ipsos Spectabat n. 126, 178, 179, 292, 380, et 383.

Primatus Arelatenſis læsus decreto concilij Taurinenſis restauratur a Zozimo Papâ a num 49, ad 54.

Primatus, aliæque Dignitates Ecclesiasticæ emanant ab Ecclesiâ Romana n. 32.

INDEX.

Primatus Bituricenſis falſiſſimè aſſeritur ab Adverſario fuiſſe primus omnium Eccleſiarum a num 54, ad 62.

Primatus Cypri Salaminæ collocatus ob reverentiam S. Barnabæ Cypriorum Apoſtoli, qui ibi Sedem fixit n. 53.

Primatus ſui prætenſi nullum uſquam ediderunt Signum Dublinienſes a num. 128, ad 137, et n. 168. non de Primatu ubique attributo Armacanis, ſed de Erectione crucis in Urbe, et Provinciâ Dublinienſi prætextu exemptionis (quam primo oſtentavit Archiepiſcopus Lucas) omnis vertebatur contentio, quicquid in contrarium parum Sincerè obtrudit Adverſarius, uſque ad Petrum Dublinienſem n. 25, 28, a num. 137, ad 142, et a num 317, ad 321, ac n. 360.

Primatus Lageniæ Titulus incongruè attributus Præſuli Dublinienſi a Prædicatorum Definitorio n. 149.

Primatus in nullâ præcipuâ civitate, ſeu capite Regnorum Totius Europæ ſtabilitus fuit, ſed in aliis inferioribus n. 9, a num. 31, ad 42.

Primatus Titulus ſolis Armacanis conceditur in Bullis, et Diplomatibus Pontificiis n. 20, 21, 145, et a num. 343, ad 350, nunquam Dublinienſibus etſi ſæpius efflagitaverint a Sede Apoſtolicâ n. 30, 77, a num. 141, ad 149, n. 251, et 344. illis non Suffragatur commentum Allani vid Innocentio 6°.

Primatus Regii nulla fuit facta mentio in diplomatibus Edwardi 6, aut Reginæ Mariæ ut perperam aſſerit Adverſarius n. 25, 26, 337, et 338.

Primo additum in Regiſtro Dublinienſi corruptela probatur n. 84, et Seqq.

Principes, Patres, et Abbates, quâ ratione nuncupantur Præſules Armacani n. 335, et 336.

Prior de Kilmainham propter reſiſtentiam juriſdictioni Armacanæ in Urbe Dublinienſi excommunicatus, et poſtea reſipiſcens abſolutus a Richardo Primate n. 335. Adverſarij de hoc facto argutiolæ refelluntur n. 356, et Seqq.

Privilegium quid ſit n. 74.

Privilegium in præjudicium tertij obtentum quomodo intelligendum n. 66, 68, et 79.

Privilegium lite pendente impetratum non ſubſiſtit niſi in eo litis mentio fiat n. 68, et 139, nec quiſquam inauditus, vel ante definitivam

tivam Sententiam de suâ possessione est Spoliandus ibid: et n. 79.
Privilegium meretur amittere, illoque privatur qui extendendo ultra mensuram indultam permissa sibi abutitur potestate n. 67.
Privilegium præcedens non tollitur per posterius nisi prioris in Secundo mentio fiat n. 70.
Privilegium Papa concedens non intendit lædere jus alterius, nec ut illo utatur Indultarius injuriis alienis ibid.
Privilegium prætensum a Dublinienſibus vid Joannes Cummin.
Privilegium Scoolæ, seu Academiæ Armacanæ n. 13, et 308.
Privilegium Singularibus Personis a Summo Pontifice concessum ne a suis Nunciis, vel delegatis plectantur censuris non derogat jurisdictioni Ordinariorum nnum. 140, et 141.
Proculum Massilienſem ob usurpatam alienam et sublimiorem Dignitatem redarguit, et ipsa Sede Massilienſi privavit S. Zozimus Papa n. 112.
Protectores Ecclesiæ sunt Reges, et Principes Catholici n. 292, et 338.
Psalterium Tarah, seu Temoriæ, et Psalterium Cassellense celebratissima monumenta Antiquitatum hujus Regni n. 327, et 329.
Purcell Viduæ Appellatio Dublinio Armacham n. 24.

Q.

Quasi particula pro *tanquam* artificiosè substituta ab Adversario, quamvis longè differant n. 282, et Seqq.
Quatuor Magistri viri integerrimi, et rerum Hibernicarum Scientissimi cum aliis antiquitatum Scriptoribus ab Adversarij invectivis vindicantur a num 321, ad 331.

R.

Redditus annuus S. Patricio et Successoribus solvendus ab aliis Provinciis n. 161, et 292.
Reginæ Mariæ restituentis Primatum totius Hiberniæ Armacanis Diploma n. 26. 126. et 338.
Regij concilij pro Armacanis Sententia definitiva n. 106.

INDEX.

Reges Angliæ qui Primatum Armacanum quantum ad ipsos spectabat confirmarunt. n. 126.

Regum Hibernorum Munificentia, et Studium erga Sedem Armacanam, illiusque Primatum n. 6, 178, 179, 292, 380, et 383.

Reges, et Principes catholici constituti sunt Protectores Ecclesiæ pro Canonum executione n. 292, et 338.

Rex Hiberniæ, et Totius Hiberniæ quomodò differunt a num 339, ad 342.

Reges Provinciarum ex errore quandoque nuncupati Reges Totius Regni n. 340.

Regum Litteræ pro se obtrusæ ab Adversariis ex vitiato, et corrupto Registro Dublinienſi fictitiæ, vel omninò subreptitiæ censentur n. 85, 120, 124, 125, 148, et 354.

Reges Hiberniæ qui Dublinienses perpetuo Bello insectabantur a num. 170, ad 177. ubi patet quam insulsè (vid num. 168) imponat Adversarius veterum Hibernorum Reges voluisse Dublinij figere Primatum.

Registrum Armacanum iniquè incusatur ab Adversario n. 92, a num. 356, ad 360, 364, 365, et 367.

Registrum Dublinienſe figmentis, et corruptelis refertum; ac a fraudulentis compilatum nullam meretur fidem n. 85, et 86.

Reliquias S. Stephani, aliasque plures Româ Armachiam detulit S. Patricius n. 2, et 96.

Renatus Chopinus Armacanis testimonium perhibet n. 10.

Renuccini Nuncius Apostolicus n. 27.

Restitutio quid n. 338.

Rhemensis Ecclesia Primatialis facta, quia Sedes S. Remigij Francorum Apostoli n. 36, Tyrannica illius Ecclesiæ Usurpatio per Laicos n. 262. illius Præsul etsi indubitatus Archiepiscopus, et Primas multis annis caruit Pallio n. 252.

Richardus Armacanus doctus, et pius Præsul qui Munia Primatialia obivit Dublinij, et refragantes perstrinxit, adeo miraculis corruscavit, ut Bonifacius nonus Processum instituerit, et Bullam canonizationis efformaverit. Adversarij patitur invectivam, sed vindicatur a num. 350, ad 360.

Richardus Arsdekin malè mulctatur ab Adversario n. 96, et 97.

Rivius vid Thomas.

Robertus Venantius Primas n. 27.

INDEX.

Rodericus a Cunha pro Primatiali Dignitate Armacanâ n. 9.
Rotheus vid David.

S.

SAbalense Monasterium obitûs S. Patricij locus n. 2.
Salamina aliàs Constantia Cypri Primatu potitur, quia Sedes S. Barnabæ Cypriorum Apostoli n. 53.
Samuel Dublinienſis qui etsi Simplex Episcopus in angustâ Parochiâ Diœcesis Glandelacensis et intra muros coarctatus crucem ante se ferendam præsumpsit meritò reprehenditur n. 159, vid n. 89.
Sanguinis esus tot sæculis prohibitus fuit n. 42.
Schisma trium Capitulorum nunquam infecit Hibernos a. num 207, ad 211.
Scotiæ Primas fuit olim Eboracensis n. 80, et 81. postea Andreapolitanus n. 9, 35, et 80,
Sessionis Præsulum in Parlamento commenta Rivij, et Lynchij prætextu fictitiæ Sententiæ sub Jacobo primo, et imaginarij Libri Parlamentarij n. 101, 103, 104, 107, 111, 114, et 115.
Severini Ketini testimonia pro Primatu Armacano n. 15, 16, et 17, injustè accusatur ab Adversario n. 92, et 321 vindicatur a num 322, ad 330.
Spondanus Suffragatur Armacanis n. 10.
Stephani vid Reliquias.
Suffraganeæ Diœceses Armacanæ Ecclesiæ sunt x. n. 19. cum Dublinienſis Quatuor tantum Sortiatur ibid, ac. num 44, et 149.

T.

TAlbotus vid Petrus Dublinienſis.
Tanquam Supprimitur ab Adversario cujus loco substituit *quasi* inde volens invertere Sensum S. Bernardi, quâ particulâ *tanquam* abutuntur quidam Scioli a num 282, ad 287.
Tarah sive Temoria olim prima civitas, et Regum habitaculum n. 44, et 46.
Tautologiæ Adversarij a num 186, ad 190.
Terdelachi ô Brien prælia cum Dublinienſibus quos tandem Subegit n. 173.

INDEX.

Terenannus Armacanus vulgo Maclasire *Archipontifex Hiberniæ* miraculis conspicuus erroneam paschæ observationem corrigere satagebat n. 206.

Thomas Flemingus Dublinienſis Archiepiſcopus poſt Armacanum obtinuit locum in Concilio Nationali Kilkenienſi n. 27. item

Thomas Valeſius Caſſelienſis Archiepiſcopus in Concilio Caſſelienſi.

Thomas Meſſingamus alijque in commendationem Davidis Rothei ab Adverſario calumniis oppreſſi n. 98, 99, et 100.

Thomæ Rivij virulenta mendacia, et belluina rabies in Eccleſiam Armacanam, in clerum Hiberniæ, in Sedem Apoſtolicam, Summos Pontifices, et Catholicos omnes a num 101, ad 105, n. 190, ejus figmentum de Seſſione Præſulum, et commentitiâ Sententiâ ſub Rege Jacobo: vid *Seſſiones Præſulum*, exhauſtâ bile in Eccleſiam Armacanam poſtquam Innocentio Sexto indigniſſimam attribuit Sententiam factus mitior palinodiam canit, et deſerit cauſam Dublinienſem n. 111, 112, et 158.

Toletanæ Eccleſiæ ſuper univerſam Hiſpaniam Primatus confirmatur n. 284, et 285.

Totius Hiberniæ Primas quid importet, aut quomodò intelligatur a num 329, ad 345.

Tuamenſis Archiepiſcopi contentio cum Armacano, ubi primus Succubuit n. 19, 20, 90. et 374.

Turgeſius Danorum Tyrannus dirâ Servitute oppreſſit Hibernos, et partitus Eccleſias, et Eccleſiaſticos fundos inter ſuos Duces, et commilitones aſſumentes Sacrilegè nomen etiam et titulum dignitatum, ipſe utpote omnium Princeps Principem Metropolim Armacanam uſurpavit, quo extincto Regis Malaghlini induſtriâ, et fugatis Danis, illorum fatale, et contagioſum Exemplum imitati ſunt Darij Dynaſtæ poſteriores, aliique Proceres Hiberniæ, unde contigit diſſolutio deſcripta a. S. Bernardo vid num 161, et 162, a. num 253, ad 260.

Turpinus Rhemenſis Archiepiſcopus non niſi poſt quadraginta Sedis annos Pallium obtinuit ab Adriano primo, idque precibus Caroli Magni n. 252.

Tuſculanenſium comitum aliorumque Laicorum oppreſſio, et Violentia in Eccleſiam Romanam n. 257, 264, 265, 266, 267, et 294.

INDEX

U.

UAlentini R. Parochi, et Canonici Dublinienſis Appellatio ad Primatialem Sedem Armacanam n. 24.

Verbum *Primo* interlitum, ac fraudulenter inſertum Bullæ Innocentij tertij falſificationem demonſtrat, ac nullam mereri fidem Scatens corruptelis Regiſtrum Dublinienſe a num 82, ad 87.

Vicarij ad Regium Exercitum ab antiquo conſtituti fuerunt Pi[illegible]les Armacani n. 110.

Vicariatûs, vel Primatûs Regij nulla fuit habita ratio, aut facta mentio in diſpoſitione Edwardi Sexti, in Diplomate Reginæ Mariæ, aut Decreto Sanctioris concilij contra erroneam aſſertionem Adverſarij n. 25, 26, 106, 109, 110, 337, et 338.

Viennenſi Eccleſiæ etſi antiquitus Archiepiſcopali primum Pallium conceditur ſæculo octavo n. 235, quæ cum Lugdunenſi barbarè oppreſſa fuit a Laicis n. 262.

Vindicta in refragantes juribus Armacanis a num 359 ad 364.

Viſitatio Primatum per cæteras Provincias vid *Armaci cæteras.*

Ultonienſium Regum Habitaculum Emania Armachiæ contigua num 376.

Ultonienſes Annales quanti faciant Accuratiores hujus Regni Scriptores n. 331. illorum tamen vel Authorum Ultonienſium teſtimonio non utitur hujusOpuſculi compilator ob rationem commemoratam n. x. 157, et 336.

Ultonienſis non fuit Jocelinus, nec Hibernus (unde mireris Adverſarij confidentiam) ſed Natione Anglus, ſeu Cambrobritannus vid Jocelinus.

Votum Dublinienſium vid Dublinienſium votum.

Urbani Quarti Bulla confirmantis Primatum Armacanum n. 20. inanes Adverſarij captiunculæ contra illam Bullam regeruntur a num 371, ad 376.

Urbes primariæ, ſeu capita Regnorum Totius Europæ carent Primatu n. 9, 35, 36, et 41.

Uſurpabantur Sacrilegè a Laicis vix non ubiquè Primariæ Eccleſiæ, et Dignitates Eccleſiaſticæ a num 262, ad 268.

Uſurpatores Sedis Armacanæ velociter extincti cum totâ Progenie n. 249, quibus omnibus deletis ineptè comminiſcitur Adverſarius metu

metu illorum insolentiæ Innocentium Secundum denegasse Pallium S. Malachiæ a num 244, ad 251. pari ineptitudine fingit ob illorum Scelera Hiberniam venisse in Anglorum potestatem n. 260, et 261.

Usurpatores Supremæ Romanæ Sedis n. 254, 257, a num 264, ad 268, et 294.

Usserus vid Jacobo Ussero.

W.

WAreus in Antiquitatibus Hiberniæ optimè versatus, et Dublinij natus fusè suffragatur Primatui Armacano n. 14, 18, 25, 26, 95, et alibi passim.

Watersordienses et Limericenses primi Episcopi sub Danorum regimine eodem ducti motivo, quo Dublinienses aCantuariensibus consecrabantur a num 160, et 167.

S. S. Willebrordus, et Switbertus hic Westphaliæ, ille Frizonum Apostolus cum innumeris pænè aliis Sanctitate et Doctrinâ celebratissimis, plurium Nationum Præconibus Evangelicis Alumni fuerunt Academiæ Armacanæ n. 378, et Seqq.

Willebrordus Frizonum Archiepiscopus sine Pallio, aut certâ Sede, quemadmodum et S. Augustinus Archiepiscopus Gentis Anglorum consecratus fuit n. 373.

Wolsei Cardinalis in evertendis Quadraginta Monasteriis Administer fuit Allanus n. 78.

Z.

ZOzimus Papa Decretum Concilij Taurinensis in litigio Arelatensium, et Viennensium abrogavit a num 49, ad 54, Proculum Massilienſem ob usurpatam alienam, et Sublimiorem Dignitatem e propriâ Sede dejecit n. 112.

Profecutio ejuſdem Argumenti

PRO PRIMATU ARMACANO

CONTRA

ANONYMUM.

Approbatio Doctorum.

Tractatum expendimus præferentem Titulum Prosecutio ejusdem Argumenti pro Primatu Armacano contra Anonymum: cujus Author optimis Testmioniis depromptis ex Bullis Pontificiis, jure Canonico, et celebrioris notæ Scriptoribus egregiè rem prosequitur, atque Anonymi pleniſſimè regerit Argumenta. Nihil in eo quod fidei catholicæ, aut bonis moribus repugnet, deteximus. Quapropter dignum censemus, qui in communem omnium usum prælo committatur.

Th——————s A——————s.
B——————s C——————s.

Pervolvi Tractatum inscriptum Prosecutio Ejusdem Argumenti contra Anonymum Ecclesiæ Armacanæ Primatiales Prærogativas diriſſimè proscindentem. ac pudendis figmentis, et corruptelis illudentem Lectoribus opprimendo veritatem: qui quàm fruſtra laborarit ex ſolidiſſimis Propugnantis refutationibus quilibet vel tenuiſſimæ Minervæ illico concipiet: Et cum nihil fidei, aut Moribus repugnans complectatur, dignum arbitror qui præli beneficio divulgetur.

MICHAEL REILY.
Juris utriſquè Doctor,
et Us. Gs. Ks.

Prosecutio



Prosecutio ejusdem Argumenti

PRO PRIMATU

ARMACANO

CONTRA

ANONYMUM.

1. PERACTO utcunquè præcedenti opusculo casu obvenit Scriptum (ni malis Satyram appellare) virulentis conviciis, et mordacibus invectivis Armacanos, eorumque Ecclesiæ Prærogativas atrocissimè proscindentibus refertum. latitavit illud per aliquot annos, seu potius clandestinis meatibus serpsit de loco in locum, et de Provinciâ in Provinciam (accitis ad arcanum etiam ipsis Laicis) per manus conspirantium accuratè caventium ne innotesceret iis, qui unicè impetebantur, quamvis juxta regulas charita

charitatis, et fraternæ correctionis Matt. 18. et ad Galat. 6, si verè præoccupati fuissent in aliquo delicto, priùs monendi erant privatim, et in Spiritu lenitatis, quam hujusmodi contumeliæ Spargerentur in vulgus.

2. Et quia nec nomen, nec indicium quo dignoscereturr, apposuit compilator,(qua reticentiâ infirmitatem carioſæ suæ causæ manifestat) Susurrabatur de industria opus fuisse præclarissimi ChristophoriC—s ut sub tanto auspicio sine ulteriori indagine incautis Lectorum Mentibus irreperent Sensim Errores: quemadmodum exposititij fætus ad ignotæ, et obscuræ originis propulsandam infamiam, ex putativi (quem ementiuntur) Parentis dignitate Splendorem, et Ornamentum quandoque aucupantur.

3. Non tamen passus est Insignis Vir tantam labem irrogari famæ suæ, sed Authorem se penitus denegavit, enixèque flagitauit liberari ab hujusmodi imputatione. at quomodo istud, si (ut percrebescit rumor, et dicitur ipse fateri) opus approbavit, et Apographa transmisit ad remotos? quoniam Actor, et Assessor, seu consentiens parem contrahunt culpam, et pari pæna plectuntur: *can tanta dist* 86: *can Qui consentit* XI. *quæst* 3. *cap.* 1. *de off judic delegat*: et prædocuit Apostolus *ad Rom.* 1. ac juxta Regulam Moralium Palpo tenetur de facto principalis delinquentis: et ratum habere post factum, ac consensisse ab initio paria sunt: *cap cum nos de his quæ fiunt a Prælat sine consens* &c. *cap cura*: et *cap suggestum de jure Patron*: imò ratificans dicitur Author facti, *Bald in L. in Summa §. Cassius ff. de aqu. pluu arcend, Decius* 3°. *notabili in L. cum fundus ff. si cert pet.* nam ea nostra facimus quibus authoritatem nostram impertimur. L. 1. § Sed neque cod. de veter. Jur. enucl.

4. Prodiit illud Scriptum Sermone Anglico, quippe magis ad captum Vulgi illiusque applausum, et Suffragium capessendum accomodato: quamvis quicquid litigij inter Ecclesiasticos de Ecclesiæ juribus exurgit, non vulgaribus intimandum forsitan expediret, sed reservandum discussioni, et decisioni supremi judicis, qui tenuissimam, vel certè nullam præsumitur habere intelligentiam idiomatis Anglicani.

5. In decursu hujus Tractatuli detegemus quot pudendis fictionibus, corruptelis, adulterationibus Textuum, commentis, et imposturis scateat illud opus: patebitque specialiùs suis locis quâ animi incle, mentiâ, quibusque diris Author insectetur Antistites Armacanosquos absque conscientiæ remorâ *Superbos* pronunciat, *ambitiosos*

ambi-

ambitionis tumore inflatos, cum Scribis, et Phariſeis *amantes primos recubitus in cænis, et primas Cathedras in Synagogis, et Salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi, uſurpatores, et Invaſores alieni juris, dominatui in Coepiſcopos, et coæquales inhiantes, Ochamiſtas totam vim ponentes in nominibus impudentes, maxime temerarios, et præſumptuoſos*, adeo " protervos, incorrigibiles, ambitûſquè ſtimu- " lis agitatos, ut nulla affulgeat ſpes emendationis.

6. Imo ſub exiguâ modificatione illis adaptat quæ de Principe Dæmoniorum primoquè Superbiæ Architecto Luciſero profert Iſaias propheta cap. 14. *exaltabo ſolium meum, Sedebo in Monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium.* taleſ. que tandem traducit, qui " nullum putarent Sampſonem ſuis extra- " vagantibus prætenſionibus poſſe obſiſtere, ſed rati totam Hiberniam " nimis arctam, novi mundi molirentur dominatum, nec unus " Sufficeret Orbis." ita diruptis omnis moderationis, charitatis, et communis Urbanitatis repagulis debacchatur in Præſules Catholicos, qui obitis accuratè Primatialibus Muniis per hanc inſulam, piæ converſationis commendationem habuerunt, quorum pluers in mercedem laborum pro Dei gloriâ, Eccleſiæque utilitate exantlatorum cæleſtem Coronam conſecuti in Teſtimonium eximiæ Sanctitatis Signis, et miraculis clarificantur.

7. Ratione convincendus eſſet (monente S. Auguſtino Epiſt. 48. ad Vincentium) non Scommatibus, aut calumniis opprimendus qualiſcunquè Adverſarius. ſed contrariam præfert Semitam noſter Anonymus, et ex Suâ obſcuritate fiduciam aſſumens commeritis flagris non plectendam Perſonam, ad inſtar Lemurum Nocturnorum ſtrepitus edit, ac fragores, et mordaciſſima convicia jaculatur e latebris faciem obnubilans ne dignoſcatur: quia nulli Prædonum inſolentius graſſantur in itinerantes, quam qui ſpe impunitatis incedunt laruati. Et quibuſdam diffamandi libidine percitis placet mutuari Machiavellicum illud, *calumniare fortiter, aliquid adhærebit. Sed bene* (ait S. Hieronymus Apol contra Ruffin) *quod malitia non habeat tantas vires quantos conatus: perierat enim innocentia ſi Semper nequitiæ juncta eſſet potentia, et totum quicquid cupit calumnia prævaleret.*

8. Pergit tamen Anonymus, et non contentus inſimul hujus Nationis Hiſtoricos, tam qui res Sacras quam profanas exararunt, immaniter arrodere, etiam Papam Urbanum Quartum prævaraicationis

nis canonum, et proditionis Utilitatis communis infamiâ adurit, *apud quem major fuerit unius fratris voluntas, quam observantia debita Sacratissimis Sanctionibus, aut utilitas universæ Domus Dei.* imo ipsum Glorioſissimum Apoſtolum noſtrum S. Patricium Uſurpationis, et intruſionis inſimulat, qui (ſi credimus criminatori) contra Regulas Eccleſiaſticas, et inſtitutionem Pontificiam nefariè in Momonienſes juriſdictionem, et poteſtatem arrogare attentarit. Indignaris Lector, et Chriſtiano Zelo commotus exeandeſcis ad tam veſanam impietatem, et præfractam licentiam iſtius Tenebrionis, qui vibratis virulentiæ jaculis triumphabundus laceſſit Armacanos ſi *congredi valeant, vel audeant. We bid defiance, we dare Armagh.* ut alia leviora ejus probra paſſim occurrentia modò omittantur.

9. Quis autem æquus rerum æſtimator ægrè ferat ſi, ad retundendam tot malignantium criminationum aciem, tumidè inſultantem, indulgentiùs tamen quam promeruit, acerbè ſubindè perſtringam, eique annunciem *Scelus, et peccatum Suum Mich* 3. quoniam Sicut urtica ſi leniùs attingatur, gungit, ſi fortiter comprimatur, hebeſcit: ſic calumnia molliùs increpata acriùs plerumque inſoleſcit, ſi duriùs reprimatur, obmuteſcit. quid prodeſt (inquit Gildas apud Uſſerum de primord pag 552) vulnus manu tantum palpare, unguentoque ungere, quod tumore jam, vel fœtore horreſcens canterio, et publico ignis medicamine eget? nec vitio (ſpero) verti debet obſequium delatum ſacro eloquio Proverb 26. *Reſponde Stulto ſecundum Stultitiam ſuam ne ſibi Sapiens eſſe videatur.*

10. Etenim ut ait S. Hieronymus in Ruff, *Culpa in eum referenda qui laceſſivit*, et ad S. Auguſtin, *ſi culpa eſt reſpondiſſe, multò major eſt provocaſſe*, et *humanitatis, atque juſtitiæ eſt accuſantem reprehendere, non reſpondentem*, et S. Baſilius *ad calumnias tacendum non eſt, non ut contradicendo nos ulciſcamur, ſed ne mendacia inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos qui ſeducti ſunt, damno inhærere ſinamus.* et S. Gregorius hom 7 in Ezech. *ſi de veritate Scandalum ſumitur, utilius permittitur, quam veritas relinquatur*, et S. Auguſtinus contra Creſc lib 4, cap 61. *non eſt arrogantia vel quærere, vel aſſerere veritatem*, quam e figmentorum (quæ Anonymus veritatis larvâ obducit) latebris in lucem, conſpectumque publicum educere mens eſt nec in re tantâ ſilendum duximus: non quod Armacanas Prærogativas novorum documentorum, aut ulteriorum teſtimoniorum (præter alibi adducta) patrocinio egere putemus: Sed ne

homines

homines vel nimis incauti, vel parum eruditi, cum in obtrusa a Criminatore commenta inciderint, silentium nostrum pravo Sensu interpretentur, et quod apertis rationibus revincere non possemus, tacitum præterire voluisse credant.

11. Procedendum itaque eodem ordine, quo præcessit Anonymus, qui veluti positus in specula contra imminens exitium excitaturus Socordes, in ipso vestibulo classicum canit, seu verius Seditionum fomenta disseminat; dicens: *Jam tua Res agitur, paries cum proximus ardet*, et suis Philippicis præfigit Titulum. *Primatus Armacanus in verâ luce, et nativis coloribus exhibitus.* Sed quàm alienis, lividis, emortuis, et ementitis coloribus delineaverit Pictor ineptus, tam ex dictis præcedenti opusculo, quam ex dicendis, sensati cujusli-bet Lectoris judicio submittitur. Qui a Poeta Ethnico fundamentalem superstruendæ Epithesis lapidem desumpsit, Religioni non ducit, perverso sensu in Armacanos contorquere Evangelica verba Matt 23. *Amant primos recubitus in cœnis, et primas Cathedras in Synagogis, et Salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi*; acerbè deplorans humilitatis (si Superis placet) eximius cultor, et acerrimus vindex " non novum, aut peculiare nostro Sæculo, vel Pa-" triæ videre eos, qui prædicatores esse deberent humilitatis, et imi-" tatores *annihilati Dei* (sic enim pronunciat) sitibundos ambire " potestatem, et dominatum in suos æquales: cujus rei dicit recens " domi contigisse Exemplum; " concipis Lector, ad quem collimet.

12. Adverteret tamen quod Sicut extiterunt a primis Sæculis viri refractarij, et indisciplinati legitimæ potestati se subducentes, ac Hierarchicum Regimen satagentes subvertere, ita repertos Sanctissimos, et vigilantissimos Præsules (quorum nonnulli recensentur in præfatione præcedentis Opusculi) strenuè vindicantes jurisdictionem Suarum Sedium, et Prærogativas contra usurpantes, et affectantes independentiam, nihil moratos obscuri ullius antiquioris, vel recentioris Tenebrionis improperia, ne jure suo uterentur in Metropoles, ac Provincias sibi subditas, et plecterent protervos. Noverunt enim quemlibet, cui livoris tabes rationis aciem non infecerit, ritè percipere ambitionis artem non esse, sedulò tueri potestatem suis Ecclesiis, et Prædecessoribus a suprema Sede indultam. Moneret Auditores suos,

ſuos, et Clientes Anonymus manifeſtæ potiùs ambitionis videri argumentum velle ſe ſubtrahere legitimæ Authoritati.

13. Et ejuſmodi arguit Epiſt 22, ad Anaſtas Theſſalon; ac Chriſtianam humilitatem inculcat Leo Papa his verbis: " qui ſcit ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe dependat——— " Diſcipuli enim Sumus humilis, et mitis Magiſtri dicentis: *Diſcite a me quia mitis ſum, et humilis corde*" idem, et iiſdem pænè verbis tradidit Vigilius Papa Epiſt ad Eleutherium: vid *can Qui ſcit*, et *can qui Se* 2, *quæſt* 6, et docet S. Thomas 2ª 2æ quæſt 69, art 3, ad 1, ac quæſt 104, art 5, in corp. *Pateſtati inferiori in tantum aliquem ſubjici debere, in quantum Superioris ordinem ipſe ſervat, a quo ſi exorbitaverit, ei ſubjici non oportet.*

14. Comparationem inſtituit Anonymus inter Præſules Hieroſolymitanos, et Armacanos indimensâ (juxta illum) ambitione, et faſtu conſimiles, niſi quod poſteriores in attentato magis deſtituantur plauſibili prætextu, adeoquè præ aliis reprobandi, omiſsâ verbosâ cenſoris dicacitate non niſi ſonum edente, et verberante aerem, ut pateat quàm turpiter, et imperitè hallucinetur, Simplex facti enarratio explorabit. Epiſcopis Hieroſolymitanis in concilio Nicæno primo indulſerunt Patres primum in Synodis æcumenicis locum poſt Patriarchas, monentes tamen nullam per hoc affecuturos novam juriſdictionem, nihilquè propterea detrahendum authoritati Sui Metropolitani Cæſareenſis, cui ſuberant, Sicut ipſe Cæſareenſis Patriarchæ Antiocheno unde conſtat in Provincialibus Paleſtinæ Synodis poſt Archiepiſcopos Cæſareenſes ſediſſe, et Subſcripſiſſe Præſules Hieroſolymitanos: ita contigit in Synodo adverſus Quartadecumanos habitâ Cæſareæ præſidente Theophilo Cæſareenſi, eiquè aſſidente Narciſſo Hieroſolimitano, ſicut tradit Evſebius hiſtor Eccles lib 5, cap. 23.

15. Et in Dioſpolitanâ an 415, coactâ contra Pelagium, cui præſedit Cæſareenſis Evlogius, illique proximus aſſedit Joannes Hieroſolymitanus præſentibus aliis duodecim Epiſcopis, quos ſingilatim nominat S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap, 5. attamen poſtea nullâ veri ſpecie immixus Joannes Hieroſolymorum Antiſtes, niſi quia Origenis erroribus imbutus verebatur legitimorum Superiorum cenſuram, contra Statutum Nicænum, et antiquam conſuetudinem ſubducere ſe attentavit authoritati Metropolitæ Cæſareenſis,

ac

ac etiam Patriarchæ Antiocheni, et ad Theophilum Alexandrinum (ut illius gratiam istâ adulatione demereretur) querimonias direxit. unde meritò a Patribus ejus temeritas reprehenditur.

16. Sed quid hoc commune cum Armacanis ab omnium Dignitatum institutrice Sede Apostolicâ Constitutis totius Hiberniæ Primatibus cum jurisdictione et potestate in reliquos Archiepiscopos, Episcopos, totumque clerum? quorum Prædecessores a primordiis Ecclesiæ nostræ consueverunt visitare cæteras Provincias, causas inde devolutas decidere, indicere concilia Nationalia, iisque præsidere Authoritate Primatiali-colligantur exhibita præced opusc a. num 1, ad 30, ac iterum recensita in Epilogo. et numquid non potiùs Joanni Hierosolymitano comparandi recentiores quidam Præsules hujus Regni parili attentato affectantes exemptionem, ac independentiam a suo capite? imo longè præ Joanne censurandi, cum nisu demirando præsumant nullum agnoscere Superiorem sub Summo Pontifice, et ille non nisi objectum mutaret deferendo Alexandrinis, quod Antiochenis, et Cæsareensibus debebat obsequium, ut monstrat S. Hieronymus epist ad Pamachium contra errores dicti Joannis, sic illum alloquens.

17. " Tu qui Regulas quæris Ecclesiasticas et Nicæni concilij " canonibus uteris responde mihi ad Alexandrinum Episcopum Pa- " lestina quid pertinet? ni fallor hoc ibi decernitur, ut Palestinæ " Metropolis Cæsarea sit, et Totius Orientis Antiochia. aut igitur " ad Cæsareensem Archiepiscopum referre debueras, cui Spretâ com- " munione tuâ communicare nos noveras, aut si procul expetendum " judicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ; sed novi " cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere: maluisti occu- " patis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano " tuo honorem reddere.

18. Quærendum esset ab Anonymo, num Præsules Cæsareenses, et Antiocheni, aliique recensiti in commemoratâ præfatione, ac etiam ipsi sui Clientes tres alij Archiepiscopi Hiberniæ cum millenis aliis per orbem Catholicum exercendo jurisdictionem in Subjectos respectivè Metropolitanos, Episcopos, Provincias, aut Regna decederint a professione veræ humilitatis, et imitatione *annihilati Dei?* et cum id asserere sine supina imperitia, et stupenda licentia nequaquàm possit, vel ausit, non nisi iniquè effrænatæ ambitionis, et prævaricationis incusat Armacanos, similiter utentes jure suo, ad quod ex debi-

to officii, et Dignitatis obstringuntur. quippe eadem Apostolica institutione assecuti Pramatialem Authoritatem Super omnes Metropolitanos, et Provincias Universi Regni, qua ipsi Metropolitani præsunt Suffraganeis suis.

19. Ut dissimulemus quam parum modestè, aut reverentèr loquatuor de BullisPontificiis pro suo Primatu exhibitis ab Armacanis, quas Cynico Supercilio *ambigua fragmenta* vocat, et *fumosas pargamenas*: " declamat quosdam S. Patricij Successores parùm, vel nihil " participantes de Evangelica illius humilitate, moderatione, et " Sanctitate, sed inflatos spiritu ambitionis ob *immensas opes*, et multitudinem peregrinantium ad Scrinium Sancti Patroni, et Caveam, nullum non movisse lapidem ad erigendam Suam potestatem Episcopalem, et usurpandam Dominationem super reliquos Coepiscopos.

20. At hoc in dicatulo inconsiderantis animi manifestum indicium est. Quamvis meritò fatendum (proh dolor) nonnullos enormitèr prævaricatos fuisse (quod frequentissimè contigit in aliis sublimioribus, et primariis Ecclesiis vid P. opusc a num 262, ad 268) et humanâ fragilitate Succubuisse tentationibus, quæ communis est miseria in hac mortali peregrinatione non officiens Dignitati, aut Sedi (vid dict num 262) plurimi tamen fuerunt humilitate, et Sanctitate celebratissimi, ac inter Cælites relati, qui a tempore S. Patricij Primatialem suam potestatem in Universum clerum hujus Insulæ acerrimè vindicarunt, et fideliter obierunt.

21. Utinam qui novissimis temporibus præfuerunt Sedibus, Seu Provinciis Sanctorum Alphæi, et Fiechi (vid P. op a num 196, ad 202) eorum induerunt humilitatem, et moderationem: nullum intercederet litigium, aut contentio de agnoscenda, vel exhibenda Subjectione debita Successoribus illius, qui ad Archiepiscopalem Sublimitatem evexit præfatos Sanctos suo Institutori pro se, et Subrogandis canonicum perpetuò deferentes obsequium, imò ipse censorius Anonymus, si quod forte profiteretur Regulare institutum, ac sui fundatoris mores imitando accurate Regulas exequeretur, non tam immaniter diruptis modestiæ, justitiæ, Simul et charitatis repagulis famam proscinderet vivorum et mortuorum.

22. Et recens est memoria eorum, quæ in illum finem egit Illmus Oliverus post Glorioſum Martyrium adeo Signis, et miraculis coruscans, ut caput, et membra in varias deportata Regiones (Caput autem

autem conſervatur in hoc Regno) integra, et incorrupta permaneant fragantem Spirantia odorem, etſi provocantes ex aliis Provinciis ad ſuum Tribunal admiſerit, et deciderit cauſas devolutas, ac uſque ad mortem ſtrenuè propugnaverit jus Primatiale Armacanum, de quo etiam Librum Typis evulgavit, et alium longe accuratiorem, (qui excidit in nupero Bello) paratum habebat ad prælum, dum raperetur ad Martyrium: quæ omnia a calumniis, et criminationibus inſimulati ambitûs, Uſurpationis, et Superbiæ detinerent quemcunque pietatis, et Chriſtianæ modeſtiæ penitus non oblitum. Sed reperiuntur non rarò, in quibus adimpletur illud Pſalmi 72. *poſuerunt in Cælum os ſuum, et lingua eorum tranſivit in terra.*

23. Imperitè inſinuat Caveam, vulgò Purgatorium S. Patricij jacere in Angulo Urbis, vel Eccleſiæ Armacanæ (quo prodit parum, vel, nihil ſibi notam, niſi de Solo auditu, laborioſam illam peregrinationem, cujus etiam locum ignorat, et obſervantiam mavult cachinnis excipere, ac calamo eminus arrodere, (vid inferius num. 314.) quam comminus pœnalis ſubire rigorem Nouenæ ſemel de die victitando Avenaceo pane, et Aquâ) cum tamen multis Milliaribus inde diſtet in infima parte Diœceſis Clocherenſis, et Dungalenſi Comitatu: quod ergo præſidium ex eo confluentium numero habentes irrefragabilia Diplomata Summorum Pontificum deſumerent Armacani? nil refert: quoniam innotuit quod ob ſuſceptas ex toto orbe Peregrinationes Hieroſolymam, prætextum arripuit Juvenalis Hieroſolymitanus ambitioſè quærendi in concilio Epheſino totius Paleſtinæ Primatum (unde acerbe illum objurgavit Leo Papa) iniquam comparationem inſtituit parile attentatum affingens Armacanis, quos ineptiſſime prognoſticat eâdem cenſura carpendos a Romanis Pontificibus, quâ S. Leo perſtrinxit Juvenalem. Armacani autem nuſquam indigent, aut utuntur hujuſmodi ineptiis, ſed unice innituntur Bullis Apoſtolicæ Sedis omnium Dignitatum, et Sublimiorum Apicum inſtitutricis, cujus Sedis conſtitutionem ſi pro ſe Juvenalis, aliique Hieroſolymitani exhibere, et evincere poſſent, nullam ſuæ juriſdictionis exercendæ per univerſam Paleſtinam (niſi forte a protervis, et rebellibus) paterentur remoram, aut repulſam.

24. " Quam *temerarium* (ait) et minimè canonicum fuerit illud " ausum Armacanorum *palpabile* reddit, et *conspicuum* Simplex hiſ- " toria eorum, quæ contigerunt ſub Papatu Evgenij tertij, cum " *manifeſtum* ſit eouſque in hoc Regno incognitum fuiſſe Pallij " uſum, ſine quo nulli Armacano Antiſtiti licuit exercere vel mini- " mum actum jurisdictionis in ullum Simplicem Epiſcopum Hiber- " niæ.

25. Pace tamen Cenſoris parum urbani luculenter probatum eſt P. op a num 219. ad 231 Pallio donatum S. Patricium a Leone Magno. præterea ſatis patet ex claris indiciis tot Sanctos ejus Succeſſores obeuntes Munia Primatialia per totum Regnum Pallia aſſecutos a Pontificibus contemporaneis uſque ad irruptionem, et Tyrannidem Danorum (vid ibid a num. XI. ad 16, et num. 247) et quamvis ultro poneremus quod nullus eorum gratuito illo honore fuerit inſignitus, perſpicuum eſt ex adductis citato opuſculo a n. 231, ad 244. ad erigendas Metropoles Eccleſiaſticas, et exercendas functiones Archiepiſcopales non fuiſſe penitus neceſſarium uſum Pallij ante Sæculum duodecimum, ac innumeros pene extitiſſe veros reſpective Patriarchas, Primates, et Metropolitanos, priuſquam ulla reperiatur mentio Pallij in Geſtis Romanorum Pontificum, ad quos tamen unice, et privative ſpectabat illud indulgere de corpore S. Petri *cap Significaſti de Elect.*

26. " Denegatum dicit Pallium S. Malachiæ, donec accederet to- " tius Nationis conſenſus, quem non obtinuit niſi ſtipulatâ conditi- " one quod idem honor conferretur tribus aliis Metropolitanis: tam " cauti erant (ſic comminiſcitur) Pontifices, ne quidquam innovare- " tur in rebus Spiritualibus, et adeò averſabantur Incolæ cujuſlibet " Provinciæ in ullâ aliâ diſtinctâ erectionem ſuperioris Tribunalis, " quod poſſet cæteris imperare; quapropter generalis conventus to- " tius Nationis Papali Mandato aggregati conſenſu ſtatutum fuit " tanquam optimum temperamentum, ut quælibet Provincia per " ſuum ſpecialem Metropolitanum regeretur independenter ab alio, " et ad illum finem miſſus ab Eugenio tertio an 1152 Legatus Jo- " annes Paparo Cardinalis cum quatuor Palliis, illa diſtribuit Quatuor " Archiepiſcopis *æqualem inter ſe habentibus poteſtatem*, inhibendo " ne ullus ſe extenderet ultra terminos ſibi aſſignatæ Provinciæ in " præſentiâ totius conſeſſus, omnibus applaudentibus, et partibus, " utrinquè plenè acquieſcentibus." ita Anonymus.

27. Sed

27. Sed liceat percontari unde collegerit infamem hunc acervum tot palpabilibus, et confictis erroribus conflatum? aut quâ temeritate nullum adhibendo Teſtem, vel Monumentum, contra fidem hiſtoricam, et notorietatem publicam commentis ſuis, ac imaginariis conceptibus aſſenſum præſtoletur, qui cenſet nullatenùs credendum niſi exhibito Autographo? (vid inferiùs num. 133) ingens certe ineſt homini imponendi libido, quâ ſibi perſuadet abſque ullo examine a Lectoribus fidem habendam eſſe, dum audet tam pudenda figmenta illis ingenere, cum ejus plerumque quælibet pars enarrationis e regione opponatur Veritati, et de rebus variis, atque graviſſimis æque falſò, ac confidenter plura perhibeat, gnarus probationis loco multis frontem eſſe, cujus commune infortunium eſt, dum enarrat quæ comminiſcitur ſemper ea commiſiſci, quæ et rebus geſtis repugnant, et conſpicuis Scriptis redarguuntur.

28. Quantum autem, et quam turpiter decipiatur, aut nequiter moliatur decipere nuda Rei geſtæ patefaciet enarratio. Malachias quidem tunc conſtitutus Suffraganeus Epiſcopus Dunenſis Pallia petiit non ab Eugenio tertio (ut perperam aſſerit Anonymus) ſed ab Innocentio Secundo pro abdicatâ a ſe antea Metropoli Armacanâ, et aliâ Metropoli ſcilicet Caſſelienſi, quam de novo conſtituerat S. Celſus *primæ ſedi* (Armacanæ) *illiuſque Archiepiſcopo ſubditam tanquam Primati.* " Reſpondit Innocentius: de Palliis oportet ſolem-
" nius agi, convocatis Epiſcopis et clericis, et Majoribus Terræ cele-
" brabitis Generale concilium, et ſic comniventia, et communi voto
" Univerſorum per honeſtas Perſonas requiretis *Pallium, et dabitur*
" *vobis.*" ita S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 12, ut alias viſum eſt. unde hinc potius colligitur cautela, et renitentia Summi Pontificis, ne plures decorarentur illo honore in Hibernia, cum non niſi unum *Pallium* loco duorum promiſerit, idque ſedi Armacanæ, pro qua potiſſimùm laborabat S. Malachias.

29. Et deinde cap 20. S. Bernardus hæc habet: " recordatus Ma-
" lachias ſibi a Papa Innocentio fuiſſe promiſſum *Pallium* ——
" itaque convocantur Epiſcopi, concilium cogitur, tractata triduò
" quæ tempori imminerent, die quarto aperitur conſilium de *Pallio*
" requirendo, placet." en non plura, non quatuor *Pallia* requirenda, ſed unicum ex voto, et conſenſu generalis concilij Totius Nationis convenientibus ſimul Epiſcopis, Clericis, et Majoribus Terræ Sicut mandaverat Papa Innocentius. cum autem diſtulerit traditionem Pallij, ratio exprimitur P. op num. 252.

30. Et

30. Et cum appelleret in Hiberniam Cardinalis Paparo missus ab Evgenio 3°. cum Quatuor Palliis narrat celeberrimus hujus Nationis Chronologus S. Theologiæ Doctor Severinus Ketinus Momonienſis lib. 2. pag. 56. multum diſplicuiſſe Hibernis quod plura allata fuerint Pallia, quam duo ad Summum, quæ antea expetierat S. Malachias. refert quoquè ibidem Ketinus ex Annalibus Eccleſiæ de Clunenagh S. Finani Abbatiæ in Lagenia, et Provinciâ Dublinienſi, quorum Author tunc vixit, nobile concilium an 1152 apud Kenena us nunc Kells celebratum fuiſſe Præſide Cardinale Paparonio, qui traditis quatuor pallijs quatuor Archiepiſcopis Hiberniæ ibi recenſitis *Armacanum Archiepiſcopum in Primatem ſuper omnes alios, prout decuit, ordinavit.*

31. Ac Edmundus Campianus in ſuâ Hiberniæ hiſtoria pag. 4 ait: " Spiritualis juriſdictio diviſa eſt in Quatuor Provincias, quarum " Primatus ob reverentiam S. Patricij eorum Apoſtoli Semper Archi- " epiſcopo Armacano delatus fuit: quod etiam confirmavit Eugeni- " us 3, qui inſuper tres alios Archipræſules, Dublinij unum, alterum " Caſſeliæ, Tertium Tuamiæ collocandos mandavit: his jure ſubſunt " Suffraganei Viginti novem, *omnes ſubditi Armachiæ Primati.* addit pag. 38. a Papa Cæleſtino S. Patricium conſtitutum fuiſſe *Archiepiſcopum, et totius Inſulæ Primatem* vid P. op num 10: 16, et 17.

32. Et conformitèr ad hæc, ac more Prædeceſſorum S. Gelaſius Armacanus qui illi concilio interfuit, et Sedit primus a Legato, tres alias Provincias Subſequentibus annis totiès viſitavit Authoritate Primatiali, Nationalia Concilia indixit, iiſque præfuit, Statuta edidit, aliaque munia obivit in Lageniâ, et alibi (vid P. op a num 13, ad 19.) hæc obvia ſunt, et conſpicua oculos habentibus, et volentibus legere, ut meritò mireris quâ fronte obtrudere audeat Anonymus ſtolidiſſima ſui cerebri figmenta, quod voluerint——omnes Hiberni, et ſic contigerit, ut Quatuor Metropolitani *Pallia acquirerent, et æqualem poteſtatem,* &c.

33. At ſic placuit imponere imperitis, et vanam venditare Eruditionem. obſervaret potius, quod cum ſinceris Scriptoribus, et veri ſtudioſis monet Baronius ad an 336 dicens: " procul abſit ab Eccleſiaſ- " tico tractatore omnis turpis Suſpicio fictionis, et impoſturæ, qui " purâ luce tantummodò gaudeat veritatis. *præſtat enim ingenuè fa-* " *teri ignorantiam magis quam ex mendaciis emendicatam Scientiam* " *affectare.*"

34. Ad

34. Ad ampliorem oſtentationem affectatæ ſuæ Eruditionis objicit ſibi quod in Proviſionibus Apoſtolicis Eccleſia Armacana dicatur *Primatus, et prima Metropolis totius Hiberniæ* adeoque juriſdictionem habere ſuper Univerſum clerum, et reſpondet " hoc aliud non eſſe, " niſi puerile terriculamentum, et Infantibus Solummodò aptum " incutere timorem continens duntaxat ſtrepitum, et vacuos Sonos " *verba, et Voces prætereaqué nihil,* ſubjungens certum eſſe Pri- " matem, Metropolitanum, et Archiepiſcopum differre tantum " verbis, ſed ejuſdem omnino eſſe Significationis, et dignitatis.

35. Mirabilis iterum, et ſtupenda confidentia, cum ad demonſtrandam differentiam tum Significationis, tum juriſdictionis, et Dignitatis inter *Primatem*, et *Archiepiſcopum* (Teſte S. Clemente Papâ Epiſt. 1. ad Jacobum fratrem Domini, et refertur *can in illis diſt* 80) Beatus Petrus præceperit in illis Civitatibus in quibus olim apud Ethnicos Protoflamines, atque primi Legis Doctores erant *Epiſcoporum Paimates poni, vel Patriarchas, qui reliquorum epiſcoporum cauſas, et majora, quoties neceſſe foret negotia in fide agitarent*—— —— ——" in illis autem civitatibus in quibus dudum " apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen Minores tenebant, " quam memoratos Primates, *Archiepiſcopos* inſtitui juſſit.

36. Et Boniſacius Papa ad Epiſcopos Galliæ *can ſi inter 6. quæſt* 4. edixit : " Si inter Epiſcopos ejuſdem concilij dubitatio emerſerit " de Eccleſiaſtico jure, vel de aliis negotiis, primum *Metropolita-* " *nus* eorum cum aliis in Concilio conſiderans rem dijudicet, et ſi " non acquieſcat utraque pars judicatis, tunc *Primas* Regionis inter " ipſos audiat, et quod Eccleſiaſticis canonibus, et Legibus veſtris " conſentaneum ſit, hoc definiat, et nulla pars calculo ejus valeat " contradicere.

37. Et cum Primatum Totius Hiſpaniæ Toleti antiquitus conſtitutum confirmarent Urbanus 2, Alexander 3, aliique Pontifices (vid P. op num. 284, et 285) ſic ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum Scribit Urbanus. " Primatem te Univerſi Præſules Hiſpa- " niarum recipient, et ad te, ſi quid inter eos quæſtione dignum ex- " ortum fuerit referent. ac iterum idem Urbanus ad Terraconenſem " Archiepiſcopum." memineris ita te *Archiepiſcopum* conſtitutum, ut tam tu, quam Univerſi Provinciæ Terraconenſis Epiſcopi Toletano tanquam *Primati* debeatis eſſe Subjecti.

38. Et dist 99. initio habetur : *Primates et Patriarchæ diversorum sunt nominum*, sed ejusdem officij (quod pariter colligitur cap duo simul de offic judic ordinar) *ab Archiepiscopis autem quoties necesse fuerit, Episcopi, ad Primates appellant : Sed a Primatibus ad Archiepiscopos appellare non licet : debent ergo obedientiam Primatibus Archiepiscopi in omnibus quæ sibi ab iis juste fuerint imperata.* Et concilium generale Calcedonense *can* 9, *et* 17. statuit ut " si quis putaverit se a proprio *Metropolitano* " gravari apud *Primatem* Diæceseos, aut apud Constantinopo- " litanæ civitatis Sedem agat judicium. idem de provocatione a *Metropolitano* ad *Primatem*, aut ad Sedem Apostolicam decreverunt Victor Papa epist 1. ad Theophil Alexander, et Sixtus 2. epist. 1 ad Gratum (vid *caus* 2. *quæst* 6. *can si quis putaverit* 7, *et* 15.)

39. Obedientia vero debetur Superiori, nec appellatur nisi a minori judice ad Majorem : *can anteriorum*, et *can liceat* 2 *quæst* 6 : *cap non putamus de consuetud in* 6°. cum glos : et D. D. utrobique : *L. perfecti ff. de minor.* quoniam par in parem non habet potestatem: *cap innotuit de Elect* et dict *can anteriorum vers cum non oporteat.* quomodo autem cohæret quod *Primas*, *Metropolitanus*, et *Archiepiscopus* ejusdem omnino sint significationis, et Dignitatis, cum ab his ad illum appellari possit, et Soleat, debeaturque obedientia ? Ecce *terriculamentum Puerorum vacui Sonitus*, &c. Quis tam patiens ut non frendeat ad vani cerebri tam stupidas impostura aptas tantum imperitos eludere, seu plebeos, et muliercrulas.

40. Sileo quod Antiochenus Patriarcha idem sonans, ac Primas, sicut et alii Patriarchæ Orientales plurimos complecterentur sub se Archiepiscopos, Metropolitanos, et Provincias (vid P. op num 33, 57, et 234) constat quoque Quinque Metropolitanos Africanos, qui etiam Primates vocabantur, subditos fuisse Archiepiscopo Carthaginensi omnium Primati, ut testatur Leo nonus Epist 4 ad Petrum, et Joannem Episcopos (vid ibid num 60, et 61) fatendum quidem est inferiores, et Secundi ordinis *Primates* Provinciarum (sicut nonnulli Archiepiscopi sese vocitant, non tamen donati illo titulo a Sede Apostolicâ, et fortè de consuetudine posset competere omnibus) convenire in re cum Archiepiscopis, et Metropolitanis, nihilque per hoc acquirere juris, vel Prærogativæ extra fines Suarum Provinciarum, sed omnes æqualitèr Subjectos illi Præsuli qui a Summis Pontificibus constitutus

constitutus est Primas totius Regni, seu nationis, ut jam visum est de Africanis, *&c.*

41. " Titulum *Primatis* quia fastum redoleret, et tumorem dicit " assumi inhibitum in Concilio Carthaginensi." Respondeo falsissimum esse illo loco inhiberi titulum *Primatis*, cujus ibi nulla fit mentio, ut patet ex verbis ab ipso Anonymo relatis: *non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, id est Archiepiscopus, sed primæ Sedis Episcopus.* fortè vigore illius inhibitionis inducet Suos clientes Præsules Casselienses, et Dublinienses, ne amplius sese *Archiepiscopos*, et a fortiori (quod nullatenùs in verâ Significatione illis competit) *Primates* nominent, aut nominari permittant.

42. Alitèr exhibetur *can primæ Sedis dist* 99: " primæ Sedis " Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sa- " cerdos, aut aliquid hujusmodi, sed primæ Sedis Episcopus." Similiter et iisdem verbis refertur in Actis Concilij plenarij Africani Carthaginensis Sexti can. 6°, ubi editum fuit illud statutum. Respondeo 2°. etiam casu quo *Primas*, et *Princeps Sacerdotum*, ac *Summus Sacerdos* essent omnino Synonima (ut perperam prætenditur) illud Decretum nullibi terrarum observari, et ne quidem in ipsa Africâ, ubi plures tam antè quam post istud concilium inscribebant se *Primates* Provinciarum, ac etiam *totius Africæ*, sicut et qui præfato Concilio præsedit Carthaginensis Præsul Aurelius: quemadmodum perpetuâ praxi contigit, et etiamnum contingit in aliis Regionibus, Orientalibus, et occidentalibus, ut palam est omnibus evolventibus Annales Ecclesiasticos.

43. Imò in ejusdem Concilij Africani Subsequente canone 65 ita statutum fuit: " placuit ut Plebes quæ nunquam habuerunt propri- " os Episcopos, nisi ex plenario concilio cujusque Provinciæ, et *Pri-* " *matis*, atque consensu ejus, ad cujus Diæcesim eadem Ecclesia per- " tinebat, decretum fuerit, minimè accipiant." ubi uides Patres illius Concilij (cui interfuit S. Augustinus) etiam inferioribus Metropolitanis reservare, et attribuere titulum *Primatis*. quomodo censerent adimendum omnium Superiori Archiepiscopo Carthaginensi, aliisve ejusdem gradûs? hæc non latuerunt Anonymum adeo ostentantem peritiam historicam, cum legerit, aut legere potuerit luculentis characteribus exarata in canonibus a se citati concilij: et propterea non illi inurenda nota decepti, sed deceptoris, cujus explendi muneris prurigine ad imponendum idiotis, et plebeis hoc novum, etsi prorsus

impertinens, et pudendum profundæ Eruditionis Monumentum voluit propalare, vide etiam in hanc rem ex concil Carthag 5. desumptum *canonem Placuit* 24, *de consecrat dist.* 3.

44. Adducit concilij Taurinensis decisionem (quæ exhibetur ad longum P. op num. 49.) ubi *litigantibus de Primatu Arelatensi, et Viennensi Archiepiscopis statutum fuit can. 2. ut qui ex iis comprobaverit Civitatem Suam esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatûs obtineat, et ipse juxta canonum præceptum, ordinationum habeat potestatem.* ita legit accuratus Scriptor Cabbasutius notit Eccles pag. 196. et Joannes Azorius institut moral part 2. lib. 3. cap 36. Sed longè alio Sensu, et more suo corrumpendo textum, sic effingit Anonymus : *decrevit ut quæ se Metropolim civilem probaret civitas, ea Metropolitanum haberet Pontificem* : nimirum de industriâ omittens denominationem *Primatus*, ne a præcedentis erroris vestigio discederet contendendo *Primatem*, *Metropolitanum*, et *Archiepiscopum* ejusdem esse significationis, et dignitatis.

45. Certum est tam Viennensem, quam Arelatensem Præsules dudum ante illud concilium ——indubitatos fuisse Metropolitanos, et Archiepiscopos, nec de hoc ullum intercessit litigium, sed utrum Arelatensis jus haberet Primatiale in Provinciam Viennensem : constat pariter Viennensem civitatem fuisse Metropolim Totius illius Tractûs, eique Subfuisse Arelatem juxta partitionem civilem (vid dict num. 49) cujus tamen nullam habuit rationem S. Zozimus Papa, sed rescisso decreto Taurinensi Primatum adjudicavit Archiepiscopo Arelatensi, illique subjecit Archiepiscopum, et Provinciam Viennensem cum potestate creandorum Sacerdotum, sive Episcoporum in dictâ Provincià. " idque (ut declarat) ob reverentiam S. Trophi-
" mi, qui primus fuit Metropolitanus Arelatensis, ibique Sedem fi-
" gens ab Apostolicâ Sede transmissus, ad illas Regiones tanti nomi-
" nis reverentiam exhibuit, et in alios non immeritò eâ, quam ac-
" ceperat, authoritate transfudit." vid dict num. 49, et Seqq.

46. Ubi nulla consideratio Metropolis civilis, sed tantum respicitur Sedes, quam primus illarum Regionum Apostolus delegit. verum est quod observans postea Zozimus, per canones Nicæni primi quartum, et Sextum Episcoporum ordinationem reservandam proprio Metropolitano, etsi in aliis Primati subjiceretur, illam clausulam de ordinandis Episcopis, sicut deindè Leo Papa reduxerint ad Statutum Nicænum, restitutâ potestate Archiepiscopo Viennensi consecrandi suos Suffraganeos. vid P. op. num. 53.

47. Ex

47. Ex illo Decreto Concilij Taurinenſis (cujus puſillanimitatem, et iniquum judicium ſicut in hoc caſu Zozimus, ita et in cauſâ Proculi Maſſilienſis cum eodem Zozimo carpit Cabbaſutius ubi ſupra) prætendit Anonymus " conſentientibus (ut nugatur) omnibus " Scriptoribus Eccleſiaſticis Primatum conſtituendum in primâ Me- " tropoli, ſeu capite Regni, adeoque nullatenus competere Arma- " chiæ (quæ nunquam fuit præcipua civitas Hiberniæ) ſed antiquitus Caſſeliæ potius, et nunc Dublinio convenire.

48. Adverteret tamen nunquam Caſſeliam, ſicut nec Dublinium uſque ad finem Sæculi duodecimi Metropolim extitiſſe hujus Regni, ac neutri, imo ne quidem indubitato totius Inſulæ capiti Temoriæ S. Patricium præfeciſſe, vel etiam inferiorem Epiſcopum, quo uſque ad finem Sæculi noni, vel initium decimi caruit Caſſelia, etſi Momoniæ Metropolis eſſet in temporalibus, ac illius Provinciæ Regum habitaculum, ſed ſubfuit juriſdictioni Præſulis Imelacenſis, quem Momonienſium Archiepiſcopum inſtituit S. Patricius, donec Beneficio Celſi Armacani Metropolis Eccleſiaſtica conſtituta fuit Sæculo duodecimo (vid P. op num. 7, et 197,) ſed quoniam de inani prætextu ſtatuendi Primates in Capitibus Regnorum fuſè actitatum fuit, et probatum P. op a num 30. ad 49, nullibi viguiſſe poſt prima Eccleſiæ Sæcula, et ne tum quidem niſi habito reſpectu ad Sedes Protoflaminum, ac refragatur generalis praxis totius Europæ, ulterioribus probationibus Superſedemus.

49. Et cùm contentioſè obtrudat *Primates*, *Metropolitanos*, et *Archiepiſcopos* ejuſdem omnino eſſe ſignificationis, et juriſdictionis, ſicut hic iterum, et paſſim repetit crambe recoctâ pariens faſtidium, ut quid prætenſus ille univerſalis omnium Scriptorum conſenſus, ac obtruſæ decretales Papales, et Conciliares de ponendis in capitibus Regnorum *Primatibus*? et cur non idem generali conſenſu, et Decretalibus paritèr ſtatuitur de *Archiepiſcopis*, et *Metropolitanis*? de quo tamen altum Silentium, ut etiam vel hinc pateat quam erronea, imaginaria et falſa ſit prætenſa æqualitas.

50. Refert Epiſtolam 18. Innocentij primi: " Revolventes au- " thoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per Terrarum or- " bem explicat mentem Sacerdotum de Antiochenâ Eccleſiâ—— " Super Diœceſim Suam, non Super aliam Provinciam prædictam " Eccleſiam conſtitutam: unde advertimus non tam in civitatis " ——Magnificentiâ hoc eidem attributum, quam quod prima " Apoſto-

" Apoſtolica Sedes eſſe monſtretur " ita Anonymus Sicut Exemplar ad me delatum continet, unde infert juriſdictionem Antiochenam intra propriæ *Diæceſeos*, aut *Provinciæ* limites coarctatam, illiuſque Sedis Patriarcham, ſeu Primatem non niſi *Nominalem* tantùm et *titularem*. Sed edoceret quis Senſus illorum verborum, *non tam in civitatis Magnificentiâ hoc eidem attributum, quam quod primo Apoſtolica Sedes eſſe monſtretur*.

51. An ideo forte reſtringeretur intra terminos unius Diæceſis, ſeu Simplicis Provinciæ juriſdictio Eccleſiæ Antiochenæ, quia *prima Apoſtolica Sedes eſſet ?* tale argumentum non videtur Rationi conſonum, nec dignum Sancto Papâ Innocentio, cum potius mereretur ampliſſimam poteſtatem, eo quod prima Petri fuerit Sedes, et propterea (ut manifeſtò ſtatim videbimus) conſultò omiſit, quæ officerent intento exſcribentis commemorata ibi Specialia privilegia competentia Eccleſiæ Antiochenæ, quia Apoſtolus, et Princeps Apoſtolorum Petrus aliquandiu Antiochiæ Cathedram habuit, et eâd. Epiſt 18, cap. 2, ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum Papa Innocentius non tantum omnes totius orientis in Continenti Plagas Antiochenæ juriſdictioni obnoxias agnoſcit, et declarat, ſed etiam avulſam Mari Inſulam Cyprum illi ſubditam, et ſubdi oportere decrevit, de quo latiùs Cabbaſutius notit Concil pag 314, et notit Eccles 209.

52. Cæterùm hic quoque habes Patriarchatum Antiochenum *non ob civitatis magnificentiam* ibi inſtitutum, ſed quia Sedes erat Apoſtoli, et (ut loquitur Baronius vid P. op num 33) *ita primum viſum Petro fuerit*, nunc interrogandus Anonymus an ex illis verbis Innocentij (ſi verè ipſius ſint, et non illi afficta a genuinorum Textuum, et Authorum corruptore) rectè ſequatur Patriarcham Antiochenum (qui et Catholicus dicebatur) præfuiſſe tantum paucis, et familiaribus Suffraganeis Epiſcopis, quos Græci Syncellos vocant ad inſtar cæterorum omnium Metropolitanorum, ita ut nullatenus ad alios in Oriente Metropolitanos, ſeu Archiepiſcopos ejus protraheretur juriſdictio ?

53. Si ita, multum falluntur Patres, et Doctores de intelligentiâ Concilij Nicæni attribuentis, vel confirmantis Antiocheno poteſtatem in totum Orientem, quemadmodùm et Alexandrino in Univerſam Egyptum, ſeu Lybiam, et Pentapolim plures continentes Provincias, et Metropolitanos, ac turpiter hallucinantur Authores commemorati

commemorati dict num 33, asserentes omnes Orientis Ecclesias ab Hellesponto usque ad Evphratem, et etiam ad Indos subjectas fuisse Antiocheno, Scilicet centum Triginta tres Ecclesias Cathedrales, Archiepiscopales autem Tredecim, quas Sigillatim recensèt Barbosa de offic, et potest Episc part 1, tit 3, cap. 5.

54. Ut quid S. Hieronymus Epist ad Pammachium (vid Suprà num 17,) reprehendit Joannem Hierosolymitanum quod Archiepiscopi Cæsareensis, et Patriarchæ Antiocheni contra Regulas Nicænas judicium declinaverit, sed diverterit Alexandriam, Si Hierosolimitanus non subesset Archiepiscopo Cæsareensi, et uterque Patriarchæ Antiocheno? incongruè etiam, et illusoriè juberent Patres Concilij generalis quinti subtrahendos Antiocheno Cæsareensem, et Scythopolitanum *Metropolitanos*, ac Alexandrino Rubensem et Berythensem item *Metropolitanos*, et Subjiciendos novo Patriarchæ Hierosolimitano, ut juxta formam aliorum Patriarcharum, ipse quoque haberet quos ordinaret Metropolitas (vid Barbos ubi Supra cap 6,) quomodò enim potuit subtrahi quod non subfuit? et in generali concilio Lateranensi quarto can 5, Innocentius 3, Statuit *ut Antiocheno, aliisque tribus Orientalibus Patriarchis (postquam Pallium a Romano Pontifice acciperent) liceat Pallium concedere Obedientiæ suæ subditis*, Archiepiscopis utique seu Metropolitanis non Episcopis inferioribus —— —— *et in omnibus Provinciis eorum jurisdictioni Subjectis ad eos cum necesse fuerit provocare, salvis Appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus deferendum.*

Ut autem pateat quam iniquè Sensum corrumpat, et textum discerpat Anonymus; dict Epist 18, ad Alexandrum Antiochenum Innocentius primus sic Scribit, *revoluentes Authoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem Terrarum explicat mentem Sacerdotum —— —— itaque arbitramur frater charissime, ut sicut Metropolitanos Authoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu, conscientiâque tuâ sinas Episcopos procreari, in quibus hunc modum ritè servabis, ut longè positos Litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu, vicinos autem si existimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire* (ita refert Ludovicus Habert Doctor Sorbonicus Theologiæ Dogmaticæ, et Moralis tomo 7°, part 1, cap 9, fob 205,) ubi non tantum Metropolitanos Orientis subjectos Antiocheno, et ab eo ordinandos jux-

ta

ta Canones Nicænos monet Papa Innocentius, ſed etiam reliquos Epiſcopos inferiores non niſi de illius conſenſu ſtatuit conſecrandos, et præfatus Innocentius Epiſt 20, ad eundem Alexandrum fatetur *Urbem Antiochenam haud ceſſuram Romanæ Sedi, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumqùe gauderet, vid P. op num* 33.

55. Hactenùs adducta cum notoria ſint omnibus vel tenuiſſimæ Eruditionis et manifeſtiſſimè convincant juriſdictionem, et prærogativam Primatis, ſeu Patriarchæ Antiocheni ſuper omnes Eccleſias Orientales, quis niſi planè inſipiens, vel penitùs delirans aſſentiatur obſcuro Tenebrioni ineptiſſimè effutienti Antiochenam Eccleſiam quamvis nuncupatam *Primatum*, et *primam Metropolim totius Orientis* nullam habuiſſe poteſtatem niſi in propriam Diæceſim, vel Provinciam, Scilicet ſuper Clerum, et Incolas Antiochenæ Urbis, et adjacentis Territorij cum fortè paucis Epiſcopis Suffraganeis, ejuſque Primatem non niſi *Nominalem* tantum ſeu *Titularem*; in quo certè nihil excederet noſtrum Archiepiſcopum Caſſelienſem, qui præter Clerum, et Incolas propriæ Diæceſis complectitur etiam ſub ſuâ poteſtate Archiepiſcopali nonnullos Epiſcopos, et alias Diæceſes cum universâ Provinciâ Momoniæ.

56. Memini quod S. Hieronymus Apol advers Ruffin dicat, *paucis oſtendere volui cujus temeritatis, ſit Docere quod neſcias, Scribere quod ignores, etſi ſuperfluum putem apertas ineptias confutare*, et niſi urgeret neceſſitas detegendi impoſturas (ne virus neglectum a Lectorum oculis ad corda proſerpat) et a lapſu detinendi imperitos, qui primâ facie plerumquè ſine ulteriori indagine etiam quantumcunquè craſſos avidè imbibunt errores, non abs re fortè obſervandum eſſet, quod ibidem de ſe perhibet S. Hieronymus, *imperitiam tuam non tam ſtultus eram ut reprehenderem, quam nemo poteſt fortiùs accuſare, quàm tu ipſe dum Scribis.*

57. Sed ut e labyrintho tot figmentorum, et offuciarum, quo ſe præcipiti impetu intricavit Anonymus, filo veritatis eripiatur, notandum eſt *Diæceſim* multiplicitèr Sumi, primò pro arctiori ditione Epiſcopi, qui non aliis præeſt, quàm inferioribus Clericis, Seu Preſbyteris, et Paſtoribus, nec aliam cogere Synodum valet, quam dictorum Cleriorum, et Sicut apud Latinos communi vocabulo *Diæceſis*, apud Græcos tamen, et Orientales *Paræcia* dicebatur: unde

de canon 9. Antiochenus hujuſmodi Epiſcopos monet nihil gravis momenti aggredi, niſi Sola quæ ad *Paræciam* cujuſque Spectant. et canon Ancyranus 17 vetat ne Epiſcopus qui non ſuſcipitur a propriâ *Paræciâ*, alterius Epiſcopi *Paræciam* invadat. Secundo ſumitur pro ampliori territorio, cui præſidet Metropolitanus, ſive Archiepiſcopus, cujus poteſtas, et juriſdictio in Provinciam, et plures Epiſcopos Suffraganeos protenditur, ac Synodum Provincialem indicere poteſt.

58 Tertiò *Diæceſis* nomine potiſſimùm apud Græcos venit ampliſſimus Diſtrictus plures Provincias, et Metropoles Eccleſiaſticas comprehendens ſub Patriarchâ, vel Primate. Patriarcharum autem, et Primatum concilia Latinis *Univerſalia*, et *Generalia* dicebantur, quamdiu nullum Æcumenicum apud eos celebratum eſt: quare Hiſtorici referunt *Concilium Generale Arelatenſe*, *Generale Africanum*, &c. Græci verò vocabant *Diæceſana* (vid Cabbaſut notit concil pag. 232) et demonſtrat canon Sextus Conſtantinopolitani primi ſtatuens ut in accuſatione Epiſcopi poſſit a *Provincialis Epiſcoporum Synodi judicio* recurri ad *majorem Synodum Diæceſis*. Et Supra adducti canones 9, et 17. Chalcedonenſes edicunt ut ſi quis putaverit ſe a proprio *Metropolitano* gravari, apud *Primatem Diæceſeos* agat judicium.

59. Refert quoquè in hanc rem Baronius ad an 439 in congregata celebri Synodo Conſtantinopoli ſub illius Urbis Epiſcopo Proclo, cum Dioſcorus Eccleſiæ Alexandrinæ tunc Apocryſarius, poſtea Patriarcha de jure *diæceſeos* moveret quæſtionem, inſtaretque eſſe Epiſcopi Alexandrini præſidere omnibus Orientis Eccleſiis, refragatum potiſſimùm fuiſſe Epiſcopum Antiochenum, quoniam ex Conciliis Nicæno, et Conſtantinopolitano penitus diſtinctæ fuerunt illæ *Diæceſes*. Eandemquè fuiſſe Patrum in Synodo Sententiam teſtatur, qui ibidem interfuit Theodoretus Epiſt. 86, ad Flavianum Conſtantinopolitanum, ubi ditiones Alexandrinam, et Antiochenam non alitèr quam *Diæceſes* appellat.

60. Et hunc Uſum ditiones Archiepiſcoporum, ac etiam Primatum nominandi *Diæceſes* viguiſſe pariter apud Latinos probat Statutum Gregorij Papæ *can decreto 2 quæſt 6*. mandantis ut " Si quis Oldricum Cenomanenſis Eccleſiæ Epiſcopum accuſare attentaverit " ——————liceat illi poſt auditionem *Primatis Diæceſeos* Papam appellare. et longè ante Victor Papa *ead. caus, et quæſt, can*

" *Si quis putaverit* ſe a proprio Metropolitano gravari, apud Patri-
" archam, vel *Primatem Diæceſeos*, aut penes Univerſalis Apoſtoli-
" cæ Eccleſiæ judicetur Sedem. Et ad Turpinum Epiſtola Grego-
rij Secundi moleſtè ferentes quod alij Epiſcopatus de Rhemenſi *Diæ-
ceſi* diverſo modo fuerint diviſi vid. Baron ad an 717.

61. Et Primatis Theſſalonicenſis (qui ante uſurpationem Con-
ſtantinopolitanorum inter Latinos numerabatur) *diæceſim* compre-
hendiſſe Epyrum veterem, et novam, Illiricum, Macedoniam, Theſ-
ſaliam, Achaiam, Dacias Ripenſem, ac Mediterraneam, Myſiam,
Dardaniam, et Prevalim habentes proprios Suos *Metropolitanos* teſta-
tur Nicolaus primus Epiſt. 2 ad Michaelem 3m. Græcorum Impera-
torem et antea Leo Papa Epiſt 82 alias 84, cap 6, ad Anaſtaſium
Theſſalonicenſem Primatem Scripſit in hæc verba: " de Perſonâ
" conſecrandi Epiſcopi, et de Cleri, Plebiſque conſenſu *Metropolita-
" nus* Epiſcopus ad fraternitatem tuam deferat, quodquè in Provin-
" ciâ benè placuerit, ſcire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam
" tua quoque confirmet Authoritas.

62. Itaquè quemadmodum *Diæceſis* Alexandrina complectebatur
univerſam Egyptum cum Lybiâ, Pentapoli, *&c.* ita Antiochena
totum Orientem et neuter Primas, ſeu Patriarcha quidquam juris
prætendere potuit in alterius *Diæceſim* de rebus diſponendis, ordinan-
dis Epiſcopis, aliiſve negotiis (quod unicè intendit Innocentius pri-
mus, ſi vere genuina ſint adducta verba, et non potiùs Suppoſititia,
quod poſt tot, tamque palpabilia Subleſtæ fidei argumenta liceat ſine
notâ temeritatis, vel charitatis infractione ſuſpicari de Anonymo non
indicante locum, aut Librum unde iſta deſumpſerit:) fateor enim in
præſentibus anguſtiis me non habere copiam, aliamve notitiam Epiſ-
tolarum Innocentij, niſi quantum particulas hinc indè ſuis operibus e
re natâ inſerunt occurrentes Authores Baronius, Cabbaſutius, Haber-
tus, &c.) et in illo ſenſu conſonant canon Apoſtolorum 34: Antio-
chenus 22: præſertim Nicæni 4 et 6: adeoque canon 2 concilij Con-
ſtantinopolitani primi, Nicæni veſtigiis inhærens præſcribit " ne E-
" piſcopi qui extra *Diæceſim* ſunt, ad Eccleſias quæ extra terminos
" eorum ſunt accedant, neque confundant, et permiſceant Eccleſias
" Secundum Regulas conſtitutas. Alexandriæ quidem Epiſcopus
" ea quæ in Egypto ſunt tantum gubernet. Orientis autem Epiſ-
" copi ſolius Orientis curam gerant, *Servatis honoribus Primatus*

" *Eccle-*

" *Eccleſiæ Antiochenæ*, qui in Regulis Nicænæ Synodi continen-
" tur."

63. Idem obtinet in Adminiſtratione civili, ut ampliſſimi diſtrictus complectentes varias Provincias, imo integra Regna, quibus præſidebant præfecti, ſeu Vicarij Imperiales promiſcue *Diæceſes*, et Provinciæ nominentur. ita Imperator Juſtinianus *L.* 1 *cod de offic Præfect Prætor Afric* totam Africam (etſi Septem Provincias inferiores ibidem recenſitas contineret) *Provinciam*, et *Diæceſim* nuncupat. conſulantur inſuper Liber notitiæ utriuſque imperij, Zozimus lib. 2, Pancyrolus in commentariis, et Cabbaſutius notit concil pag. 142 : 143, 146, et Seqq.

64. Ad has varias acceptiones vocis Diæceſeos, ſi ſedato inquirendæ ueritatis animo attenderet, et non ſonum Litterarum, ac Sillabarum (monente S. Auguſtino tract 102. in Joan) ſed quod ſonus ipſe ſignificat, et quod per eum recte, ac veraciter intelligitur, conciperet Anonymus, non ex amphibologicâ verborum Significatione perperam detorquendo mentem Innocentij contra torrentem Sacrorum canonum, et Claſſicorum Authorum temere moliretur derogare Prærogativis Antiochenis, oſtendens infauſto ſuo, et ridiculo attentato parum vel nihil prodeſſe lecturam, imo potius in craſſos et pernicioſos plerumque inducere errores, niſi Senſum inſimul et intelligentiam aſſequamur. unde de Simili hebetudine merito ab Uſſero redarguitur Hector Boetius, quod fuerit multæ lecturæ ſed nullius judicij.

65. At unde tam acre, ne dicam fatuum Anonymo ſtudium deprimendi nil ſibi, ſuiſue clientibus in tam remotis præjudicantem juriſdictionem Antiochenam? Scilicet ſi nuncupationem *Primatus*, et *primæ Metropolis totius Orientis* nullam comprehendere poteſtatem extra ſuam immediatam Diæceſim Antiochenæ Civitatis imponere poſſet Simplicibus Lectoribus, a fortiori ſuaderet (quod unicè machinatur) titulum *Primatus*, et *primæ Metropolis totius Hiberniæ* inſertum Bullis Apoſtolicis in Electione Præſulum Armacanorum nullam in re importare pariter annexam Primatialem juriſdictionem extra Suam Diæceſim, ſeu Provinciam Archiepiſcopalem, ſed *puerorum tantum terriculamentum eſſe, verba, et Voces*, &c.

66. Viderit quam Anſam præbeat ſuorum clientum Suffraganeis Epiſcopis volentibus cavillari, et quam Specioſam portam adaperiat erigendi calcaneum in Archiepiſcopos Caſſelienſes, et Dublinienſes, debitamque excutiendi Subjectionem conſimili protervià, et pernicioſo obtentu quod titulus *Archiepiſcopatus*, ſeu *Metropolis* exhibitus in Bullis Papalibus nullam involvat juriſdictionem ſuper alios Epiſcopos Comprovinciales, ſitque tantum *Puerorum terriculamentum*, *Verba*, *et voces*, &c.

67. Accumulat Sublimes, et magnificos titulos a nonnullis Patribus, Epiſcopis, et etiam Principibus Sæcularibus attributos quibuſdam inferiorum Sedium Præſulibus, ita ut hic *Papa*, ille *Apoſtolicus*, et *Apoſtolicâ ſede digniſſimus* pater, alter primæ Sedis Apoſtolus nominentur. " qui tituli (ſic criminatur) ſi attribuerentur Armacanis " nullum putarent Samſonem ſuis *extravagantibus* prætentionibus " poſſe obſiſtere, ſed rati totam Hiberniam nimis arctam, novi mun- " di molirentur dominatum, nec unus Sufficeret orbis." præmiſit (ut Superiùs prælibavimus a num. 5. ad 9.) quod non minus Superbis nominibus ſe erigerent, quam de Lucifero refert Iſaias propheta: *exaltabo Solium meum, Sedebo in Monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam Super altitudinem nubium.* præter virulenta, et neſanda convicia quæ flagitioſe conjicit in tot Sanctos triumphantes in cælis, in Papam Urbanum quartum, in glorioſiſſimum Apoſtolum noſtrum S. Patricium obſcurus Anonymus vitiati cerebri vertigine nullatenus veroſimilitèr penſitans, quæ tam impudenter blatterat, in cujus Philippicis vix ulla a capite ad calcem uſquam deprehenditur guttula teneræ pietatis in Cælicolas, nullum decoræ moderationis in Superſtites veſtigium, nullus ardor fraternæ charitatis, ſed Solus ardor ille Satyricorum, qui non fovet ſed comburit, non illuminat, ſed denigrat inficiens oculos aſpicientium.

68. Non tamen ejuſmodi perfunctoriis, aut aſſentatoriis vocabulis innituntur Armacani habentes cum poſſeſſione, et exercitio ſui Primatus per hoc Regnum curriculo duodecim Sæculorum, et ampliûs longe firmiorem Apoſtolicum Sermonem, ac Diplomata Romanorum Pontificum, ad quos Spectat omnium dignitatum Eccleſiaſticarum erectio, quas inſtituendo declarant, et declarando inſtituunt, quorumque Bullæ, et reſcripta tanta moderatione, maturitate et deliberationis gravitate concipiuntur, ut ne verbum quidem, aut etiam unus apex reperiantur ſuperflua, vel fruſtratoria, ſed cum effectu ſint accipienda, et in potiori Significatu:

can Apoſtolicæ 35, quæſt 9 : cap ad audientiam de reſcript. cap relatum de cleric non reſid : cap in his de privileg : cap ſi Papa eod in 6°. L. 1. ff. quod quiſque juris: Abbas in *cap ex publico de convers conjug*: et præpos in *cap rurſus 1 notab, qui clerici vel vovent*, cum gloſs, et D. D. ubique.

69. Nec impune in ditionibus catholicis quis arrogaret ſimilem poteſtatem verbo, aut Diplomate inſtituendi Eccleſiaſticas dignitates vindicare, vel attribuere cujus cunque ordinis, aut gradûs aliis Præſulibus, vel Principibus Sæcularibus, ſed merito excluſus uſurâ Solis, et commercio fidelium debitam inſulſo attentato pænam lueret in carceribus S. officij. Et a tantâ inſolentiâ propalandâ accuratè cavebit Anonymus in partibus ubi viget authoritas inquiſitionis et nunc inſiſtendo parili argumento. Numquid in Hiſpaniis non tantum cachinnis, ſed veroſimiliter etiam fuſtibus exciperetur qui deduceret eos, quos Rex Catholicus jubet ſeſe tegere in aulâ, et in ſua preſentiâ non veros effici Magnates cum annexis præeminentiis, et privilegiis, quia juſſi ab inſerioribus magiſtratibus, judicibus, aliiſve Subditis caput operire, Magnates pariformitèr non evadunt?

70. " Non amplius immorandum (inquit) vacuis titulis, et nun-
" cupationibus honorificis plus habentibus fumi, quam ſtabilis funda-
" menti." abſtineret pariter a virulentis dicteriis, et inanibus deductionibus nil continentibus præter moleſtos Sonos ſtatim diſſolvendos in fumum, haud Secus ac bullulæ efformatæ Super Aquas primà commotione erumpente foras incluſo aere illico diſparent. Sed proſequamur gloriantem ſe *properare ad ſolidiora.* et certè dudum id expediret potius quam ineptis ſui cerebri adinventionibus, et offuciis ad nauſèam repetitis Lectorum abuti patientia.

71. " Tria offert probanda, primò omnes *Metropolitanos* primi-
" tùs nuncupatos fuiſſe Primates, abſque ullâ poteſtate in alteru-
" trum; Secundò omnes etiamnum retinentes titulum *Primatis* nul-
" lâ gaudere authoritate, vel juriſdictione extra ſuas Provincias:
" Tertiò quamvis alij vindicarent ſibi hujuſmodi prærogativas, ta-
" men Armacanis ne leviſſimam quidem Umbram, aut colorem Su-
" pereſſe. quibus tribus aſſumptis finem ſe cauſæ impoſiturum jac-
" tat, et cuncta erepturum Arma e manibus Adverſariorum." ita irreſragabilis Doctor, et formidabilis Athleta Anonymus, qui vel ipſi etiam Herculi clavam extorqueat.

72. Cur quæſo præ ceteris derogat Armacanis? *quia* (inquit) *nunquam caput ſeu præcipua civitas Regni fuit Armachia.* at quàm ſutiles, et ſtolidæ ſint ejuſmodi argutiolæ refragantibus omnibus indubitatis Primatibus Evropæ, Supra oſtendimus a num. 45, ac. luculentiùs probatum reperitur P. op a num. 30, ad 49. et primâ facie apparet quantæ injuriæ, imo et iniquæ adminiſtrationis inſimulet omnium Dignitatum inſtitutores Romanos Pontifices, dum aliis Archiepiſcopis hujus Regni habentibus (juxta illum) potiora jura, denegant titulum, et dignitatem *Primatis*, illumque et quidem *totius Hiberniæ* omnium *minimis, et ne vel leviſſimam umbram, aut colorem poſſidentibus* conferunt Armacanis; ita inſiitum eſt Satyricis Blateronibus ſine pudore, aut reverentiâ in omnes qualiscunque gradus, et dignitatis Sævire indiſcriminatim.

73. Sed ut audiamus ratiocinantem, ni veriùs ineptientem. Omnes (ait) in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ verſatos fateri oportet nullos uſque ad Sæculum undecimum extitiſſe *Primates* cum juriſdictione extra Suas Provincias præter *Epiſcopos Romanos* (Sic enim nuncupat more aſſueto neotericis, ac Janſeniſtis) *et Patriarchas Orientales in longé prorſus Sublimiori juriſdictionis Sphærâ conſtitutos quam noſtros Patriarchas, Seu Primates occidentales.* Advertimus Superius num 50. et Seqq quomodo Præſules Antiochenos *Nominales* tantum, ac *Titulares* Patriarchas aſſeruerit omnibus prærogativis deſtitutos extra ſuam propriam *Diæceſim*, in quo (excludendo tertiam acceptionem vocis Diæceſeos, ſeu Provincæ, quemadmodum ille ibidem excluſit) nil niſi nomine tenus præcellerent noſtris Archiepiſcopis Caſſelienſibus. attamen intra paucas paginas ab ipſo Statuuntur (et verè competit) in multò Superiori Sphærâ juriſdictionis.

74. Quid hoc eſt aliud niſi Secum ipſo, uti cum aliis pugnare, et pro præcipiti, quo abripitur æſtu, nunc unâ manu delere, et diruere, quod alterâ modo ſtabilivit oſtendens quam verè dictum fuerit; oportet m ——m eſſe memorem. videbatur multum hallucinatus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, dum (juxta R^mum Talbotum fol 15) aſſereret quod prima Eccleſiarum omnium, quæ titulo Primatûs aucta fuit, ſit Bituricenſis ab Adriano 10 ad inſtantiam Carolimagni an 786. quantò magis extra chorum ſaltare, et ultra omnis rationis metam tranſilire cenſendus eſt Anonymus protrahendo Primatûs ejuſmodi initium ad Sæculum undecimum.

75. Cæ-

75. Cæterum nemo, qui vel etiam primoribus labris deguſtavit notitiam rerum Eccleſiaſticarum inficias ibit tam in occidente, quam, in Oriente a primordiis Eccleſiæ veros, et in potiori Significatu extitiſſe reſpectivè *Patriarchas* et *Primates* cum juriſdictione in alios Metropolitanos, ſive Archiepiſcopos quibus præficiebantur, illorumque exceſſus corrigebant, cauſas Appellatione devolutas admittebant, et terminabant, aliaque obibant munia, quæ manifeſtiſſimè evincerent juriſdictionem Superiorem, et Primatialem, et clarè indicant Clemens Papa referens deſuper præceptum S. Petri *can in illis diſt* 80. Anacletus *can omnis oppreſſus* 2, quæſt 6. Victor, et Sixtus *eâd caus, et quæſt can* 7, *et* 15. Bonifacius *can ſi inter* 6, *queſt* 4. et ne prolixior Sim omnium Pontificum, et Conciliorum Statutis enumerandis, cauſam irrefragabiliter demonſtrat praxis Africana, Collige dicta Superius num 35, et Seqq, ac P. op a num 56, ad 62.

Attamen omnes verſatos in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ fateri oportere nullum, ante Sæculum undecimum fuiſſe Primatem cum juriſdictione extra ſuam Provinciam &c. obtrudere audet Anonymus ratus verofimiliter ſe planè inſipientibus, aut omninò cæcis loqui. incidit dictum S. Hieronymi in Rufin: *neſcio quomodò ad has ineptias devolvaris, ut dum Stultos Lectores putas, te Stultum eſſe demonſtres.*

76. Objicit edictum Caroli Magni vetans, " nè impoſterum quis " Sine certo jure (i. e.) Sine Sedis Apoſtolicæ delegatione, et ejus " Nationis Epiſcoporum conſenſu *Primatis* nomen uſurparet, et ne " *Metropolitani* ampliùs nominis honore abuterentur, quod eo Me" tropolitani omnes uſi eſſent." ex quo duo dicit, " *evidentia*: pri" mum omnes Metropolitanos illis diebus indiſcriminatim, vocatos " fuiſſe Primates: Secundum nullum repertum Primatem cum ju" riſdictione in alias Provincias præter, Legatum Pontificium." modeſtioris genij quilibet ad Summum inferret (et Sufficeret ad evincendam cauſam) *vera eſſe* &c. at nudus, et inconſultus obſcuri Anonymi calculus debuit addere *Evidentiam.*

77. Norunt omnes quidquam callentes de adminiſtratione civili, vel Eccleſiaſticâ, Sanctiones Principum non obſtringere niſi ſubditos. et nec Carolo quamvis verè Magno, aliiſve Imperatoribus Romanis, aut Græcis unquam paruit Hibernia noſtra, attamen edictum libentiſſimè amplectuntur Armacani inſtantes pariter ne uſpiam Primates nuncupentur, niſi iſta dignitate donati a Sede Apoſtolicâ, quæ cum Solis in hoc Regno Armacanis illam conceſſerit, nullus alius Præſul,

au

aut Archiepiſcopus ſe *Hiberniæ*, vel etiam *Provinciæ* audeat exarare *Primatem.* annuunt itidem ne quis impoſterum, aut ſi vetis etiam in præſenti ſine ejuſdem nationis Epiſcoporum conſenſu de novo inſtituatur *Primas*, vel *Primatis* nomen uſurpet.

78. Sed Magis æquus judex vere pius, et juſtus Imperator Carolus, ac quilibet alius emunctioris naris arbiter, quam ut cenſeat tot præcedentibus ſæculis legitima authoritate conſtitutos Primates ullius integri Regni oportere præſtolari Suorum Subditorum conſenſum. aliter judicarunt ſoli competentes judices Romani Pontifices in caſu Archiepiſcopi Toletani, cum in ipſum conſpirarent reliqui Archiepiſcopi Hiſpaniarum nolentes illi Subeſſe (ſicut Simili attentato haud ita pridem alibi contigit) illorum proterviam acriter increparunt, et protinùs fregerunt Urbanus 2, Alexander 3, Innocentius 3, aliique recenſiti P. op num 284, et Seqq. vid etiam inferius num 98, et 99, mandantes ut univerſi Præſules, et Archiepiſcopi Hiſpaniarum obedirent, et Subjecti eſſent Toletano tanquàm Primati, ad illumque referrent quicquid inter eos Quæſtione dignum exoriretur, quia *antiquitùs* Toleti totius Hiſpaniæ Primatus conſtitutus fuit.

79. Ut autem omittamus Metropolitanos olim promiſcuè nuncupatos inferioris, ſeu Secundi ordinis *Primates*, vel (ſicut ex Caroli edicto potius colligitur) *illius nominis honore abuſos fuiſſe*: quid hoc ad rem, aut intentum Anonymi, Suorumve Clientum? cum illis omnibus præeſſent Majores, et in potiori Significatu Univerſæ Regionis *Primates*, ut patet ex totiès viſis, et manifeſtum facit praxis Africana: quoniam in quinque Metropolitanos, ſeu inferiores Provinciarum *Primates* juriſdictionem habuit *totius Africæ Primas Archiepiſcopus Carthaginenſis*, vid Superiùs num 40. et P op a num 56, ad 62.

80. Qui omnia hactenùs ſe eviciſſe imaginatur Anonymus, pro *ulteriori probatione* (ait) *quod titulus Primatis nihil addat Epiſcopali*, veluti ex abundanti iterum profert in Scenam Carolum Magnum (quaſi fons eſſet, ac Origo omnis Spiritualis juriſdictionis mutans pro libitu gradus, et dignitates Eccleſiaſticas) quem dicit in Epiſtolâ ad Elipandum Toletanum, alioſque Hiſpaniæ Antiſtites nominaſſe Epiſcopum Mediolanenſem ante Primatem, Seu Patriarcham Aquileenſem, idemque contigiſſe in Concilio Papienſi, ubi Archiepiſcopus Angilbertus nominatur ante Patriarcham Andream. Sed cui bono iſta? demus enim gratis (cum nullum alleget Authorem) vera eſſe quæ

refert

refert notorius falsarius, qui Supprimendo, vel addendo pro libidine totiès tesseram fregit improbè corrumpens textus, quasivero prælatio nominis Semper prælationem honoris indigitet, aut ex verbulo et quidem perfunctorio, ac casuali Principis Sæcularis cæteri Episcopi, et Archiepiscopi æquales sint jurisdictione, et dignitate cum Primatibus, et Patriarchis. apage nugas.

81. Concluderet pari ineptiâ ex eo quod in argumento capituli *constitutis* 23, *de Appellat*, Patriarcha Gradensis ante Cardinalem, et in annotationibus Spondani ad Baron an 602, num 2, Elyas Gradensis Patriarcha ante Laurentium Apostolicæ SedisLegatum commemorantur, et apud Baron. Epist. Spond ad an 870. Episcopi inferiores in enarratione præponuntur S. R. E. Cardinali,concluderet (inquam) gradum Cardinalatûs,aut Sedis ApostolicæLegati nullo modo præeminere Patriarchali, vel Episcopali: quod est tamen notoriè falsum, et directè contrarium praxi, ac consuetudini Romanæ Ecclesiæ, adeoque universalis, quæ debet prævalere, et observari, estque Semper æmulanda, nam quod Romæ fit, Spectandum est, ut docent Canonistæ, et Theologi Orthodoxi cum *D. Thomâ* 2a. 2æ. *quæst* 10, *art* 12, *ad* 1. consonat *argum L. sed licet ff de Offic Præsid.* et fortè cum neotericis consentiet Anonymus Principem Apostolorum Petrum nullâ præ cæteris Apostolis donatum prærogativâ, sed omninò æqualem, quoniam Paulus ad *Galat* 2, *vers* 9. Jacobum nominat ante Cepham, seu Petrum.

82. Audiamus aliud non dissimile argumentum. " Leo 8, (in- " quit) decernens præcedentiam Patriarchæ Aquileensi in dissidio de " potiori loco, nullam admisit illi prærogativam, aut jurisdictionem " in Competitorem præter primum incessum, et consessum in sede " altiori." hæc obtrudit veluti totidem oracula nullo citato Authore, loco, vel anno quo contigerunt: quamvis inferiùs num 133. nihil admittendum contendat nisi viso autographo, sed forsitan sibi visus est (etsi ignotus, et obscurus) tanti nominis, et Authoritatis Scriptor, ut nihil præterea sit requirendum. non tamen in Pythagorica incidimus tempora, sed ut omittatur verum esse quod dicit. Patriarcha Aquileensis habuit sub suâ potestate ad Summum Istriam, Forojulium, partem Dalmatiæ, et modernum territorium Venetum, ac pauca alia adjacentia, reservantibus immediatè sub Suo Patriarchatu reliquas Italiæ Provincias, et Metropoles, omnium Dignitatum Institutoribus, ac Moderatoribus Romanis Pontificibus.

83. Contigiſſe autem oportuit litigium Patriarchæ Aquileenſis de præcedentiâ (ſi vera ſit narratio) non in dicto diſtrictu, aut cum Subjecto ſibi Præſule, qui non tam impudentèr auderet Superiori ita refragari (niſi par eſſet paucis noſtratibus) ſed cum externo, et in alienâ ditione. Quis verò miretùr ſi ibi nullam admittatur habere juriſdictionem ? et caſu quo Patriarcha Alexandrinus, vel Antiochenus, aut Archiepiſcopus Carthaginenſis indubitatè ſub ſe habentes *Metropolitanos*, et *Primates* inferiores, in Synodo, vel cætu cleri convenirent Dublinij, aut Caſſeliæ, quid quæſo juriſdictionis vel præeminentiæ ibi prætendere, aut acquirere poſſent præter debitum ſaltem ex urbanitate primum conſeſſum, ſeu potiorem locum ? quin tamen indè impedirentur quo minus in Subjectos ditioni ſuæ Archiepiſcopos Patriarchalem, et Primatialem exercerent authoritatem.

84. Et ut vis Argumenti, ſeu potius ineptia conjunctim attendatur : Carolus Magnus, aliuſue Scriptor Epiſcopos, ac Archiepiſcopos nominant ante Patriarchas : Patriarcha Aquileenſis nullum præter primum conſeſſum obtinuit privilegium, aut juriſdictionem extra ditiones, et terminos ſibi Subjectos, ac deſignatos a Sede Apoſtolicâ : *ergo titulus Primatis nihil Superaddit Epiſcopali.* Quis ejuſmodi quiſquilias colligat e luto, niſi ſimul determinatus ſtomachum movere, provocare indignationem, et penitùs lædere patientiam Lectoris.

85. Nontamen detectis ſuis næniis animo cadit, aut receptui canit Anonymus, ſed Adverſarios proſtratura exhibet Nicolai Secundi ad Rodolphum Bituricenſem hæc verba : " Patriarchas, vel Prima-
" tes nihil privilegij habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum Sa-
" cri canones concedunt, et priſca conſuetudo illis antiquitùs contu-
" lit, definimus." ſed pace ipſius enormitèr fallitur in Suo imaginario triumpho, nam definitionem Nicolai avidiſſimè excipiunt, illique acquieſcunt, et indivulſè innituntur Armacani certò Scientes ſe inde palmam relaturos, cum nihil aſſumant, niſi quod Sacri canones, Diplomata Romanorum Pontificum, et priſca conſuetudo contulerunt.

86. Si adducta deſuper præcedenti opuſculo, præſertim a num 1; ad 30. attentè et vacuo præjudiciis animo evolueret, ac Simul aſſequeretur intelligentiam Anonymus, parumpèr veroſimiliter demitteret nimiùm elatam Criſtam, nec tam arrogantèr impotentiam afferendi pro ſuâ cauſâ canones, aut conſuetudinem improperaret Armacanis,

canis, quos insito sibi fastu thraso *provocat ad congrediendum si audeant, et inficiandum si possint,* " ea quæ ad probandam æqualita-
" tem quæ semper fuit, et esse debuit inter Metropolitanos ex eru-
" ditissimo Authore Patre Thomasino est prolaturus," et sunt Sequentia.

87. " Nec aliud in conciliis, vel Pontificum decretis, crebriùs,
" enixiusvè conculcatum est, quam ut suis singuli juribus illibatis
" gaudeant Metropolitæ, ne quisquam eorum in collegas quidquam
" audeat, sed Suam quisque cum Synodo Provinciali juxta Apostoli-
" cos, Nicænosque canones Provinciam regat: et si quid alij in Col-
" legarum Provincias ausi sunt, illos intra legitimos fines coercuere
" Pontifices, liberaque inter Episcopos, et æqualia jura juxta cano-
" nes Servavere.

88. Frustra Anonymus ad inficianda ista lacessit Armacanos non consuetos (sicut ipse Solet) apertissimæ veritâti refragari, Sed expansis ulnis occurrunt Scientes ita Statutum Apostolorum can 34, Nicæn can 4, et 6. Constantinop can 2, aliisque tot Summorum Pontificum, ac Subsequentium conciliorum Decretis, ne *Episcopi* aut *Metropolitani* ad alterius Ecclesiam, vel Provinciam sese extendant. Sed quid quæso hoc iterum ad intentum Anonymi? aut quid obest Armacanis Scientibus pariter (quod nemo vel tenuissimæ eruditionis ignorat) in Oriente, Africâ, et Europâ, præfatorum Pontificum, et Conciliorum Diplomatibus extitisse a primis Sæculis constitutos *Primates* habentes Subjectos Metropolitanos cum Provinciis, imo integris Regnis, in quos jurisdictionem Primatialem obibant. Collige dicta Superiùs a num 35, ad 41. undè hic etiam habes quemcunque parum proficere percurrendo canones, et Authores, qui externo vocis Sono veluti cortici inhærens, non ampliùs penetrat, nec concipit, sed confundit veram intelligentiam.

89. " Corroborabimus (inquit) hanc Patris Thomasini assertio-
" onem calculo alterius Authoris omni exceptione Majoris *Sancti*
" Hincmari Rhemensis referentis quod Drogo Episcopus Metensis
" declaratus fuerit Primas Galliarum, eique unanimiter restiterint
" omnes Metropolitæ Gallicani, quare Drogo, etsi Papa urgeret fi-
" lium fuisse Caroli Magni, singularisque pietatis, et Doctrinæ vi-
" rum, quod affectu ambiit, effectu non habuit, sed incæptis desti-
" tit ne Schisma generaretur, *ac invidiosam novitatis dignitatem,*
" *quâ ut unus tolleretur, deprimebantur omnes, non ferebat.*" ista ad-

ducens Magistralitèr exclamat Anonymus: *Hoc Exemplar, hic Typus, hæc motiva quæ perpetuò obstruere deberent ora, et silentium imponere calamis Antagonistarum.*

90. Quis autem fuit ille omni exceptione Major Hincmarus (quem pro eà, quam sibi arrogat, authoritate Cælitum fastis ingerere non verecundatur Anonymus *Sanctum* illum appellans) quamque iniquus, et crudelis opprimendo insontes, etiam proprium Suum Nepotem, alium Hincmarum Laudunensem Episcopum, quem ferreis vinculis onustum biennio detinuit in carcere, illique tandem immanissimè oculos effodit, non aliâ de causâ, nisi quia Sedis Apostolicæ jura contra subruentem Patruum propugnaret, et quam infidus, ac perversus in Scriptis falsificando ipsas litteras Apostolicas, refractario, et furenti animo obsistens, et conscribens Summo Pontifici, consuli potest Cardinalis Baronius, et ejus Abbreviator Gallicanus Episcopus Spondanus epitom ad an 853, 863, 866, 870, et 871.

91. Ut tamen impræsentiarùm omittamus irrefragabilem fuisse Authorem Hincmarum (modò non canonizetur absque consensu, et authoritate Ecclesiæ) nonnulla in memorato facto occurrunt annotanda. imprimis Drogo Metensis Episcopus (cujus Sedes nullam Singularem prærogativam prærogativam obtinuit, Sed Semper fuit, et etiamnum remanet Suffraganea Archiepiscopo Trevirensi) stemmatis Splendore, et patrocinio Regum fretus, vel forte dominatûs libidine correptus Subreptitiè Galliarum Primatûs indultum a Summo Pontifice impetravit, quod cum novum esset, ac inviſum attentatum pervertens ordinem, et infringens Regulas antiquas, cur non meritò Sese opponerent cæteri Gallicani Metropolitæ (inter quos plures Sedi Apostolicæ immediatè Subjecti reperiuntur *Primates* inferiores quidem, et intra certas provincias ob rationem adductam P. op num 53) ne desidiosè, et perfide paterentur convelli jura, et Privilegia Ecclesiarum sibi commissarum? aut quomodo Drogo observans æquissimam renitentiam Præsulum, et iniquam suam usurpationem non illicò desisteret, alioquin meritò privandus ipsâ Sede Metensi, sicut in Simili ausu contigit Metropolitanam in Secundâ Provinciâ Narbonensi dignitatem arroganti (etsi inniteretur Decreto Taurinensis concilij) Proculo Massileensi justâ animadversione S. Zozimi Papæ vid P. op num 112.

92. Nunc Sepositò livore cordis, et præventione, vel fortè Supinâ hebetudine mentis, quæ hic occurrit paritas, quodve exemplar imitandum

tandum Armacanis, quorum Eccleſia a primordiis Chriſtianitatis in hoc Regno conſtituta fuit authoritate Apoſtolica *princeps Metropolis, et Primatus totius Inſulæ* applaudentibus omnibus Incolis, ac Anteceſſores totiès obierunt Primatialia munia per cæteras Provincias, et jura, ac prærogativas ſuæ Sedis Sartatecta pro poſſe conſervare Mandato Apoſtolico, et ſolenni juramento in inſtallatione emiſſo obſtringuntur, ne perjurij, aut prævaricationis infamiam incurrat.

93. Hic advertendum quam parum rationi conſona, parumquè fundata fuiſſet communis illa omnium Archiepiſcoporum conſpiratio contra novitèr inſtitutum in gratiam Drogonis Primatum Galliarum, ſi (ut perperam obtrudit Anonymus) *Primas*, *Metropolitanus*, et *Archiepiſcopus* differrent tantum verbis, ſed ejuſdem omninò eſſent Significationis, et dignitatis. Viſum eſt Sæculo elapſo Eccleſiam Pariſienſem a Gregorio 15. erectam fuiſſe Archiepiſcopalem acquieſcentibus aliis Archiepiſcopis Gallicanis. cur non idem contigit in caſu conſtituti Primatis Drogonis, niſi quia doctiſſimi Præſules, et de juribus Primatialibus plenè eruditi præſagierunt, et apprimè comprehenderunt *Primati totius Regni* a Sede Apoſtolicâ inſtituto, ultra Archiepiſcopalem, competere juriſdictionem Sublimiorem, et Primamatialem Super reliquos Archiepiſcopos, et Provincias illius Regionis, et (ſicut ibi perhibetur) quia elatione unius ad dignitatem Primatialem *deprimebantur omnes reliqui*, quod nullatenus evenit conſtituendo de novo Archiepiſcopum.

94. Unde iterum habes non tantum alienis, ſed etiam propriis ſuis Armis jugulandum Anonymum, *qui ne prolixior ſit, et quia arbitratur luculenter ſe probaſſe intentum, ait* " nolle amplius ſe immo-
" rari tam *efficaci* argumento, aut exhortari Septentrionalem Me-
" tropolitanum ut continendo ſe intra terminos juſtitiæ exemplum
" indè deſumat." ita vanedicus ſupra ſe elatus gloriatur, et delectatur ſuis affaniis, etſi omninò indignis relatu, niſi quantum ad illius imperitiam, et arrogantiam coarguendam deſerviunt.

95. " Si fortè (inquit) quis illum putaret ob remota Sæculorum,
" et ætatum argumenta non penitus adimpleſſe quod aſſumpſit per-
" ficiendum, reperiet ipſum inſtructum tam prægnantibus argumen-
" tis recentiorum temporum, et Authorum communi calculo Se-
" cum aſſeverantium omnes modernos Primates non niſi *Titulares*,
" et *Nominales* duntaxat." Qui omnes Plagas, ſi non poteſtate, ſaltem imaginatione complectitur, Præſulumque cunctorum Dignitates

tes pro ſua licentiâ, et libitu moderatur, quidni paratus (veluti individuum vagum) occurrat ubique ? et ut deſcendat ad particularia.

96. " Si quis (ait) intra terminos chriſtianitatis plus prætendere " poſſet, oporteret eſſe Epiſcopum Toletanum nuncupatum Prima- " tem totius Hiſpaniæ cum tot aliis reſonantibus Epithetis, quot " poteſt confundere Hiſpanorum vana jactantia *Rodomontado.*" ita obſcurus Satyricus vix ullum intactum relinquens ſubſannat, et deridet inclytam, et glorioſiſſimam nationem Hiſpanicam. qui ſuperius ſolius ſuæ authoritatis pondere (ne dicatur veſania) auſus fuit Patriarcham Antiochenum *Nominalem* tantum aſſerere omnibus aliis Prærogatiuis deſtitutum, cur non eadem præſumptione, et quidem a fortiori deprimat Primates Occidentales ? ſed quid de Toletano ? adducit ex Roderico (ſic tradit non citato libro, aut loco) quæ Sequuntur.

97. " Toletani Primates ſolo nomine gaudent, ac ne nunc qui- " dem præter nomen, ullam ejus Poteſtatis partem exercent in ali- " as Hiſpaniæ Provincias, neque componendis litibus neque Sontibus " plectendis, neque Legibus promulgandis." habent Toletani, et Semper habuerunt, qui ſua jura vindicent, et propugnent contra refractarios : quod cum aliis ſtrenue perfecit haud ita pridem celebris Author Joannes Azorius in ſuo (quem ex profeſſo Scripſit) tractatu de Primatibus *inſtitut moral part* 2. *lib.* 3. *cap.* 35, *et* 36, ubi pro Primatiali juriſdictione Toletana per Univerſam Hiſpaniam citat cum pluribus aliis *Rodericum lib.* 6. *cap.* 18.

98. Sed ut præ aſſertione cujuſcunque Authoris, quantumvis magni nominis prægnantiora, et irrefragabilia proferantur documenta vidimus ſupra num. 37, quomodò Urbanus 2. Epiſcopum Toletanum ſuper univerſos Præſules Hiſpaniarum confirmaverit Primatem, ad quem tenerentur referre quæcunque inter illos exorirentur litigia, monens quoque, et jubens obſiſtentem Archiepiſcopum Terraconenſem cum totâ ſua Provincia Subjici Toletano tanquam *Primati.* Et Alexander 3 Didaco Gilmirez Archiepiſcopo Toletano Scripſit his verbis : " Sicut Eccleſia tua tempore *antiquo* Primatum habuit " in tota Hiſpania, ita etiam pro dicta Eccleſia, quam Dei " ordinatione adminiſtras, eandem poteſtatem ut exerceas *in perpe-* " *tuum* in omnes tibi concedimus. ſic refert Mariana *de Rebus*

Hiſ-

Hiſpan part 1. *Lib.* 9. *cap.* 19. idem decreverunt Paſchalis 2, aliique Pontifices relati P. op num. 284.

99. Cum tamen quidam Hiſpaniæ Archiepiſcopi conarentur oſtendere Toletanum in ſuas Provincias nullum habere jus Primatiale. Hyacinthus Cardinalis, Apoſtolicus Legatus in Hiſpaniam ab Alexandro 3° demandatus, cognitâ cauſâ, diſcuſſaque controverſiâ litem diremit, adjudicans Toletano juriſdictionem Primatialem per totam Hiſpaniam, protulitque Sententiam Suſpenſionis in quoſcunque contumaces et rebelles. et cum nondum plene acquieſcerent Refractarij (qui vix unquam deſunt) Rodericus Ximinius Archiepiſcopus Toletanus in generali concilio Lateranenſi 4° coram Innocentio 3°. contra Compoſtellanum tam multis, et efficacibus argumentis comprobavit Eccleſiæ Toletanæ Primatum Super reliquos Hiſpaniæ Præſules, ut eundem Primatum denuo confirmaverit Papa Innocentius : quod pariter fecit Honorius 3. conſulatur Azorius ubi Supra.

100. Hæc (ni fallor) firmiora ſunt, et majoris ponderis apud quemcunque Senſatum, quam obſcuri ullius dicaculi, alteriuſve particularis Scriptoris (ſi occurrat) nuda aſſertio in contrarium. at quoniam Primatus Hiſpaniarum Toleti, (ubi ex jam viſis conſtat ſubſtitiſſe ab *antiquo*) a S. Petro, ut quidam dicunt, vel certè a Succeſſoribus conſtitutus fuit non intuitu Apoſtoli nationis qui ibidem cathedram fixiſſet, ſed ex mero beneplacito, contingere potuit, et forte contigit ut Subſequentium Pontificum Diplomatibus (ita requirente ineluctabili neceſſitate, vel notabili utilitate Eccleſiæ) quædam Sedes eximerentur ab illius juriſdictione, quæ, ut primitus, vigeret in reliquas non exemptas.

101. Aſſerunt rerum Hiſpanicarum edocti ſolere litigantes, qui Succumbunt in Curia Epiſcopali, nec ad Metropolitanum, nec ad Primatem deferre querelam, ſed provocare immediate ad Sedem Apoſtolicam, quæ pro Suprema Authoritate poteſt omiſſo medio admittere, et etiam ad ſe avocare quaſcunque cauſas Eccleſiaſticas (ſicut nuper fecit in viciniis ſine præjudicio tamen judicis ad quem appellatum fuit) *can ſi quis veſtrum* : *can Omnes Epiſcopi* : et *can ſi quis putaverit* cum aliis occurrentibus 2 *quæſt* 6. *cap ſi duobus*, et *cap ut noſtrum de Appellat* : *cap Eccleſia* 4. *ut lit pendent*, et *cap antiqua in fin de privileg.*

102. Provocari pariter poteſt omiſſo medio etiam ad Legatum Pontificium : *cap* 1 *de offic. Legat.* nec mirum, cum eandem prærogativam

vam Patres Chalcedonenſes *can* 9, *et* 17. concedant Patriarchæ Conſtantinopolitano in Suis ditionibus, hæc autem conſuetudo directe appellandi ad Papam, etiamſi duret per mille annos, non abrogat poteſtatem Primatialem, ut docent Cardinalis in ſuis notatis cauſarum notâ 146, Bartholus in proæm digeſtor § et antea, aliique plures, quos recenſet, et ſequitur Proſper Fagnanus in *cap Treugas de treuga, et pace.*

103. Non ſufficit Anonymo quod præcipiti niſu Hiſpaniarum Primatem Toletanum omni juriſdictione extra propriam Suam Provinciam Toletanam denudare attentaverit, niſi ſimul involveret omnes ubique Primates Europæ, idque authoritate Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis ita (ut ait)—— Scribentis, " *primarium*, ac " unicum jus Primatis in Appellationibus ſitum eſt, hoc autem jus " dirimendarum Appellationum Bituricenſi, Burdigalenſi, Narbo- " nenſi, et Viennenſi, licet Primates ſe indigitant, extra Provinci- " am non competit, nec ulli alteri Primati in Evropâ." exciperet ſaltem Superiorem Suum Primatem Lugdunenſem (cujus prærogativas denotat Baron, ad an, 588) habentem juriſdictionem ſuper plures Provincias, ut præter alia documenta, patet ex Epiſt, 34, et 35, Greg. 7, lib. 6, Regiſtr et Decreto Urbani 2, in Concilio Claromontano confirmantium a Prædeceſſoribus inſtitutum Lugdunenſem Primatum, ad quem ab ipsâ etiam Curia Archiepiſcopali Pariſienſi datur Jus appellationis, ſicut experientiâ conſtat et nullus rerum Galficarum peritus denegare poteſt; vid. inferius num. 222. Lectitando etiam acta et hiſtoriam Concil, Trident apud Cardinalem Palavicinum lib. 23, cap. 8, et 10, exciperet pariter Primatem, ſeu Patriarcham Venetum intra Europæ fines indubitatò conſtitutum, vid. P. op. num, 71.

104. " Ad declinandam vim hujus ſententiæ, et acumen (addit " Anonymus) non aliud video remedium Adverſariis, quam refor- " mare Tabulas Geographicas, et ſtatuere hanc Inſulam ſub alio me- " ridiano" ſic inſulſe inſultans triumphat de Succeſſu,at ipſe potius ſaniorem domi mentem indueret, quam ineptiret ſub alio climate, aut Horizonte collocandam Hiberniam noſtram ob dictum unius Petri de Marca (ſi forte de eo vera hic narrantur, nam fateor me nunquam illius opera legiſſe in fonte) qualis autem apud Sedem Apoſtolicam, et S. inquiſitionem audiat de Marca norunt peritiores et, ſicut Superiùs annotavimus num 74, ceſpitavit in plano obtrudendo primam

mam omnium Eccleſiarum, quæ titulo Primatûs aucta ſit fuiſſe Bituricenſem in fine Sæculi octavi, non tantopere demirandum quod omnes Primates Archiepiſcopis juriſdictione obtendat æquales, ut ſic ipſe, aliique ejuſdem indolis ſub nullius Primatis poteſtate rediganţur.

105. " Avet Scire Anonymus quibus ſpecialibus prærogativis " innitatur Primatus Armacanus ne Succumbat fato aliorum Prima- " tuum, quos abunde depreſſiſſe ſe imaginatur, et reſpondet non " tam ſtupidum ſe, qui credat Armacanum vel minimum habere " fundamentum *pro tam extravaganti oſtentatione* (audi modeſtum " declamatorem) aut adeo vanum eſſe, ut Sedem ſuam æquipararet " Alexandrinæ, vel Antiochenæ dotatis *Singularibus privilegiis, et* " *ampliſſimâ juriſdictione* ad perpetuam memoriam univerſalis poteſ- tatis, quam illarum Sedium fundator Princeps Apoſtolorum Petrus " habuit in totam Eccleſiam.

106. Vaniſſimus certò eſſet Armacanus, nec minùs videretur delirare quam garrulus Anonymus, ſi talem prætenderet æquiparationem. hinc iterum colligas quantâ cerebri vertigine circumferatur, cum (ſicut viſum eſt num 50) Primatum Antiochenum non niſi *Nominalem* tantum, et *Titularem* nullâ præditum juriſdictione extra propriam Suam Provinciam Antiochenam aſſeruerit: attamen hic novo Scotomate ſui oblitus affirmat (et verum eſt) *Singularibus privilegiis, et ampliſſimâ juriſdictione* inſignitum, ſibi Semper contrarius, adeoque repellendus in totum juxta *cap Licet cauſam de probat.* non æmulantur obſcurum, et Satyricum Anonymum, nec ſimilem ſibi Provinciam deprimendi alios quoſcunque Authoritate Apoſtolicâ inſttutos Primatus arrogant Armacani, qui militantia pro ſuo, illumque demonſtrantia monumenta exhibuerunt P. op a num 1, ad 30, et Seqq: nec hic denùò repetenda videntur in gratiam Ardelionis.

107. Ut tamen paucis diſcat Anonymus, et pridem ſcire oportuit, ſi fortè Sacris ordinibus initiatus officii Eccleſiaſtici recitandi debitum exolveret. Armachia ad Supereminentem illam dignitatem evecta fuit, dum ibi glorioſus hujus Nationis Apoſtolus S. Patricius cathedram ſibi, ſuiſque Succeſſoribus fixit, et authoritate Romani Pontificis totius Hiberniæ Primatum conſtituit, non autem ob exotica figmenta, quæ deriſoriè commemorat Anonymus, quemadmodum comminiſcitur " Urbem Arelatenſem factam Primatialem ut incitaren-

" tur ejus Incolæ contra graſſationes Gothorum, et Burgundionum,
" Rhemenſem contra ingruentes Francos: Cantuarienſem autem et
" Eboracenſem contra invadentes Anglos, et Saxones."

108. Unde quæſo iſta hauſit? quo Authore imponit has fabulas? "
" Arelatenſem Eccleſiam effectam in Galliis Primatialem ob reveren-
" tiam S. Trophimi (cujus meminit S. Paulus ad Timot) illius ci-
" vitatis Epiſcopi, qui ab Apoſtolicâ Sede tranſmiſſus ibidem Sedem
" fixit, et ad illas Regiones tanti nominis reverentiam exhibuit, et
" in alios non immeritò eâ, quam acceperat, authoritate tranſtulit"
expreſſis verbis docet S. Zozimus Papa Epiſt ad univerſos Galliarum Epiſcopos, et aliâ epiſt ad Hilarium Narbonenſis primæ Antiſtitem (vid Superiùs num 45, et Martyrolog Roman die 29, decembris) unde Baronius ad an 417, ait: *quod Evangelium in Gallias per S. Petri Apoſtoli diſcipulum S. Trophimum allatum fuerit, et per eundem Sedes Arelatenſis erecta, ea de cauſa hæc Eccleſia primaria in Gallia habita eſt.* et ad an 499, ac 514, Primatum Rhemenſem aſcribit meritis S. Remigij illius civitatis Epiſcopi, qui ob converſionem Clodovei Regis, illiuſque gentis, peculiaris Francorum Apoſtolus appellari meruit.

109. Cantuariam autem aſſecutam Primatum totius Angliæ, quia eam ſibi, et Succeſſoribus delegit Sedem S. Auguſtinus Anglorum Apoſtolus, cum Bedâ lib 1, cap. 26, et 33, aſſerunt Creſſius, Spelman, Cambdenus, aliique authores commemorati P. op num 37, et evincit pariter ibid exhibita Kenulphi Regis ad Leonem, Papam Epiſtola. et tempore Sanctorum Petri, et Trophimi non tantum Gallia, ſed et maxima pars tunc noti orbis parebat Imperatoribus Romanis ceſſante omni vi externâ, et periculo a Gothis, et Burgundionibus, qui non niſi ſubſequentibus ſæculis innotuerunt, et infeſtare cæperunt imperium Occidentale.

110. Franci verò longè ante tempus S. Remigij, illiuſque Sedis erectum Primatum, Galliam poſſederunt cum Urbe Rhemenſi ſub tot Ducibus, et Regibus Anteceſſoribus Clodovei, in Britanniâ etiam adveniente S. Auguſtino, et Cantuariæ conſtituente Primatum, Angli, ſive Saxones expulſis antiquis Incolis Britannis, et redactis in angulum ſeu arctum diſtrictum Walliæ, reliquas Regiones partiti ſunt inter Septem Reges Angloſaxones, quorum unus Ethelbertus Rex Cantij, (quem S. Auguſtinus ad fidem convertit) præfuit Cantuariæ, Sicut Eboraco potentiſſimus Rex Ethelfridus: vid P. op

num

num 39 attamen ob metum irruentium Gothorum, Burgundionum, Francorum, et Anglorum Urbes Arelatensis, Rhemensis, Cantuariensis, et Eboracensis obtinuerunt dignitatem Primatialem.

111. Sic placet ineptienti (ut assolet) nostro Anonymo, qui sicut obtusi se, et confusi cerebri ostendit in adaptione, et intelligentiâ canonum, licet vanâ gloriatione, Seu Rodomontado ut exprobat Hispanis, ostentet suam eruditionem, et multam lectu̇ram: ita in Historiâ tum Ecclesiasticâ, tum Sæculari peregrinum se demonstrat, ut adhibendo fidem tam contrariis, et notoriè falsis oporteret Lectorem oculos occludere, et captivare intellectum, imo ipsam etiam rationem protinùs objicere in obsequium tenebrionis, cui nescio an non quadret quod apol 1, in Rufin protulit S. Hieronymus: " Ego " Scripta tua relegens quanquam interdum non intelligam quid lo- " quaris, et Heraclitum me legere putem, tamen non doleo, nec me " pænitet tarditatis, id enim in legendo patior. quod tu pateris in " Scribendo.et nusquam(ni fallor) reperiuntur Reges, aut Respublicæ ingruentibus hostibus objicere Dignitates Ecclesiasticas, sed potiùs munita propugnacula, et præsidia militaria.

112. Sicut prætermittimus utpotè indigna responso, et attentione recentia iterum hoc loco, et Scurrilia probra in Armacanos, quos *impudentiæ*, *Summæ temeritatis*, et *Maximæ præsumptionis* incusat, ita non immoramur Sarcasmis, quibus Suggillat, et traducit Diplomata Pontificia pro Armacanis prærogativis, ac testimonia Authorum, quæ comparat quinque lapillis selectis a Rege David contra Goliath : Spondetque se probaturum non nisi *tot arenulas*, et *Fundam* qua jaciuntur *inanem Stipulam.* bonum omen quod Superbus Goliath, etsi Davidicam Fundam despiceret, et lapillos, uno tamen ex illis prostratus succubuerit. liceat augurari eandem fore sortem insultantis Anonymi non omnino abhorrentis a jactantiâ Goliathi, qui ostentabat: *exprobravi agminibus Israel hodie sed de hoc posteà.*

113. Interim tempus frustra terit, et Seipsum fatigat probando potuisse falsis Suggestionibus circumveniri Summos Pontifices, et ita quandoque accidisse, cum id nemo inficietur Romæ, aut alibi. Absit tamen ut ab actibus disparatis fiat illatio, aut concludatur a posse ad esse, quasi necessario id contigerit in casu Alexandri 4i, et Urbani 4, quorum diplomata exhibita P. op num. 20, iterum ad Solatium Lectoris hic Subjicimus novo miraculo, aut Saltem demirandis præstigiis

illico transformanda in *Arenulas*, si credimus Anonymo, qui ordinem invertit præpropere incipiendo ab eo quod prodiit posterius. ut ergo rei gestæ filum Sequamur: refert Odericus Reynaldus ad an 1255 num. 40, judicium Alexandri Quarti.

114. " In Hiberniâ contendentibus de Primatu Archiepiscopo Ar-
" macano, et Tuamensi, controversiâque apud Subsellia Apostolica
" disceptatâ Armacano in Tuamensem Provinciam ab Alexandro
" quarto authoritas adjudicata est." Authoritate Apostolicâ de fra-
" trum nostrorum consilio taliter providemus quod præfatus Archie-
" piscopus Armacanus, et Singuli sui Successores possint se vocare vel
" appellare, *si voluerint* Primates Provinciæ Tuamensis, et facere de-
" ferri ante se crucem per totam ipsam Provinciam quantumcunque,
" et quotiescunquè ipsos transire contigerit per eandem: possint eti-
" am dictam Provinciam de quinquennio in quinquennium visitare,
" ac per 27. dies duntaxat visitationis officio immorari, &c. datum
" Ananiæ idib Octob. an. 1.

115. Ut audiatur Glossa Anonymi super relatis verbis, e quibus
" dicit obvium esse Præsulem Armacanum tunc temporis nullam
" prætendisse jurisdictionem, in Cassellienses, aut Dublinienses: alio
" quin absurdum esset credere *minimum consideratione, et dignitate* e
" tribus contendere voluisse de eo, quod alii duo agnoscebant. Hic iterum more solito hallucinatur Anonymus: non enim quæstio fuit uter esset Primas (ut perperam insinuat) Armacanus, an Tuamensis: quoniam dignitas Primatialis nusquam denegabatur Armacano, ut constat P. op a num. 1. ad 30, ac Specialius in simili disceptatione a num 318. ad 321, vid etiam num. 374. Sed tota contestatio in eo vertebatur an sub ipsius jurisdictione Primatiali comprehenderetur Provincia Tuamensis, quod renuebat illius Sedis Archipræsul. et mirabile est, quod non tantum veritati, et publicæ notorietati repugnet passim Anonymus, sed etiam sibi ipsi ubiquè ferè contrarietur.

116. Supra enim asseruit num. 26. *Quatuor Metropolitanos jurisdictione, et potestate æquales suis respectivè Provinciis Separatim, et independenter præfectos authoritate Apostolicâ, et consensu totius nationis.* nunc autem astruit *minimum consideratione, et potestate* inter tres Archiepiscopos fuisse Tuamensem. quomodo istud *æqualis*, et *minimus* nisi quod nihil consonum ex tam vario, et præcipiti cerebro expectari possit?

Præ-

Præterea omisso etiam gratis quod Tuamensis esset minimus, potuit tamen esse ambitu maximus : et quod indè argumentum ne temerario quidem ausu se subducere niteretur jurisdictioni Armacanæ, cui alij duo subessent ? vidimus Superius num. 15. 16, 17, 53, et 54, tot fuisse Patriarchæ Antiocheno subjectos Episcopos, et Metropolitanos, nullus tamen illorum reperitur ausus se subtrahere Patriarchali potestati ante Joannem Hierosolymitanum nullâ Metropolitanâ dignitate insignitum, sed Suffraganeum Archiepiscopo Cæsareensi : quasivero pari elationis vento intumescere non potuit Archiepiscopus Tuamensis, sicut vere contigit, donec ipsius proterviam——repressit Alexander quartus.

117. Ex illis verbis ut possint se vocare si voluerint Primates Provinciæ Tuamensis (quæ comminiscitur inserta ad instantiam Armacani) audacter asserit constare *evidenter* Armacanum ante illud tempus extitisse duntaxat Primatem Ultoniæ. Sicque quicquid incidit imaginationi, dum lubet, *evidens* apparet Anonymo, quem tot pudendi lapsus evincunt plerumque etiam in manifestis cæcutire, ac clarissimæ veritati plus quam Cymmerias tenebras offundere. Immo ex adjunctà ibi conditionali particula *si voluerint*, manifeste patet Armacanum non postulasse Titulum Primatis Tuamensis. quomodo enim de illius voluntate, aut acceptatione ostenderet se dubitare Pontifex, casu quo antea pro impetratione Supplicasset ?

118. Et ultra quod nullius sit collitigantis alteriusve Personæ præscribere judici præsertim Supremo terminos, quibus mentem Suam exprimat, aut proferat Sententiam, fateor ex illa clausula nihil accrevisse Armacano tot præcedentibus sæculis constituto Primati totius Regni, detractum tamen Tuamensi in pænam attentati, ne ampliùs liceret inscribere se Primatem Conaciæ, sed penitus interdiceretur usu invalescente apud quosdam alios Metropolitanos sese nominandi Primates suarum Provinciarum : unde nonnulli quemadmodum et Tuamensis prætextum arripuerunt quandoque erigendi cristas contra suos legitimos Superiores totius nationis Primates. Sicque accidit Tuamensi, quod fabulæ camelo, qui cum cornua ambiret, auribus Spoliatus fuit.

119. Perpenderet Anonymus in controversia coram Tribunali contradictoriè disceptata (sicut contigit in hoc casu) non Spectare adjudicis officium quidquam tribuere de novo, sed juxta meritum causæ illam adjudicare parti, quæ luculentius probavit suam intentionem,

at-

atquè ſublato obice facere poteſtatem libere utendi re ſua perpetuum contrariantibus indicendo Silentium. unde etiam ex hac deciſione Alexandri Papæ liquidiſſime patet habuiſſe antecedenter Armacanos jus viſitationis, aliaſque prærogativas Primatiales in Provinciam Tuamenſem, et reliquas hujus Regni: vid P. op num. 20.

120. Aliter cur non Sancitum neutrum contendentium alteri præeminere, ſi verum eſſet Quatuor Archiepiſcopos diviſam, et ab invicem independentem habuiſſe, imo et *æqualem juriſdictionem, ac poteſtatem* juxta figmentum Anonymi, quod ex hoc quoquè capite prorſus diruitur? nec quiſquam objiciat durum videri ob culpam unius Antiſtitis Sedem, et Succeſſores privari denominatione Primatis. Non enim jure competebat ille Titulus, aut indultus a Romano Pontifice, cujus eſt inſtituere omnes apices, et Dignitates Eccleſiaſticas, ſed propria præſumptione uſurpatus, nullam continens Specialem prærogativam, adeoque ob proterviam unius inſurgentis contra Hierarchicum regimen, et conſtitutiones Papales merito Subſequentibus præcludebatur aditus committendi ſimiles abuſus.

121. Sequitur Bulla Urbani Quarti conceſſa Patricio o Scanlan ordinis Prædicatorum ad Sedem Armacanam promoto an 1261: *Primatiam vero totius Hiberniæ, quam Prædeceſſores tui uſque ad hæc tempora inconcuſſe habuiſſe noſcuntur, ad exemplar Cæleſtini Papæ Prædeceſſoris noſtri tibi, tuiſque Succeſſoribus Authoritate Apoſtolicâ confirmamus, ſtatuentes ut Hiberniæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, et alij Prælati tibi, et Succeſſoribus tuis tanquam Primati obedientiam, ac Reverentiam omni tempore debeant exhibere*, &c.

122. Huic Bullæ enervandæ nihil omiſiſſe, imo multo plura objeciſſe quam ad rem pertinerent, cenſebatur Petrus Dublinienſis (vid P. op num. 371, et Seqq) ſed ecce longe magis formidabilis inſurgit Athleta intimius, et medullitus rimaturus quamlibet voculam, ad cujus aſpectum corruere oportet dictam Bullam. qua tamen tantiſper ſepoſitâ, primo adoritur Authorem, iniquitatem improperans Papæ " Urbano, quem criminatur nullo ſervato juris ordine, aut formula " judicij, contra veterem conſuetudinem, contra juſtitiam, et ipſam " rationem tres reliquos Archiepiſcopos hujus Regni non citatos, " nec auditos nullo dato defenſionis, aut exceptionis loco, antiquis, " et ſelectis Prærogativis derepente ſpoliaſſe, *apud quem major fuit* " *unius Fratris voluntas, quam obſervantia debita ſacratiſſimis Sanc-* " *tionibus, et canonibus Eccleſiæ, imo quam utilitas univerſæ domùs*

Dei.

" *Dei.* cum potius illum Præſulem Armacanum redarguere deberet,
" quam hujuſmodi conferre Diploma, quo opprimeret collegas."

123. Sicque cenſoriam uirgulam, et Pædagogicum Magiſterium inſolenti auſu arrogat in ipſum etiam Summum Pontificem calumniarum laciniam virulentis dicteriis farciens. forenſium enim Rabularum mos eſt, et ſemper erit, ut cum ſe cauſa victos eſſe ſenſerint, nec ulterius quod dicant, habeant, ſe ab iniquo judice auditos non fuiſſe querantur. qui tam irreverenter, ac inverecunde rodit ſupremum Eccleſiæ caput, quidni maledicentiæ habenas laxaret in Armacanos? Siquidem in omnes indiſcriminatim æſtrum ejus furit et (ſicut de Vatinio obſervavit Seneca) aſſiduis convicijs didicit depudere.

124. Nonulla profert Reſponſa Pontificum declarantium ſe non intendere ſuis indultis, nullatenus ſubſiſtentibus niſi Preces veritate nitantur, jus alteri acquiſitum tollere, aut derogare Eccleſiis cum præjudicio poſſidentium in eorum abſentia, donec ipſi compareant, vel deſuper admoneantur: quæ quantum huc Spectant, fuſe referuntur, et (ni fallor) magis appoſitè adaptantur P. op num. 66, et Seqq, et nequaquam quadrant caſui, de quo agitur in præſenti.

125 Cum non recens jus condiderit, vel quidquam indulſerit de novo Urbanus, ſed priſca, et tot antecedentibus Sæculis vigentia Privilegia Solummodo confirmaverit, et declaraverit intelligentiam, atque extenſionem, in quo nec citatione, nec monitione opus erat ut cum Oldrado Cons. 293 : Innocentio in cap Olim de verb. Signific. Paulo de Caſtr. Cons. 338 cæteriſque Juriſperitis obſervat et tradit Proſper Fagnanus in Cap. Quoniam de Conſtitut. cujus proinde factum non Canones violaſſe, non læſiſſe Juſtitiam, aut deſpexiſſe utilitatem Domus Dei, nec Reliquos hujus Regni Archiepiſcopos ſpoliaſſe prætenſis Prærogativis (quas nunquam habuerunt extra imaginationem, comminiſcentis) ſed e contrario ab omni cenſura, et vitio immune ac juri, et Rationi conſentaneum cuicunque præjudicijs non correpto ad oculum demonſtrant adducta hactenus hic, et præcedenti opuſculo, ac inferius e re natà adducenda pro Præemimentia Primatiali ſedis Armacanæ, quam authoritate Romani Pontificis, totius Inſulæ Principem, et Metropolim conſtituit S. Patricius.

126. Quod ut Specialius innoteſcat argumento ad hominem. tradidit Superius num 26. Anonymus tres Archiepiſcopos Dublinienſem, Caſſelienſem, et Tuamenſem *æquales omninò et pares juriſdictione, ac poteſtate*, ita ut neuter illorum alterum excederet dignita-

te,

te, aut prærogativâ. omnes igitur æqualiter, et ſine differentiâ ſubdebantur authoritati Primatiali Armacanæ, vel æqualiter eximebantur ab eâ: atqui Supremus judex in controverſiâ apud Subſellia Apoſtolica ritè diſceptatâ, adeoquè vocatis Partibus, prolatis Tabulis, cauſâ cognitâ et plenè inſtructâ Alexander quartus Sententiam protulit, et declaravit Tuamenſem ſubjacere Viſitationi, et inquiſitioni Præſulis Armacani: Ergo idem cenſendum de aliis duobus Archiepiſcopis: quoniam æqualium, et parium par eſt conditio, et eadem habetur ratio ubique. *cap. inter Corporalia de Tranſlat. Epiſc.*

127. Præterea litigium illud coram Summo Pontifice, et cætu Cardinalium in publico theatro orbis Terræ tanta ſolemnitate diſcuſſum inter duos Archiepiſcopos hujus Regni non potuit latere alios duos Archipræſules vicinos, et contiguos. itaque vel immiſcentes ſe diſceptationi in cauſa omnibus tribus communi contra Armacanum conſpirarunt cum Tuamenſi, vel conſcij ſuæ ſubjectionis, et averſantes inſolitum auſum domi ſubſtiterunt pacifici. Si primum oportuit illos ſuccubuiſſe, et cauſâ cecidiſſe ſimul cum Tuamenſi: Si Secundum, facto ſuo agnoverunt Super Se juriſdictionem Armacanam, cum nihil illis ſpeciale faveret, quo minus eandem cum Tuamenſi ſortem ſubirent.

128. Nonihil in ſe reverſus Anonymus, et moderatiorem præferens animum, ut prævaricationis infamiam quam Urbano affinxit, aliquatenùs delinire videatur ait, " occupatis animis multa ſubtrahi et " ſubripi potuiſſe: addens quidquid allegandum reſtat ad excuſatio- " nem in hoc conſiſtere, quod in brevi Suo Regimine (fuit autem " quatuor annorum) tot graviſſimis curis, et urgentiſſimis Eccle- " ſiæ negotiis ibi recenſitis oppreſſo non vacaverit inquirere, Seu de- " bitè expendere æquitatem Scanlanicæ petitionis provenientis e par- " tibus tam remotis Scilicèt Hibernicis noſtris, quarum exiguam " inſinuat Urbanum habuiſſe notitiam, " affirmat tamen fol 15, Petrus Dublinienſis " Urbanum quartum fuiſſe *rerum Hibernicarum* " *apprime gnarum*, idque patere ex ipſius litteris ad Henricum ter- " tium Angliæ Regem pro conſervatione jurium Eccleſiæ Dubli- " nienſis, Pontificatûs ſui an 10, " Sicquè pauci, vel nulli reperiuntur Primatûs Armacani impugnatores, qui inter ſe frontibus (quod dicitur) adverſis non paſſim concurrant, et mutuis ſeſe calamis non confundant.

129. Quomodò autem ignoraret Papa Urbanus, aut excidiſſet aſſiſtentibus Cardinalibus quod recentiſſimè a Sex annis contigit in pleno conſiſtorio cum penſatis ad amuſſim monumentis, documentis productis ab Armacano contra Tuamenſem, et æquè prementibus alios duos Archiepiſcopos, proximus Urbani Anteceſſor Alexander quartus *de conſilio Fratum Suorum* Cardinalium Armacano adjudicavit cauſam? et quid mirum ſi non ad petitionem Scanlani, ſed ex officio, et pro ſolicitudine omnium Eccleſiarum inanibus ſtrophis, et ineptis cavillationibus quorumcunquè contrariantium (ſi quandoquè inſurgerent quærentes nodum in Scirpo) omnem prætextum adempturus impoſterum Papa Urbanus de rei Serie, et merito cauſæ abundè inſtructus Authoritate Apoſtolicâ confirmaverit antiqua privilegia Eccleſiæ Armacanæ, et declaraverit illius juriſdictioni Primatiali ſubeſſe univerſum clerum totius Regni? quemadodum Alexandrum, et Urbanum exemplo dudum præceſſit (omiſſis impræſentiarum aliis Pontificibus) Innocentius Secundus confirmando, a S. Celſo erectam de novo Metropolim Caſſelienſem *primæ ſedi* (Armacanæ) *et illius Archiepiſcopo ſubditam tanquam Primati*, vid P. op num 7, 119, et 241.

130. " Aliud autumat (quippè fæcundus in conceptibus imagina-
" riis) motivum habuiſſe Papam tantoperè gratificandi Scanlano,
" quia e S. Dominici ordine quem impenſe colebat utpotè ſibi peru-
" tilem in tractandis apud Chriſtianos Principes negotiis, in promo-
" vendâ contra Hæreticos, et Schiſmaticos tunc pullulantes inquiſiti-
" one, nec non in colligendis pro Bello Sacro ſubſidiis: hoc poſtre-
" mum ait præcipuè inducere protuiſſe Urbanum ad amplificandam
" Authoritatem Scanlani, quoniam S. Sedes nunquam ad incitas adeo
" redacta fuit, aut copioſis indiguit ſubventionibus: nullus autem
" magis opportunus cenſebatur quam illius inſtituti Summis Ponti-
" ficibus addictiſſimi Religioſus, qui jam evectus ad Dignitatem pla-
" nè novam in Regno non potuit non allicere, ad Munificentiam
cunctos fideles." ita Anonymus.

131. Nullus diffitebitur orthodoxus Sedi Apoſtolicæ, et univerſæ Eccleſiæ maximo uſui fuiſſe, et futurum Sacrum ordinem Prædicatorum, ſed quod ne unus quidem in totâ Hiberniâ reperiretur tam accommodus, aut idoneus corrogandis pecuniis quam inde deſumptus, ut propterea oportuerit Papam Urbanum Sacratiſſimas Eccleſiæ Sanctiones infringere, jura violare, univerſæ Domûs Dei utilitatem

poſtponere, antiquas aliorum Præſulum prærogativas diripere (juxta figmentum Criminatoris) nemo facilè admittet ſenſatus, præterea non adeò inopem fuiſſe, imò e contrario opibus affluxiſſe Urbanum evincunt immenſi Sumptus, quibus civitatem Urbevetanam variis ædificiis tum publicis tum privatis exornavit, ibiquè diu cum Romanâ Curiâ Splendidè commoratus Sacratiſſimi corporis Chriſti Feſtum an 1264. Solenni Supplicatione inſtituit, Superbas ædes Pontificias in loco, qui dicebatur Solianum, a fundamentis ædificavit, Eccleſiam, et Monaſterium S. Auguſtini extruxit, Minorum, et Prædicatorum Eccleſias reſtituit, et ampliavit Teſte Onuphrio in annotat ad Platinam pag 228.

132. Si verè tot anguſtiis premeretur Pontifex, nonne expediret potius pro impetrando Sublevamine demulcere, et recenti Beneficio demereri cæteros Archiepiſcopos cum Suffraganeis, et Gregibus, quorum expetebat Beneficientiam, quam ullis inviſis, odioſis, ac deprimentibus innovationibus offendere, et irritare in promoventem, ac promotum? quemadmodum contigit (ſi vera referat Anonymus vid Super num 89) communi indignatione, et reſiſtentiâ Præſulum Gallorum contra noviter inſtitutum ſuper ipſos Primatum in gratiam Drogonis Epiſcopi Metenſis. Attamen qui minus auſpicatò ſuccedit in Hiſtoricis, et intelligentiâ canonum, hic Similiter parum cautè, parumque accuratè Motivum Regulis politicis nullatenus conſentaneum, ſed omninò contrarium aſcribit Urbano, in quem priùs vibratis criminationum, et improperiorum Spiculis.

133. Aggreditur Bullam, " cujus ni oſtendatur Originale, nul-
" lum illius apographum ſufficere contendit quin objicere poſſit cum
" S. Gregorio, ſi Scripturam authenticam non videmus, ad exem-
" plar nihil facere poſſumus, " ſic excipit, qui hactenùs in totâ ſuâ farragine ne unum quidem autographum, vel authenticam Scripturam, nec etiam plauſibile documentum quidquam ad rem faciens adduxit, ſed propria commenta, et inſulſas cerebri adinventiones immixtis corruptelis, et impoſturis in veritatem facti, et notorietatem publicam palam impingentibus paſſim obtrudit, quibus tamen Lectorum aſſenſum aucupatur judicem quidem pro Tribunali Sedentem, et definitivè pronunciaturum de re litigatâ non multum movet, nec movere debet, Servato juris ordine, qualecunque ex Scriptum ab unâ parte productum in alterius præjudicium, niſi ſimul ſit authenticum, id eſt manu publicâ confectum coram teſtibus, et Sigilli appoſitione

ſitione roboratum: quæ eſt Mens S. Gregorii, ut exponit Gloſſa in cap 1, et 2, de fid inſtrument.

134. Hæc autem Solemnitas in Serie rerum geſtarum enarrandâ extra judicium non requiritur ad perſuadendum. alioquin quid de nominatiſſimis toto orbe operibus Cardinalis Baronii, Evſebii, Bedæ, aliorumque celeberrimorum Authorum, qui ſuorum, et præcedentium temporum notitiam cunctis applaudentibus ad poſteros tranſmiſerunt, nec vel unicum Originale, vel authenticum inſtrumentum, ſed ad Summum hinc inde tranſumptum citatis monumentis, et Scriptoribus unde hauſerunt, exhibent? Scilicet pro arbitrio ſingularis noſtri Critici ſe cæterorum Cenſorem conſtituentis peremptoriâ illâ exceptione repellentur, " niſi authenticum Scriptum videamus, " ad exemplar nil facere poſſumus," diffitebitur forſitan id ſe Sentire, Sequitur tamen illa quæ tradit: mutet ergo antecedentia (monente in caſu non diſſimili S. Auguſtino lib 2, de adulter conjug cap 4,) ſi velit cavere Sequentia.

135. Cæterum non tam obeſæ naris eſt Anonymus, quin tandem ſuboluerit quam frivola, et abſona Senſatis apparere debeat iſtiuſmodi exceptio, propterea ſimulatâ [quadam, et velutì gratuitâ condeſcenſione declinat dicens, " omittimus Bullam veram eſſe, et genuinam, " formulis juris, et antiquæ praxi conſonam, omnibuſque numeris " completam, etiamſi non intimetur quo loco fuerit edita: et ſub- " jungit, his etiam poſitis nihil prodeſſe Adverſariis, ac monſtratu- " rum ſe jactat quod ipſa eadem Bulla funditus evertat omne illorum " intentum," id quidem facilius eſt effutire, quam perficere, aſſerenti fides duntaxat habebitur, cum firma argumenta, vel ſaltem probabiles rationes veritatem ei conciliaverint, ut tamen opere compleat, varias admovet machinas, niſi congeriem Straminum rectius appellaveris, imprimis factâ inquiſitione, qui jura Primatialia magis livido, quam Sincero veritatis detegendæ, ſed potius Supprimendæ ſtudio ubique Succenſis oculis avidè perſcrutatur, evolveret Regiſtrum Armacanum, ubi illam reperiret expreſſam ad longum loco citato op. præced. num. 371.

136. Interim ut Cavillarum ejus recludantur inaniæ, acrius, quam ſolidius inſurgit in illam Bullæ particulam *inconcuſſe* denotantem Armacanos indeſinenter tenuiſſe Primatiam totius Hiberniæ uſque ad an 1261, quo illam confirmavit Urbanus, et a præcedenti Diplomate Alexandri quarti hoc format argumentum: " Supponit Bulla Urba-

" ni Armacanos id tenuiſſe inconcuſsè a tempore S. Patricii quod " non habuerunt a novem annis, atqui *evidens* eſt nullum habuiſſe " hujuſmodi Primatum a novem annis Super totam Hiberniam, qui " ne quidem habuerunt in Provinciam Tuamenſem ante annum " 1255, quo adjudicavit Alexander Quartus Ergo &c.

137. De hâc argutiola, et obtruſa, ac Suppoſititia *Evidentia* nonnihil jam prælibavimus a num 117, ad 120: quod hic iterum ad trutinam revocare cogit improbitas Adverſarii, non remuneratorem, aut recentium privilegiorum largitorem, ſed judicem egit Alexander quartus inter Partes colligantes, ac juxta allegata, et probata exigentibus juſtitia, debito officii, et rigore juris ſententiam tulit pro Armacano adjudicans ei poteſtatem, et juriſdictionem Primatialem in Tuamenſes: Ergo certiſſimum eſt, ne arrogantia cæcutientis Anonymi abreptus dicam *Evidens*, ex diſceptatione conſtitiſſe Alexandro, et luculentiſſime probaſſe Armacanum ſibi antea competiiſſe illam poteſtatem, in quo omnis iſtius controverſiæ cardo vertebatur.

138. Aliud argumentum naufraganti cauſæ quaſi Tabulam arripit ex Bulla (quam dicit Lucium tertium conceſſiſſe Joanni Cummino Archiepiſcopo Dublinienſi) edita Uilletri idibus Aprilis 1182, id eſt 79, annis præcedentibus Bullam Urbani quarti, et eſt hujus Tenoris. " Sacrorum quoque canonum authoritatem Sequentes ſtatuimus ut " nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopvs abſque aſſenſu Dublinienſis " Archiepiſcopi ſi in Epiſcopatu fuerit in Diæceſi Dublinienſi cauſas, " et Eccleſiaſtica negotia ejuſdem Diæceſis, niſi per Romanum Pon" tificem, vel Legatum ejus fuerit eidem injunctum, tractare præſu" mat, hinc ait planum eſſe Armachiam 79 annis ante Bullam Ur" bani nullum habuiſſe jus Primatiale in Provinciam Lagenienſem, " et ſolita præſumptione concludit clauſulam *inconcuſſe uſque ad hæc* " *tempora* eſſe *evidenter*," falſam, et fictitiam, en alteram fucatam, et obſcuro Authore dignam *Evidentiam*, veluti ſi Anaxagoræ Sectator eſſet nivem eſſe nigram aſſerentis, et ita ab omnibus credi volentis.

139. Illud Indultum ſive verum, ſive Suppoſititium recenſetur P. op num 63, ibique ad num 75, oſtenſum fuit nequaquam officere *Primati*, cujus nulla fit mentio, quo minus Dublinii, et in tota Provincia præcedentiam obtineat, et exerceat prærogativas Primatiales, ac inde provocantium cauſas admittat, et terminet in Curia ſua, nullumque novum inducere privilegium, aut exemptionem Siſtendo in

ipſa

ipſa etiam Bulla, et inſpecto tenore verborum, ac Scopo Summi Pontificis, ut crebrius hic eandem incudem pulſare ſupervacaneum ſit. et quamvis gratis Supponeremus tantiſper quod per illam Bullam a Poteſtate Primatis indubitanter eximeretur Diæceſis, et Provincia Dublinienſis, quid hoc ad Archiepiſcopum Caſſelienſem nullo hujuſmodi indulto ſubnixum, ne eidem cum Tuamenſibus fato ſuccumberet? id obiter: nam vere omnes tres Archipræſules inter ſe æquales æqualiter obnoxij ſunt juriſdictioni Armacanæ.

140. " Aliud notabile, et quidem obvium ait quod Urbanus con-
" cedens illam Bullam declaret ſe Sequi exemplum Cæleſtini: conſe-
" quenter ſupponit Cæleſtinum confirmaſſe Primatum Prædeceſſo-
" ribus Scanlani: quapropter vel Primatum Totius Hiberniæ Cæleſ-
" tinus primo inſtituit, et deinde attribuit Armacanis, vel illam
" Dignitatem a quibuſdam Anteceſſoribus ſuis Armachiæ collatam
" confirmavit. utraque (inquit) allegatio eſt notorie falſa, cum dici
" nequeat ullum Pontificem contuliſſe Primatum ante Cæleſtinum, niſi Primates Ethnicos admittant."

" Neque ipſe Cæleſtinus hujuſmodi Primatiam conceſſit, qui S.
" Patricio poteſtatem tantummodò Legatinam dedit, ſeu Vicariatum
" Apoſtolicum non derivandum ad Succeſſores, ut patet ex eo, quod
" toties Legatos Italos, et Hibernos habuerimus, quod eſſet *abſur-*
" *dum*, ſi Præſules Armacani Succeſſione Legati fuiſſent." Hæc propriis ipſius verbis etſi aliquantulum confuſis referre libuit, ne fortè oblatraret quidquam omiſſum eorum in quibus potiſſimam vim ponit.

141. Obſerves ut indignis geſtiat Sarcaſmis in re Seriâ! quaſi Ethnicos Primates amplecterentur Armacani ultro fatentes nullum in Hibernià extitiſſe Primatum ante Cæleſtinum, qui conſtituit S. Patricium Archipontificem, et Primatem Nationis Hibernicæ factâ ei poteſtate ad Succeſſores tranſmittendi hanc Dignitatem, eamque affigendi cuicunque vellet civitati, aut Sedi, ſicut poſtea contigit Cantuariæ, eo quod S. Auguſtinus mandante S. Gregorio Papâ *conſecratus Archiepiſcopus Gentis Anglorum* ibidem ſibi, et Succeſſoribus Sedem fixit, quæ exinde ob ipſius honorem, et Reverentiam utpote Apoſtoli Anglorum devenit Primatialis totius Angliæ. Et hoc habet amplius Armachia quod procurante S. Patricio, et ob id denuò Romam profecto Summus Pontifex S. Leo Magnus authoritate Apoſtolica ſpeciatim totius Inſulæ

ſulæ Principem Metropolim confirmaverit. Vid P. op num. 4, 5, 37, 239, 308, 372, 373, &c.

142. *Abſurdum* autem pronunciare quod Primatus, et poteſtas Legatina eſſent compatibiles in eadem Natione, aut Perſonâ abſurditatem Sapit, et Supinam redolet imperitiam Æconomiæ, ac Regiminis Hierarchici: quod ut clarè innoteſcat. Norunt eruditi Primatum propriè loquendo aliud non eſſe quam Vicariatum Summorum Pontificum Saltem in Occidente; cujuſmodi Vicariatûs in Notitia Eccleſiaſticâ duplex reperitur Ordo; unus jure perpetuo affixus aliquibus Sedibus, vel Eccleſiis, quarum proinde Præſules *Primates* deinceps ſemper dicebantur, ac vere erant, et *Vicarij Pontificij*, plerumque etiam *Legati nati*, qui non mittuntur, ſed naſcuntur beneficio dignitatis, non electione Perſonæ, ut cum accuratis harum Rerum Tractatoribus tradit Carolus Fernet Præſes Divonenſis lib. 3. de abus cap. 2.

143. Quales fuerunt in Africa Carthaginenſis, in Hiſpaniâ ab antiquo Toletanus, in Angliâ Cantuarienſis, in Hiberniâ (frendeat licet invidia) Armacanus, et in Scotia poſterioribus ſæculis Andreapolitanus (ut alij ſileantur) habentes juriſdictionem, et authoritatem ordinariam in reliquos Præſules ejuſdem Nationis, quibus tamen ad majorem Reverentiam, et firmitatem poteſtatis Romani Pontifices Speciali diplomate Sæpe Vices ſuas commiſerunt præterea, et ſuos conſtituerunt Legatos.

144. Sic quamvis Bernardum Toletanum totis Hiſpaniarum Regnis præfectum Primatem, ad quem cuncti Hiſpani Præſules omnia ſua litigia ex veteri inſtitutione tenerentur referre (vid num. 37, 98, et 99.) declaravit Urbanus 2. dictum tamen Bernardum Vicegerentem ſuum, ſeu Legatum in Hiſpania univerſa decrevit. Item poſtquam Honorius 3 imitatus Prædeceſſores ſuos locis jam citatis recenſitos, Primatum ſuper totum clerum Hiſpanicum confirmavit, et adjudicavit Roderico Ximinio Archiepiſcopo Toletano, eidem commiſit vices ſuas et Legationem Apoſtolicam per univerſam Hiſpaniam, ut teſtatur Joannes Azorius inſtitut moral part 2 lib. 3 cap. 36.

145. Pariter indubitatis totius Angliæ Primatibus Lanfranco, Gulielmo, et S. Thomæ Archiepiſcopis Cantuarienſibus Apoſtolicam Legationem ſtatuerunt Alexander 2, Honorius 2, et Alexander 3.

Epit

Epit Spond ad an 1071 : 1119, et 1167. vid etiam *cap.* 1. *de offic. Legat.* ob eandem rationem voluit concilium Trident, et toties inculcavit ut Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati inquirerent, et corrigerent plurima, quæ jure ordinario ipsis competebant, et propterea si modum excedendo delinquant, non directè ad Summum Pontificem necesse est, sed ad Metropolitanum provocare; videatur *cap Licet* 12. *de offic. jud ordinar*, et declaratio S. Congregationis Interpret Super cap 2. Sess. 13. de Reform.

146. Alius ordo Vicariorum Apostolicorum est quando Summus Pontifex ad tempus eligendo industriam Personæ ob merita Singularia quosdam Prælatos, vel etiam quandoque inferiores Clericos (exemplo S. Gregorij Magni *can valde dist* 94.) missos ab Urbe, aut in Loco degentes deputat ut nomine suo causas Ecclesiasticas inquirerent, revisérent, aut judicarent maxime in judiciis Appellationum, aliisque Negotiis deferendis ad Supremam Sedem, ac invigilarent juribus Apostolicis conservandis : et hi in obuio, et magis usitato sensu, veluti Antonomastice *Legati* nominantur, quales fuerunt aliquandiu in Hispania Archiepiscopi Hispalenses, Salustius deputatione Hormisdæ Papæ, ut ipse testatur Epist. 26 : S. Leander, ac ejus Frater, et Successor S. Isidorus constituti a Gregorio Magno, ut constat lib. 1 Regiſtri epist. 41. Lib. 4. Epist. 9. ac lib. 7. Epist. 125. et tradit S. Ildephonsus in præfatione additionum ad chronicon Isidori.

147. Multoties nominatos pro Anglia Legatos, nunc indigenas, nunc Externos pluribus locis indicat Baronius, præsertim *ad an* 1117. 1119. 1167. *et* 1192. vid ibid Epit Spond, et asserit cum aliis Scriptoribus Matthæus Paris in Richardo primo fol. 15, et 19. nec ignorare potest ullus in rebus Anglicis aliquatenus versatus. quis autem enumerare facile queat quot Legatos Sedes Apostolica demandaverit in Regiones Orientis Africæ, et Europæ suos habentes respective Primates, et Patriarchas? qui Legati quia propius Personam referrent, et induerent authoritatem Papalem durante demandata comissione, aut officio, Patriarchis, et Primatibus, aliisque de clero nationum, ad quas missi sunt, præeminebant, et præerant plena, et ordinaria jurisdictione *cap* 1. *de offic Legat.* et *cap Legatos eod in* 6°.

148. Unde

148. Unde non mirum quod S. Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus præfuerit concilio Toletano 3°. et S. Iſidorus Toletano 4°. ex univerſis Hiſpaniæ Præſulibus congregato, quemadmodum et alij Legati ubique Gentium tam in conciliis Æcumenicis, et Nationalibus, quam in particularibus congreſſibus, ut notorium eſt cuicunque vel etiam curſim evolventi Hiſtoriam Eccleſiaſticam. hinc patet ad oculum utramque poteſtatem Primatialem, et Legatinam Sæpe conjunctam fuiſſe in eadem Perſona, Sæpe etiam diviſam inter duos Præſules in eadem Natione.

149. Attamen " *abſurdum* eſſet dicere Armacanos Succeſſione Pri-
" mates, quia nonnullos habuimus in hoc Regno Italos, et Hibernos
" Legatos Apoſtolicos, comminiſcente imperito ſimul ac tumido
" Tenebrione, qui gloriatur impuliſſe ſe Adverſarios ad duplicem
" neceſſitatem monſtrandi primo Cæleſtinum contuliſſe Primatiam
" S. Patricio, et Succeſſoribus: Secundo Succeſſores habuiſſe illam
" dignitatem inconcuſſè uſque ad tempus Scanlani. Et triumpha-
" bundus addit, *provocamus Armacanos, ſi audeant, aut valeant* ul-
" lam producere authenticam probationem, unius, alteriuſve partis,
" quod eſt illis *impoſſibile*, ut amplius probabimus hiſtoricis obſerva-
" tionibus.

150. Quænam iſtæ Obſervationes reducentes ad *impoſſibile*? " quia (inquit) *optimi noſtri Scriptores Eccleſiaſtici* narrant " plures fuiſſe in Momoniâ triginta annis ante S. Patricij miſſio-" nem Epiſcopos, Scilicet Albeum, Declanum, Ibarum, et Kiera-" num cum multis miſſionariis, qui acceptâ Romæ Benedictione Pon-" tificiâ habentes Superiorem Albeum pervenerunt directè in Mo-" moniam, ubi magno Succeſſu fidem prædicaverunt, et cum S. Pa-" tricius poſt edita in aliis Hiberniæ partibus varia ſui Zeli indicia " tandem venit in Momoniam, reſtiterunt ei hi Epiſcopi, objicien-" tes canonem Sextum Nicænum contra *Uſurpationem*, et in illâ " reſiſtentia perſeverarunt donec videntes Signa, et prodigia quibus " Dominus illius Miſſionem confirmavit, et Regem ſuum Momo-" nienſem Æneam ab eo ad fidem converſum, maximam concipien-" tes Venerationem ſtricto amicitiæ fœdere inito cum S. Patricio " plenam fecerunt ipſi libertatem prædicandi per univerſam ſuam " Provinciam.

" Col-

" Colganus in vitâ S. Declani dicit : Quatuor Sanctiſſimi Epiſco-
" pi, qui erant in Hibernià ante Patricium non unam habebant cum
" S. Patricio voluntatem, ſed diverſam, quia nolebant Patronum
" Hiberniæ de aliâ Gente habere. itaque Ibarus nullâ ratione con-
" ſentire S. Patricio, neque ei ſubjectus eſſe voluit, ſed conflictus
" magnos inter ſe Ibarus, et Patricius fecere imprimis, ſed Suadente
" Angelo pacem, et concordiam, et fraternitatem fecerunt.

" Declanus autem nolebat contradicere S. Patricio, quia antea
" fraternitatem cum eo in Italiâ fecit, neque quidem Subditus ei eſ-
" ſe cogitavit, quia ipſe Dignitatem Apoſtolicam habuit. Et cap
" 30. ejuſdem vitæ : Albeus videns Majores Hiberniæ poſt Patrici-
" um currere, venit ad S. Patricium in civitate Caſſel, et *accepit*
" *eum ibi cum omni humilitate Magiſtrum Suum* coram Rege
" Æneâ, quod prius in mente non habuit : *ipſum jam Albeum illi*
" *Epiſcopi Magiſtrum Suum antea conſtituerunt*, et ideo ipſe ante
" eos venit ad S. Patricium, *ne ipſi pro ſe contradicerent illi.*

" Hi Sancti agnoſcuntur Epiſcopi Authoritate Romana deputa-
" ti habentes Dignitatem Apoſtolicam, et Suum Superiorem humi-
" litatis teſtimonio commendatum, ac ſuos peculiares Diſtrictus
" juxta Apoſtolorum can. 35. quomodo autem concipi poteſt, quod
" viri illius characteris opponerent ne S. Patricius ullam exerceret
" authoritatem in ſuis Diſtrictibus, niſi quia perſuaſum habebant
" juxta canonem 14. Apoſtolorum, et Conſtantinopolitanum 2m.
" nullam illi competere in ſuis Confinibus ? quapropter conſenſerunt
" ſolummodò ut laboraret in cauſâ communi, ne minimo dato Sig-
" no Subjectionis, niſi quantum ipſius Singularibus meritis ab omni-
" bus deberetur, ſicut patet conventione factâ inter illos ut Epiſco-
" pi Momonienſes Subjecti eſſent S. Albeo, et Succeſſoribus Imelacæ
" et reliqui Prælati Hiberniæ ſubeſſent S. Patricio, et Suis.

" Quemadmodum Colganus habet pag. 201 Hibernenſes aliis in
" locis S. Patricio Servirent, at tota Gens Deciorum omne ſub Deo
" obſequium S. Patrono ſuo Declano exhiberet. ex hac diviſione
" poteſtatis, et diſtrictuum, ſimulquè ex oppoſitione facta S. Patri-
" cio, et denegatione ſuperioritatis in ipſo liquet plane nullum habu-
" iſſe Primatum, aut juriſdictionem in Momoniam, neque etiam in
" cæteras hujus Regni Eccleſias alio titulo quam Vicarij, aut Legati
" Pontificij, et adeò fuit conſcius independentiæ Momonienſium,

" Ecclesiarum, ut nullum jurisdictionis actum exercuerit, dum ibi " esset, quod Semel tantum contigit."

151. Hactenus impossibilium Observator propriis verbis, cujus Sartaginem (continuatâ sine intermissione Serie) visum est ad longum exhibere, ut conferendo statim adducenda, unico, et primo obtutu perspiciat Lector quam subleste fide, imo propudiosâ, et probo quolibet Scriptore maximè indignâ mutilet, et discerpat Textum, corrumpat Sensum intermixtis figmentis suis, et imposturis, ineptè concludat veteratoriè pudendas suas adinventiones sub veri cerussâ ubique calamistrans. interim pauca occurrunt annotanda. Primo etsi diu ante adventum S. Augustini plures fuerint in Britanniâ Episcopi habentes suas proprias, et divisas Diæceses, qui ei in faciem restiterunt, et responderunt nihil se facturos eorum quæ Suadebat, neque illum pro Archiepiscopo habituros testante Bedâ lib 2, cap. 2, nihilominus tam illorum Ecclesiæ, quam Successores subjecti mox fuerunt, ac etiamnum permanent Præsulibus Cantuariensibus utpotè tenentibus jurisdictionem, et sedem Anglorum Apostoli S. Augustini.

152. 2° ad interrogatum Observatoris, " quomodo concipi possit, " quod viri illius characteris resisterent S. Patricio, ne jurisdictio- " nem exerceret in Suis Districtibus, nisi quia nullam ibidem illi competere persuasum habebant?" Sciscitor ego viciſſim quis Sensatus credat quod S. Patricius Signis, et prodigiis coruscans, profundissimæ humilitatis eximius cultor tam acriter insisteret pro suâ potestate obeundâ in Momoniâ, ibique Regi, Proceribus, et populis verbum prædicationis, et Sacramenta administraret irrequisitis, et non consultis præexistentibus Episcopis, aut magnos conflictus excitaret cum Ibaro (qui solus denegavit Subjectionem, quamvis ad omnes alios iniquè referat Observator) nisi quia manifestissimè constabat illi istam authoritatem, et jurisdictionem ad se Spectare?

153. Et instituto parallelo (quantum fieri licet juxta humanam æstimationem) inter duos hos Sanctos viros, judicet Christianus Lector uter censendus metam excessisse Ibarus nolens esse Subjectus, an eam sibi vindicans Subjectionem S. Patricius, de quo apud Wareum de Præsul fol 139, et Colganum Triad Thaumaturg pag 199, ex vitâ S. Kierani cap. 4, sic legitur: " occurrit ei (Kierano) in viâ " in Italiâ S. *Patricius Archiepiscopus totius Hiberniæ* —— —— " qui a Cælestino Papâ ordinatus *Archiepiscopus* missus est ad prædi- " candum in Hiberniam, quia jam quamvis alii Sancti erant in Hi-

" berniâ,

" berniâ, Dominus cuſtodivit *magiſterium, et omnem Archiepiſcopa-*
" *tum Hiberniæ* S. *Patricio*, quia per neminem Reges vel Duces
" Hiberniæ ante S. Patricium Deo crediderunt.

154. Et pag 200, ex vitâ S. Albei cap 20 : " voluit Deus omni-
" potens ut S. Patricius, qui poſt Albeum in Hiberniam venit, *con-*
" *verteret omnes Hibernos* ad fidem, et ita factum eſt, nam *Patrici-*
" *us totam Hiberniam a Gentilitate ad fidem, et Baptiſmum conver-*
" *tit*, et ead pag. ex vitâ S. Declani cap. 17, obviaverunt ſibi invi-
" cem in Italiâ S. Declanus, et S. Patricius, qui poſtea a Cæleſtino
" Papâ ad prædicandum Hibernenſibus miſſus eſt, et *ipſe eſt totius*
" *Hiberniæ Archiepiſcopus*, et cap. 20, S. Patricius Majores Hiber-
" niæ, et Potentiores ad fidem convertit, et ipſe propterea *Summum*
" *habet Epiſcopatum Hiberniæ per circuitum.*" Collige fuſiùs dicta P. op a num 191, ad 200.

155. Quidni igitur ex debito officii, Studio Hierarchici Regiminis, Zelo animarum Regum, Principum, ac Populorum quos ipſius prædicationibus, et operibus Evangelicis ad fidem convertendos Dominus reſervavit, magiſterium Suum, et Archiepiſcopalem, ſeu Primatialem poteſtatem obiret in Momoniâ S. Patricius, ac compeſceret renitentes? 3° notandum nullatenùs credibile, quod Ibarus, aliuſve fidelis, etſi Romæ conſecratus Epiſcopus, imo etiamſi Primas, vel Patriarcha conſtitutus fuiſſet, auſu temerario attentaret ſe ſubducere Authoritati Legati Apoſtolici habentis plenam, et ordinariam juriſdictionem in univerſos indiſcriminatim Præſules, et clerum Nationis ſibi commiſſæ. vid num. 147, et. P. op. num. 109.

156. Unde habes quam ineptè, et imperitè effutiat Obſervator nullâ S. Patricum fuiſſe præditum poteſtate in Momoniam, neque etiam in cæteras hujus Regni Eccleſias quam Vicarii, aut Legati Pontificij, quaſiverò illa poteſtas æqualiter non attingeret Eccleſias Momoniæ, ſicut reliquas totius Inſulæ, non enim in Regulis Eccleſiaſticis, vel orthodoxæ Religionis Elementis adeò rudis, et peregrinus putandus Ibarus, ut id ignoraverit, aut voluerit contendere Summum Pontificem non potùiſſe deputare quemcunque placuiſſet ſive indigenam, ſive evternum in Hiberniam, et cunctas Regiones orbis catholici Legatum Suum, cujus authoritati omnes redderentur obnoxij, ut in confeſſo eſt apud fideles a primordiis Chriſtianitatis, et graviſſimis litteris ad Alphonſum Caſtellæ Regem monuit Clemens Sextus apud Oderic Reynald ad an 1345, quomodò etiam tantus vir, et tamdiu

Romæ versatus S. Ibarus nesciret Sæculo quinto, Statuisse Papam Alexandrum primum initio Secundi Sæculi refragantes Apostolicæ Sedis Legatis excommunicatione mulctandos donec respiscerent *can si quis dist* 94.

157. Non in hoc vertebatur cardo contentionis, neque id temporis Legatus fuit S. Patricius (Collige duplicem ordinem Vicariorum exhibitum num 142, et Seqq) Sed cum post totam ad Christum conversam insulam denuò Romam monente Angelo proficisceretur, illum Teste Jocelino cap. 166, Pallio donatum Legatum suum constituit Summus Pontifex anno 4560, et. 240, ab initio Apostolatûs S. Patricij (vid P. op num. 229,) imo neque illum, neque alium ante duodecimum sæculum in hoc Regno exercuisse Munus Legationis colligunt aliqui ex S. Bernardo cap. 7, vit. S. Malach scribente Gilbertum Limericensem (qui claruit an 1110. Wareus de Præsul fol. 183) *primâ functum legatione Apostolicæ Sedis per universam* Hiberniam.

158. Dissensio itaque erat non de Legatinâ, cujus nulla fit mentio, sed de ordinariâ Archiepiscopali, seu Primatiali S. Patricij potestate derivandâ ad Successores, cui subesse detrectabat in initio Ibarus sensu humano (qui non Semper deficit etiam in Sanctis) et æmulatione Nationis *nolens Patronum Hiberniæ de alia Gente habere : Patricius autem de Gente Britonum natus est*, Sic refertur ex vitâ S. Declani cap. 30, apud Colganum pag 200, at postea resipiscens Ibarus monente Angelo Discipulum se professus mandatis Sancti Patris sui Patricij venerabundus paruit, et in omnibus ejus jussa complevit haud Secus ac alij tres Socij Episcopi, ut mox videbimus.

159. His præjactis non alienâ omninò (ni fallor) aut inutili digressione elucidandæ veritati, detegendis, et in apricum deducendis technis, corruptelis, ac impostoris ex iisdem ipsis Scriptoribus Ecclesiasticis, quos *optimos* asserit Observator, ut Scopum proprius attingamus abs re forsitan non erit eorum monumentorum hic, et alibi (vid P. op a num 195, ad 202) productorum memoriam paucis refricare, et illis aliorum accessione vires addere, ut ob oculos in uno quasi fasciculo posita, totius rei veritas innotescat legentibus, quapropter eodem ordine totidemquè verbis (quantum huc Spectat) proferemus ex vitis Sanctorum Episcoporum, quibus leguntur pag 199, 200, et 201, apud citatum ab Observatore Colganum.

160.

160. Dict pag 199, ex vita S. Kierani cap. 4, et 5, ut paulò antè vidimus, hæc producuntur, Occurrit Kierano in via in Italia S. *Patricius Archiepiſcopus totius Hiberniæ.* — —— —— —— qui a Cæleſtino Papâ ordinatus eſt *Archiepiſcopus*, et miſſus ad prædicandum in Hiberniam, quia jam, quamvis alii Sancti erant in Hibernia, Dominus *cuſtodivit Magiſterium, et omnem Archiepiſcopatum Hiberniæ* S. *Patricio*, quia per neminem Reges, vel Duces Hiberniæ ante S. Patricium Deo crediderunt, et pag. 200, ex ead vit cap. 8. Glorioſus Epiſcopus Patricius miſſus a Cæleſtino Papa venit in Hiberniam, qui Dei gratia *Reges, Principes, Duces, Populoſque* ad Chriſtum convertit, et *tota Hibernia* repleta eſt fide, et Baptiſmo Chriſti.

161. Et ex vita S. Albei cap. 20, et 21, ead pag, " voluit Deus " omnipotens ut S. Patricius, qui poſt Albeum in Hiberniam venit, " *converteret omnes Hibernos ad fidem, et ita factum eſt, nam Pa-* " *tricius totam Hiberniam a Gentilitate ad fidem et Baptiſmum con-* " *vertit*," cum beatus Albeus audiſſet quod Beatus Patricius Regem " Momonienſem Eeneam filium Natfrich converterit ad Chriſtum, " et eſſet cum eo in Civitate Regia Caſſel, venit ut eos Salutaret, Rex " autem, et Patricius gaviſi ſunt in adventu Albei, et ille viciſſim ga- " viſus eſt videns eos, ibi vero S. *Albeus accepit Beatum Patri-* " *cium Magiſtrum Suum*, quia erat Albeus valdè humilis, tunc *Rex* " *Eengus id eſt Eeneas, et Patricius ordinaverunt, ut in civitate, et* " *Cathedra S. Albei eſſet Archiepiſcopatus omnium Momonienſium.*

162. Ex vita S. Declani cap. 17, " obviaverunt ſibi invicem in " Italia S. Declanus, et S. Patricius, qui poſtea a Cæleſtino Papa ad " prædicandum Hibernenſibus miſſus eſt, et *ipſe eſt totius Hiberniæ* " *Archiepiſcopus*, et cap. 20, S. Patricius Majores Hiberniæ, et Potenti- " ores ad fidem convertit, et ipſe propterea *Summum habet Epiſcopatum* " *Hiberniæ per circuitum*, et cap. 22, ipſe Eenguſſius audiens S. Pa- " tricium *Archiepiſcopum* ad Se venientem, qui de Gente Britonum " erat natus, non Solum ei credidit, ſed obvius illi cum gaudio de " ſua Civitate exivit, et ſtatim credens baptizatus eſt ab eo.

163. Et cap. 30, " interim *Glorioſiſſimus Archiepiſcopus Patricius* " miſſus a Cæleſtino Papa venit in Hiberniam, et humiliavit Deus ad " doctrinam ejus corda Majorum Hiberniæ, et perrexit in occurſum " illius Rex Momoniæ Eengus, vel Eeneas Naitfrichi filius, et cum " Gloria magna duxit Secum S. *Archipontificem Patricium* in ſuam " civitatem Caſſel, et Sanctus Patricius baptizavit, et benedixit il-

" lum

Romæ verſatus S. Ibarus neſciret Sæculo quinto, Statuiſſe Papam Alexandrum primum initio Secundi Sæculi refragantes Apoſtolicæ Sedis Legatis excommunicatione mulctandos donec reſpiſcerent *can ſi quis diſt* 94.

157. Non in hoc vertebatur cardo contentionis, neque id temporis Legatus fuit S. Patricius (Collige duplicem ordinem Vicariorum exhibitum num 142, et Seqq) Sed cum poſt totam ad Chriſtum converſam inſulam denuò Romam monente Angelo proficiſceretur, illum Teſte Jocelino cap. 166, Pallio donatum Legatum ſuum conſtituit Summus Pontifex anno 456o, et. 24o, ab initio Apoſtolatûs S. Patricij (vid P. op num. 229,) imo neque illum, neque alium ante duodecimum ſæculum in hoc Regno exercuiſſe Munus Legationis colligunt aliqui ex S. Bernardo cap. 7, vit. S. Malach ſcribente Gilbertum Limericenſem (qui claruit an 1110. Wareus de Præſul fol. 183) *primâ functum legatione Apoſtolicæ Sedis per univerſam* Hiberniam.

158. Diſſenſio itaque erat non de Legatinâ, cujus nulla fit mentio, ſed de ordinariâ Archiepiſcopali, ſeu Primatiali S. Patricij poteſtate derivandâ ad Succeſſores, cui ſubeſſe detrectabat in initio Ibarus ſenſu humano (qui non Semper deficit etiam in Sanctis) et æmulatione Nationis *nolens Patronum Hiberniæ de alia Gente habere : Patricius autem de Gente Britonum natus eſt*, Sic refertur ex vitâ S. Declani cap. 30, apud Colganum pag 200, at poſtea reſipiſcens Ibarus monente Angelo Diſcipulum ſe profeſſus mandatis Sancti Patris ſui Patricij venerabundus paruit, et in omnibus ejus juſſa complevit haud Secus ac alij tres Socij Epiſcopi, ut mox videbimus.

159. His præjactis non alienâ omninò (ni fallor) aut inutili digreſſione elucidandæ veritati, detegendis, et in apricum deducendis technis, corruptelis, ac impoſturis ex iiſdem ipſis Scriptoribus Eccleſiaſticis, quos *optimos* aſſerit Obſervator, ut Scopum proprius attingamus abs re forſitan non erit eorum monumentorum hic, et alibi (vid P. op a num 195, ad 202) productorum memoriam paucis refricare, et illis aliorum acceſſione vires addere, ut ob oculos in uno quaſi faſciculo poſita, totius rei veritas innoteſcat legentibus, quapropter eodem ordine totidemquè verbis (quantum huc Spectat) proferemus ex vitis Sanctorum Epiſcoporum, quibus leguntur pag 199, 200, et 201, apud citatum ab Obſervatore Colganum.

160.

160. Dict pag 199, ex vita S. Kierani cap. 4, et 5, ut paulò antè vidimus, hæc producuntur, Occurrit Kierano in via in Italia S. *Patricius Archiepiſcopus totius Hiberniæ.* — —— —— —— qui a Cæleſtino Papâ ordinatus eſt *Archiepiſcopus*, et miſſus ad prædicandum in Hiberniam, quia jam, quamvis alii Sancti erant in Hibernia, Dominus *cuſtodivit Magiſterium, et omnem Archiepiſcopatum Hiberniæ* S. *Patricio*, quia per neminem Reges, vel Duces Hiberniæ ante S. Patricium Deo crediderunt, et pag. 200, ex ead vit cap. 8. Glorioſus Epiſcopus Patricius miſſus a Cæleſtino Papa venit in Hiberniam, qui Dei gratia *Reges, Principes, Duces, Populoſque* ad Chriſtum convertit, et *tota Hibernia* repleta eſt fide, et Baptiſmo Chriſti.

161. Et ex vita S. Albei cap. 20, et 21, ead pag, " voluit Deus " omnipotens ut S. Patricius, qui poſt Albeum in Hiberniam venit, " *converteret omnes Hibernos ad fidem, et ita factum eſt, nam Pa-* " *tricius totam Hiberniam a Gentilitate ad fidem et Baptiſmum con-* " *vertit*," cum beatus Albeus audiſſet quod Beatus Patricius Regem " Momonienſem Eeneam filium Natfrich converterit ad Chriſtum, " et eſſet cum eo in Civitate Regia Caſſel, venit ut eos Salutaret, Rex " autem, et Patricius gaviſi ſunt in adventu Albei, et ille viciſſim ga- " viſus eſt videns eos, ibi vero S. *Albeus accepit Beatum Patri-* " *cium Magiſtrum Suum*, quia erat Albeus valdè humilis, tunc *Rex* " *Eengus id eſt Eeneas, et Patricius ordinaverunt, ut in civitate, et* " *Cathedra S. Albei eſſet Archiepiſcopatus omnium Momonienſium.*

162. Ex vita S. Declani cap. 17, " obviaverunt ſibi invicem in " Italia S. Declanus, et S. Patricius, qui poſtea a Cæleſtino Papa ad " prædicandum Hibernenſibus miſſus eſt, et *ipſe eſt totius Hiberniæ* " *Archiepiſcopus*, et cap. 20, S. Patricius Majores Hiberniæ, et Potenti- " ores ad fidem convertit, et ipſe propterea *Summum habet Epiſcopatum* " *Hiberniæ per circuitum*, et cap. 22, ipſe Eenguſſius audiens S. Pa- " tricium *Archiepiſcopum* ad Se venientem, qui de Gente Britonum " erat natus, non Solum ei credidit, ſed obvius illi cum gaudio de " ſua Civitate exivit, et ſtatim credens baptizatus eſt ab eo.

163. Et cap. 30, " interim *Glorioſiſſimus Archiepiſcopus Patricius* " miſſus a Cæleſtino Papa venit in Hiberniam, et humiliavit Deus ad " doctrinam ejus corda Majorum Hiberniæ, et perrexit in occurſum " illius Rex Momoniæ Eengus, vel Eeneas Naitfrichi filius, et cum " Gloria magna duxit Secum S. *Archipontificem Patricium* in ſuam " civitatem Caſſel, et Sanctus Patricius baptizavit, et benedixit il-

" lum

" lum cum ſua Gente, et Civitate, *audiens Beatiſſimus Patricius*
" *quod adhuc Dux Regionis Deciorum eſſet Gentilis differens quotidie*
" *credere S. Declano, venit ut prædicaret illi verbum Dei.*

164. Hactenus allata ex SS. Præſulum geſtis, etſi ſub oculos haberet, diſſimulat obſervator, non ferens propalari inviſam ſibi Dignitatem *Magiſterij*; *Archiepiſcopi*, et *Archipontificis totius Hiberniæ per circuitum* &c. Simul cum poteſtate erigendi alium *Archiepiſcopatum* in ipſa Momonia etiam a ſuis *optimis* Scriptoribus Eccleſiaſticis vindicari S. Patricio, quem veſano auſu contra notorietatem facti, et fidem præcedentium Sæculorum, in communem inferiorum Epiſcoporum gradum redigere attentavit, non enim Hiſtoriæ candidè exarandæ, aut enucleandæ veritatis, ſed ſupprimendæ penitus ſuſcepit Provinciam, et ideo ubi cavillationibus facilius poſſe fieri prætextum autumat, arripit eâd pag. 200, caput 30, vitæ S. Declani, non quidem initium, quia ibi teſtimonium perhibetur de *Glorioſiſſimo Archiepiſcopo Patricio* miſſo a Cæleſtino Papa, ſed paragraphum ſecundum ita exordientem.

165. " Supradicti quatuor Epiſcopi qui erant in Hibernia," ante S. Patricium Albeus, Declanus, Kieranus, et Ibarus non unam voluntatem habebant cum S. Patricio, ſed diverſam tamen in poſtremo concordiam cum illo fecerunt, *Kieranus enim omnem Subjectionem, et concordiam ac Magiſterium dedit S. Patricio ipſo præſente, et abſente* iſta de *S.* Kierani *Submiſſione*, et *Subjectione* ſupprimit obſervator, quorum loco ſubſtituit: *quia nolebant Patronum Hiberniæ de alia Gente habere*, omnibus attribuens, quod ſoli Ibaro ibidem peculiariter adſcribitur, ut vidimus *Superius*, et ſtatim iterum patebit, ſed proſequamur filum Hiſtoriæ ex *optimis Scriptoribus* dict cap. 30, vit *S* Declani.

" Albeus autem videns Majores Hiberniæ poſt Patricium concur-
" rere venit ad *S.* Patricium in Civitate Caſſel, et accepit eum ibi
" *cum omni humilitate Magiſtrum ſuum coram Rege Æneâ, quod pri-*
" *us non habuit in mente, ipſum jam Albeum illi Epiſcopi magiſtrum*
" *ſuum, antea conſtituerunt, et ideo ipſe ante eos venit ad S. Patrici-*
" *um, ne ipſi pro ſe contràdicerent illi*," itaque omnium Magiſter conſcius obligationis ſe *Subjiciendi* Primatiali juriſdictioni *S.* Patricii, Magiſterium illius *Subiit*, et quidem primus, ut ſuo exemplo alliceret alios, et ſui Officii commoneret, in quo non tantum ejus obedientia, ſed etiam humilitas redditur commendabilis.

166.

166 " Ibarus vero nulla ratione consentire S. Patricio, neque ei " Subjectus esse voluit, *nolebat enim Patronum Hiberniæ de alia* " *Gente habere, Patricius autem de Gente Britonum natus est*, et " conflictus magnos inter se Ibarus, et Patricius fecerunt imprimis, " sed postea Suadente Angelo pacem, et concordiam, ac fraternitatem " inter se fecerunt. Declanus autem nolebat contradicere S. Patri- " cio, quia antea fraternitatem cum eo in Italia fecit, neque quidem " Subditus ejus esse cogitavit, quia ipse Dignitatem Apostolicam ha- " buit. Hic subsistit observator assueta sua, ac Subleſta fide Supprimens Sequentia in ead pag. 200 Colgani, et dict cap 30 vit S. Declani, quia sola, etiamsi alia deessent, pudendas illius imposturas everterent, et figmenta. Audiamus tamen.

167. " Sed ita tandem ab Angelo admonitus est, ut veniret ad eum, " et *voluntatem ejus faceret* : venit enim Angelus Domini ad S. De- " clanum dicens ei, vade modo citius sine ulla mora ad Patricium, et " prohibe eum, ne maledicat Gentem tuam, et Terram tuam—— " Si maledixerit Gentem tuam, maledicta erit per Sæculum tunc S. " Declanus cum omni festinatione ex jussione Angeli perrexit, et " mane ad S. Patricium pervenit—— —— ——et humiliavit se S. " Patricio, et rogavit eum, ne Gentem Deciorum, neque Regionem " eorum malediceret, et *promisit suam voluntatem dare sibi*, et ait " ei S. Patricius quia pro eis Satagis, imo benedicam." Quærendum hic quænam Ratio S. Patricio maledicendi Gentem, et Terram S. Declani, quodve periculum immineret illi Genti ex tali maledictione, nisi quia offensam Dei incurreret resistendo Sancto Patrono, et denegando ei debitam subjectionem? imprecatio enim injusta non lædit innocentes, sed merito infestat caput inique imprecantis. procedamus tamen.

168. " Tunc S. Declanus ad Ducem Deciorum ibi propè manen- " tem cum suo exercitu, qui sibi noluit credere, perrexit, et rogavit " eum magnis precibus ut ipse veniret ad S. Patricium credere, et " baptizari : sed ipse nullo modo, nullaque ratione consensit —— " videns S. Declanus illum in Diabolica permanentem suasione, et " timens ne propter illum S. Patricius Gentem suam malediceret, " conversus ad cætum Deciorum ait : separate vos ab isto malefico, " ne sitis maledicti causa incredulitatis illius, et venite post me om- " nes, ut benedicat vos *S. Patricius ad vos a Deo missus Archipatro-* " *nus totius Hiberniæ.*

169.

169. " Ad hanc vocem omnis cætus Deciorum excepto Duce in-
" credulo ſecutus eſt S. Declanum, et ait *S.* Declanus ad *S.* Patrici-
" um ecce Gens Deciorum reliquit Ducem ſuum Incredulum, et
" mecum quaſi cum Duce ſuo ad te Pater *Subdita tibi venit*, para-
" ta ſemper te honorare, et glorificare, et benedictionem tuam petit.
" tunc *S.* Patricius cum ſuis ſanctis Diſcipulis diligenter benedixit
" Gentem Deciorum—— —— —— *S. Declanus, et Dux Fergall*
" (electus noviter in locum illius increduli) et *Gens Deciorum multas*
" *Terras ibi prope in campo Temyn S. Patricio obtulerunt, unde Suc-*
" *ceſſores ejus magnum Servitium habent, et locum non longe a flumi-*
" *ne Suir in eodem campo*, ubi eſt magnus, et lucidiſſimus fons, qui
" dicitur Fons *S.* Patricij. poſt hæc *S.* Patricius cum gratiarum acti-
" one a Regione Deciorum ad civitatem Caſſel ad Regem Ænguſſi-
" um reverſus eſt, et S. Declanus cum eo exivit.

170: " Commanentes in civitate Caſſel S. Patricius, et S. Albeus,
" Sanctuſque Declanus cum multis ſuis Diſcipulis apud Regem
" Æneam, multa circa Eccleſiaſtici Regiminis, et Vigoris chriſtiani
" Leges, et fidei ulteriorem propagationem conſtituerunt: *et S. Pa-*
" *tricius, et Rex Æneas cum omni populo ordinaverunt Archiepiſco-*
" *patum Momoniæ in civitate, et in Sede S. Albei* (*qui tum ab eiſ-*
" *dem ordinatus eſt Archiepiſcopus*) *per Sæculum* (videatur idem aſ-
" ſerens Wareus de Præſul fol. 175) *et conſtituerunt S. Declano ter-*
" *minos Deciorum, ut ipſi Parochia Epiſcopatus ejus eſſent*, quæ eſt
" magna, et clara, et ut Hibernenſes aliis in locis S. Patricio ſervi-
" rent, ita ut Gens Deciorum omne ſub Deo obſequium S. Declano
" Patrono ſuo exhiberet.

171 Iſta pervolventi (quas citat) paginas 200 et 201 Colgani occur-rerunt obſervatori, quæ producta in lucem omnem diſceptationem protinus dirimunt, garrulum os opprimunt, eique perpetuum Silen-tium imponunt. et ideo quia lippientes occulos non ferentes radios veritatis lumen offendit, dum inviſum hoc offenſaculum quatuor ulti-mis numeris 167. 168. 169. et 170. contentum, iter occluderet, nec poſſet amoveri, avertens faciem, immani ſaltu ab illis verbis num. 166. *quia ipſe Dignitatem Apoſtolicam habuit*, tranſilit ad ultima hæc in fine præcedentis, *ut Gens Deciorum omne ſub Deo obſequium S. Declano Patrono ſuo exhiberet.* Nec verecundatur inde aſſerere con-ventionem factam ut Epiſcopi Momonienſes ſubjecti eſſent S. Albeo, et tota Gens Deciorum *S.* Declano excluſa juriſdictione *S.* Patricij.

forte

forte ex illa clauſula *ut Gens Deciorum omne ſub Deo obſequium exhiberet S. Declano*, prætendet non tantum S. Patricium, ſed ipſum etiam Summum Pontificem nullam in Decios habere juriſdictionem.

172. At omnia peracta ſuiſſe ſalva Semper S. Patricij ſuper reliquos poteſtate abunde demonſtrant præcedentia cum immediate Sequentibus dict pag. 201. his verbis. " unde S. Patricius *Archipontifex, et Patronus totius Hiberniæ* verſum Scoticâ linguâ quaſi quoddam Oraculum vigorem Legis habens eis cantavit, quem verſum familia *S.* Albei et familia S. Declani noluerunt Rythmicè, ſeu metrice in Latinum verti, ſed propter dignitatem ejus Scotice Scribi. *et decretum eſt, ut Albeus Secundus Patricius, et Momoniæ Patronus eſſet, et Declanus Secundus Patricius et Patronus eſſet Deciorum.* conſonat de Præſul fol. 174. Wareus aſſerens *S. Albeum dictum alterum Patricium, et Momonienſium poſt Patricium alterum Patronum.*

173. Hucuſquè *illi optimi Scriptores Eccleſiaſtici* apud quos nulla mentio Legatinæ commiſſionis attributæ *S.* Patricio, ſed Archiepiſcopalis, ſeu Primatialis totius Hiberniæ, &c. nullumque verbum de imaginaria diviſione poteſtatis, aliave conventione inita, niſi quod *S.* Albeus ordinatus Archiepiſcopus invigilaret (more aliorum Archipræſulum) Provinciæ ſibi commiſſæ, et *S.* Declanus curam gereret aſſignati ſibi Epiſcopatus intra terminos Deciorum, ubi etſi ante prædicarit quia in Regione Deciorum oriundus ut in vita *S.* Kierani cap. 8. perhibetur apud Colganum pag. 200, ſtabilem ſedem non habuit Epiſcopalem priuſquam fixam ei conſtituit *S.* Patricius, cui ambo ſubeſſent, ita exigentibus Regulis Eccleſiaſticis, et Regimine Hierarchico, cum ipſe authoritate ſua ordinaria per univerſam Hiberniam *S.* Albeum Momoniæ Archiepiſcopum inſtituerit, illiuſque Archiepiſcopatum ſtabilierit Imelacæ, ubi remanſit, donec *Sæculo* duodecimo *S.* Celſus tranſtulit Caſſeliam a ſe erectam Metropolim Eccleſiaſticam Momonienſium vid P. op. num 7.

174. Et idem *S.* Patricius mox renunciaverit *S.* Declanum Epiſcopum Deciorum deprecantibus quidem Rege, et Populis non habentibus aliam ullam poteſtatem erigendi aut inſtituendi Dignitates eccleſiaſticas; quod ſtrictiſſime inhibetur omnibus Laicis, etiam Regibus, et Imperatoribus: *can nullus Laicorum*: *can Hadrianus cum pluribus Seqq diſt* 63. Et vetus catalogus *Sanctorum* Hiberniæ *Se*cundum diverſa tempora apud Uſſerum de primord pag. 913, ſic re-

fert: " Primus ordo catholicorum Sanctorum erat in tempore S. Pa-
" tricij, et tunc erant Episcopi omnes clari, et Sancti, et Spiritu
" Sancto pleni CCCL. *unum caput Christum, et unum Ducem Patri-*
" *cium habebant.* non excipiuntur Præsules Momonienses, aut ulli in toto Regno agnoscentes Christum pro suo capite.

175. Frustra Sciscitaberis cui Bono nisi iterum ad ostentationem Singularis, (quam affectat ubique) eruditionis in Scænam producat canones 6m. Nicænum, Secundum Constantinopolitanum, 14m. (forte intendit 34m.) et 35m. Apostolorum, eosque assueta sua licentia, et imaginaria adinventione accommodet sanctis illis Episcopis, de quibus nullibi quidquam tale legitur? perinde ac si unum aliquod ephippium ad omnem equitatum, et unus cothurnus ad omnem pedem recte adaptari possent. inhibent quidem canones ne Metropolitani inter se coæquales, aut inferiores Episcopi ejusdem gradus, et conditionis, alter alterius invadat jura, sed intra proprios limites se contineant.

176. At quorsum hæc? interdicuntne citati canones sublimioribus potestatibus, sive Primatialibus sive Patriarchalibus quominus jurisdictionem exerceant in Metropoles, et Provincias sibi Subjectas Quemâdmodum solent metropolitani in ecclesias suffraganeas? tantum abest quin iidem ipsi (quos exhibet, et perperam in alienum detorquet sensum) canones 6us Nicænus, et 2us. Constantinopolitanus disertis verbis attribuant Patriarchis Alexandrino, et Antiocheno hujusmodi jurisdictionem competentem pariter aliarum nationum Primatibus, qui *ejusdem sunt officij, et unam formam tenent, licet diversorum nominum.* (vid superius num. 62, et P. op num. 72, et 73) in hac prolixa figmentorum comminiscentis observatoris confutatione accurate perpendimus *optimorum Scriptorum* testimonia cuilibet partium studiis non correpto, aut corrupto ad oculum demonstrantia S. Patricium munia Archiepiscopalia, seu Primatialia toties obiisse in Momonia acquiescentibus, et ejus super se Magisterium agnoscentibus cunctis Præsulibus illius Provinciæ.

177. Attamen ex abundanti non pigeat audire alios æqualis, vel certe non inferioris notæ celeberrimos ea de re tractantes Authores, et primo loco S. Evinum Abbatem de Rossmacrune in Lagenia Scriptorem sexti sæculi, qui si non ipsum S. Patricium, Discipulos saltem potuit in carne videre, ac consulere: quod pro suo investigandæ veritis studio virum Dei feciisse non est dubitandum. hic autem lib. 3. vit. S. Patricij cap. 29. sic effatur: " Veniens Patricius in Momoni-
" am

" am directe perrexit Caſſeliam, quæ erat ordinaria Regum Momo-
" niæ Sedes, dum vir Apoſtolicus Regiæ appropinquaret, omnia Urbis
" idola in faciem proſtrata ſimul in terram corruerunt, Sicut enim
" quondam Dagon non potuit ſtare coram Arcâ Teſtamenti, ſic nec
" idola coram Patricio, qui fuit vera fæderis, Legiſque divinæ Arca,
" et in mundiſſimi cordis Scrinio, velut Urna aurea Manna dulcedi-
" nis, Tabulas utriuſque Teſtamenti, Virgam cæleſtis diſciplinæ cir-
" cumferebat.

178. " Rex autem Momoniæ Ænguſſius filius Natfrich audito
" prodigij nuncio in ſanum ingreſſus reperiit idola ſic in faciem proſ-
" trata, et mox audito adventu Patricij, quem a diebus multis prop-
" ter mirabilia multa, quæ ab eo audierat actitari, ſitienti animo cu-
" pierat videre, ad eum lætus, et jubilans accurrit, et venerabunde
" ſalutatum cum Summa Reverentia, et honore in Aulam adduxit:
" ad prædicationem autem ejus ipſe, et Regni Proceres in Chriſtum
" credentes ſalutaris Lavacri undis intincti ſunt manu ipſius Patricij,
" qui et alma ſua eos locupletavit, et munivit benedictione, qua Re-
" giam Arcem conſecravit.

179. Et cap 31. " perrexit autem poſtea vir Apoſtolicus per Mo-
" moniam in Verbi Dei prædicatione Populis familiæ Chriſti per
" Baptiſmum aggenerandis, Eccleſiis ædificandis, Clericis ordinandis,
" et præficiendis, fidei propagandæ, et fovendæ, aliiſque Sacri muneris
" piis operibus continuo intentus, et in *his Sanctiſſimis functionibus*
" *continuo occupatus per Septem integros annos manſit in Momoniâ.*
" Et cap. 32. poſt Caſſelienſes, adjacenteſque populos jam converſos,
" et in vitæ Chriſtianæ præceptis plenius inſtructos perrexit Præco
" veritatis ad alias Momoniæ Regiones luce veritatis illuſtrandas,
" venit imprimis in Regionem de Muſriche-Breogan, in qua poſt
" multum populum fâmiliæ adſertum, diverſaſque Cellas et Eccleſias
" fundatas dum ſe inclinaret, &c.

180. Dèinde uſque ad cap 56. Speciatim recenſet omnes, et ſingulas Regiones, Plagas, et Urbes Univerſæ Momoniæ ab una extremitate ad alteram, quas perluſtravit S. Patricius earumque incolas e Paganiſmi tenebris ad Evangelicam lucem adductos Sacrò fonte abluit, Eccleſias conſtruxit ubique præficiendo Epiſcopos, et Rectores. denotatque cap 33. quod cum puer a Beſtiis diſcerptus adduceretur, " *in-*
" *junxerit vir Apoſtolicus Patricius duobus Epiſcopis Ibaro, et Albeo*
" ut pro reſuſcitatione mortui pueri apud Dominum intercedant:

" *paruerunt Pontifices Patri ſuo præcipienti*, ejuſque adjuti precibus, " et meritis Puerum non Solum vitæ, ſed et priſtinæ integritati, et " formæ decori reſtituerunt.

181. Et cap. 53. Sic proſequitur: " poſt Proceres, et Populos " Momoniæ in Chriſtianæ fidei præceptis inſtructos, et baptizatos, " poſt multas ibi Eccleſias a fundamentis erectas, harumque Antiſti- " tes, et Rectores ordinatos, et inſtitutos, ſtatumque rei Chriſtianæ " bene formatum, et firmatum *Magnates, et Populi decreverant ſu-* " *am Clientelam, et accepta a Patre, et Apoſtolo Beneficia alia fixa* " *et canonica Penſione ſtato tempore ipſi, ejuſque Succeſſoribus ſolvenda* " *recognoſcere. hæc autem Penſio vulgo Caane Phadruic appella-* " *tur.*

182. Poſtremo cap. 54. abſolvit dicens: " deſerente Patricio Mo- " moniam, in qua *Septem annis continuis* juxta Supradicta laboravit, " et veniente ad Extremos ejus fines *monſtrarunt totius Provinciæ* " *Magnates, et Populi ſe tanto ſpiritualis Patris, et Apoſtoli duci* " *deſiderio*, et affectu ut per compita, montes, colles, et valles quaſi " tota Provincia effuſa, et diffuſa turmatim viſa ſit ipſum Sequi: et " hinc ipſi colles, tropice nempe, dicti ſunt eum Secuti, ſive poſt eum " moveri. Nemo enim ſe tutum, vel felicem putabat, qui non al- " mifica *tanti Patroni* ultimate benedicentis ditaretur benedictione " ——— ——— ———nec ſic tamen omnes intra ſuos fines continere " potuit, ſed aliquot Milleni eum Seccuti ſunt uſque ad locum Broſ- " nachca, &c.

183. Conſonat et iiſdem pæne verbis cap. 74. et Seqq Jocelinus de proſtratis Caſſeliæ idolis approximante S. Patricio, de baptizato Rege Ængo, cum Proceribus Momoniæ, de prædicationibus Viri Apoſtolici per omnes alias Momoniæ Regiones. et cap 77. ait: " poſt- " quam Signipotens Pontifex Patricius ſuis Sanctiſſimis monitis muni- " erat Incolas, quos jam fide Chriſti repleverat, nitebatur viſitare par- " tes &c. ——— ——— ——— Rex Ængus cum duodecim Subregulis, " et aliis Magnatibus ſibi ſubjectis, et maxima multitudine hominum " Sequebatur Sanctum pane vitæ, et intellectûs refici cupientium. " Et cap 78. præfatus Rex Ængus univerſuſque populus S. Patrici- " um tanquam Sacerdotem excelſi Dei, et *ſuum proprium Apoſtolum* " *honoraverunt.*

184. Et

184. Et cap. 83, de reſuſcitatione diſcerpti Pueri, Sic diſſerit: " *injunxit S. Patricius duobus Epiſcopis Albeo, et Ibaro Diſcipulis* " *ſuis* quatenus defunctum Puerum reſtituerent Superis adjiciens " quod illos ad ſic faciendum adjuvaret orationibus ſuis, *paruerunt* " *Pontifices Patri ſuo Patricio præcipienti*, ejuſquè adjutiprecibus " puerum diſcerptum integræ Sanitati reſtituerunt, —— —— —— " quare autem non a Se ſolo, ſed a *Diſcipulis* fieri hoc Miraculum " voluit, fateor eſſe mihi, meiquè Similibus adhuc incognitum, qui- " vis tamen ſanè Sapiens intelliget S. Patricium iſtum defunctum, " Sicut et cæteros in nomine Domini reſuſcitaſſe cujus *præcepto præſ-* " *tricti*, precibus ſuffulti quod excellentius eſt *ejus Diſcipuli* Sig- " num iſtud facere potuerunt."

185. Ex his luce clarius patet *S. Patricium Archipontificem totius Hiberniæ*, qui *totam Hiberniam a Gentilitate ad fidem, et Baptiſmum convertit*, eique *Dominus cuſtodivit Magiſterium, et omnem Hiberniæ Archiepiſcopatum, et propterea Summum habet Epiſcopatum Hiberniæ per circuitum* (ut declarant agniti ab Obſervatore *optimi Scriptores*) Manifeſtiſſima ſuæ Primatialis juriſdictionis Signa prodigiis illuſtrata haud ſecus ac alibi edidiſſe in Momoniâ, ubi S. Albeum Momonienſium Archiepiſcopum inſtituit, ejuſquè Archiepiſcopatum fixit Imelacæ, S. Declani Epiſcopatum Statuit intra terminos Deciorum, et alios alibi per univerſam Provinciam, facienda præcepit ipſi Archiepiſcopo Albeo, cæteriſque Epiſcopis *Diſcipulis ſuis* agnoſcentibus magiſterium ejus, et poteſtatem Super omnes: idcirco communi Decreto, et debito Subordinationis Primas illi detulerunt ubiquè.

186. Patet quoque Regiam Urbem Caſſelienſem eouſquè Ethnicis Superſtitionibus immerſam ad fidem Chriſtianam proſtratis idolis adduxiſſe, Regem ipſum, Proceres, et Populos Momoniæ (quod tot annis præexiſtentes Epiſcopi non potuerunt) in gremium Sanctæ Eccleſiæ ſuis prædicationibus perductos Salutaribus undis abluiſſe: quo Solo titulo, illius, et Succeſſorum deberent eſſe Subjecti, etiamſi gratis fingeremus quod nullâ Sublimiori Prærogativâ juriſdictionis, aut Poteſtatis polleret ultra Simplicem Epiſcopalem decernente cano- ne *placuit* 16, *queſt* 3, " ut quicunquè Epiſcopi negligunt, ſive non " valent loca ad ſuam Cathedram pertinentia in Catholicam unita- " tem lucrari, neque intra breve tempus effecerint, *qui potuerit ea* " *lucrari ad ipſum pertineant*," vid etiam cap. 1, de præſcript.

187.

187. Patet denique per Septem continuos annos peragraſſe, ac laboribus Evangelicis impleviſſe univerſam Provinciam illuminando indigenas, conſtruendo Eccleſias, Epiſcopos, et Rectores præficiendo &c. unde Rex, Magnates, et Populi Momoniæ illum *Spiritualem Suum Patrem, et proprium Apoſtolum honorantes* (præter multas terras a S. Declano, D. Fergallo, et Gente Deciorum ipſi, et illum excipientibus oblatas vid num 169,) ad *fixam Penſionem illi, ejuſque Succeſſoribus ſtato tempore Solvendam ſeſe obſtrinxerunt.*

188. Attamen ne minimum quidem dediſſe Signum, Subjectionis S. Patricio Quatuor memoratos Epiſcopos, Sed objeciſſe contra illius *uſurpationem* (vid num 150,) canonem Sextum Nicænum, alioſque Superius ab Anonymo obtruſos, nullumque actum juriſdictionis exercuiſſe in Momoniâ dum ſemel tantum ibi fuiſſet, audet effutire noſter impoſſibilium Obſervator, ô Frons! ubi candor? ubi pudor? ut iſta tam notorie erronea, palpabiliter falſa, ſeditioſa, et Schiſmatica in perpetuum offuciarum, et Subleſtiſſimæ fidei argumentum comminiſci, aut Scriptis conſignare non erubuerit de rerum veritate (quam conſultò Supprimit) de infamiâ ſuâ, de eruditorum exiſtimatione minimè Solicitus, dum Scripturiendi prurigini Satisfaciat detrahendo Armacanis, rudes ſeducendo, et imperitos utriuſque Sexûs, quibus proindè evulgatum vernaculè Suum Ectroma adaptavit, unde patet quo conſilio, ponens tenebras latibulum Suum, abortivum inter manus Secum conſpirantium occultaverit partum, ne in lucem publicam editus ad eorum perveniret notitiam, qui illius deſormitates, et fæditates Sepoſitis præjudiciis denudarent, et proferrent in apricum.

189. Nihilominùs dum rubore ſuffuſum deſiſtere oporteret, et canere palinodiam, ejus conſueta fingendi libido nondum flacceſcit, ſed inſito tumore jactat ſe diluiſſe omnes probationes *a priori* adductas ab Armacanis de viſitationibus S. Patricij ejuſque Succeſſorum Authoritate Primatiali in Momonia (ita gloriolus imaginarium perſonans triumphum paſcit ventos inanitatis ſuæ) ſi truncare textum, corrumpere Senſum, Supprimere veritatem intermixtis ſuis commentis, et impoſturis cenſeri debeat juſta refutatio, ſeu dilutio Argumentorum in contrarium, egregiè (fateor) rem perfecit, aggreditur Subvertere probationes *a poſteriori* dicens: *adducunt Catalogum Primatum, quos opinantur viſitaſſe Momoniam poteſtate Primatiali, nominantque Benignum, Alildum, Artrigium, Celſum, Malachiam, et Gelaſium.*

laſium. (alios de induſtriâ omittit recenſitos P. op. num. 12, et 14,) *ſed facile eſt refellere, et oſtendere iſta non niſi phantaſmata.*

190. *Primò quantum ad S. Benignum, quem dicit Colganus viſitaſſe totam Momoniam, et recepiſſe Trientem omnium dedicatorum S. Patricio, ejuſque Succeſſoribus, certum eſt ſi Viſitationem S. Benignus tamquam Primas compleverit in momoniâ, id contigiſſe vivente S. Patricio, adeoque duos eodem tempore fuiſſe Primates,* ſed faciliùs deponeret phantaſticos ſuos conceptus Sciolus, et faſcinantem oculos trabem amoveret, ſi nominatiſſimos conſuleret geſtorum *S.* Patricij Scriptores aſſerentes cum Wareo de Præſul fol. 2, in abdicatâ a ſe an 465, Metropoli Armacanâ tres e Diſcipulis ſuis primò Benignum, et ei cedenti poſtea Jarlathum, illique mortuo an 482, Cormacum Subſtituiſſe adhuc viventem *S.* Patricium, qui reparatæ Salutis an 492, ſuæ vero abdicationis vigeſimo Septimo glorioſam mortem oppetiit: ecce phantaſma, et duo Simul Primates Armacani, forſitan binos eodem tempore Summos Pontifices, et quidem legitimos extitiſſe tricabitur, quia poſt ceſſionem Cæleſtini quinti etiam tum inter vivos degentis Bonifacius octavus rexit Eccleſiam.

191. " Potuit (inquit) contingere quod S. Benignus cum eſſet " Momonienſis adiverit Momoniam cognatos, et amicos inviſendi " gratiâ, et *aliquas ibi acceperit eleemoſynas,* at durum eſt credere " quod denegatam S. Patricio Submiſſionem concederent S. Benigno " Præſules habentes ordinationem, et Miſſionem Papalem," obtrudit iterum fictitiam tranſactionem phantaſtici concilij, quâ Momonienſes Eccleſiæ Subjicerentur Soli S. Albeo fixo Imilacæ, et concludit S. Benignum tanquam nativum viſitaſſe Momoniam, adinventionem hanc imaginariam jam evertimus adductis propriis verbis illorum Scriptorum (quos *optimos* appellat Anonymus) aſſerentium decretum fuiſſe, ut S. Albeus conſtitutus Archiepiſcopus Momoniæ ſubeſſet Magiſterio, et juriſdictioni (ſicut ipſe toties agnovit) inſtitutoris ſui S. Patricij, quam juriſdictionem, et Magiſterium oportuit derivari ad S. Benignum, cæteroſque Succeſſores in dignitate Primatiali.

192. Prætereà duriſſimum eſt, vel etiam ſuſpicari, nedum credere quod Rex, Magnates, et Populi Momoniæ tam citò obliviſcerentur *Penſionis ſtato tempore* (prout ſe obſtrinxerant) *ſolvendæ Patri ſuo Spirituali, et proprio Apoſtolo Patricio ejuſque Succeſſoribus,* ac ſubitaneâ mutatione volubilis, et ingrati animi, imo et prævaricationis maculam incurrerent, ut tantus, et tam Sanctus Præſul (quamvis ultro

ultro ſupponeremus, nec Archipontificem, nec Primatem fuiſſe totius Hiberniæ, ſed Epiſcopali duntaxat Dignitate inſignitum) debuerit etiam inter cognatos, et Amicos Eleemoſynis, et emendicationibus victitare, quid ibi ſolaminis, vel Munificentiæ expectarent remoti, aut Alienigenæ, cum adeo tenaces, et inhoſpitales ſe exhiberent erga ſuum Comprovincialem, et Propinquum ? neſcio an hujuſmodi inurbanitatis, et inhumanitatis infamia ab Obſervatore irrogata arrideat Proceribus, aut Incolis Momoniæ, qui civiles merito apud alios audiunt, et urbani, liberalitatis, et comitatis teſtimonio commendabiles : an grates referant, vel potiùs indignatione commoveantur.

193. Satiùs inter *Aquilonares* (ſic Ultonienſes vocat Obſervator ſelecto vocabulo fortè honoris gratiâ, non ut eos a grege Chriſti penitus excludat imitatus Donatiſtas, et Circumcelliones in Africâ, qui abutentes verbis cantic 1, *indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie*, delirabant in auſtro tantum reperiri electos) ſatius inquam inter Aquilonares remaneret S. Benignus in ſede ſuâ Armacanâ, quæ ſi dubio opulentis ditata fuit Redditibus ab Indigenis, et S. Patricio cum decimam portionem Terrarum, et Pecudum totius Inſulæ (ſe, ſuaque *proprio Apoſtolo* tanquam Angelo lucis dedentibus Hibernis, ut habet Jocelinus cap. 174,) inſumeret ædificandis, et locupletandis Eccleſiis, ſuſtentandis Miniſtris &c, in quibus non potuit negligere, quam maximè dilexit ſuam Metropolim Armacanam, quin S. Benignus, aliive Succeſſores Eleemoſynis, aut emendicationibus Momonienſibus indigerent.

194. Exploſis illis affaniis deſpectum merentibus, et indignationem, mox incidimus in alias : apponit enim " proximè ſequi Alil- " dum, quem quidam Primatem appellant, et Epiſcopum Armaca- " num, alios autem vocare Diptachum primum, et donec convene- " rint in hoc articulo, ac certiorem fixerint chronologiam, quic- " quid dicunt nullius eſſe momenti," at ubinam Gentium occurrit talis diſſenſio, nullibi Subſiſtens niſi in imaginatione confingentis, cum omnes tractantes de Serie, et Geſtis Primatum aſſerant S. Benigno Succeſſiſſe S. Iarlathum, illi S. Cormacum, huic S. Diptachum primum, Diptacho autem Alildum primum, ita Wareus de Præſul fol 3, Pſalterium Caſſelienſe, aliique priſci Authores apud Colganum Triad Thaumaturg pag 292, et 293, oportuit tamen alterum hoc efformare phantaſma, ut habeat quod impugnet eſti mere fictitium,

ac Andabatarum more aerem verberans umbraticam referat victoriam.

195. Omnes vires (ni malis cavillas) exerit contra visitationem Artrigij, qui an 822. *Momoniam totam peragrando visitavit, ubi Lex S. Patricij per Fethlimium filium Crimtani Momoniæ Regem, et per Artrigium Episcopum Armacanum per Momoniam propagata est.* Sic Wareus de Præsul fol. 7. aliique gravis Authoritatis Historici : quos tamen rejicit observator petens " quomodo boni, aut probi reputa-" rentur qui istam visitationem Artrigij referunt ad an 822, cum " Episcopus Armacanus non fuerit Artrigius ante an 825. juxta Col-" ganum ?

196. Mirabilis certe, et pudenda licentia ita detrahere in Rebus Hibernicis optime versato Wareo, aliisque conspicuis Scriptoribus, ac imponere Colgano, qui pag. 294 absolute pronunciat per *præfatos Fethlimium, et Artrigium Episcopum Armacanum illam Legem propagatam per Momoniam dict an* 822. Subdit quidem conditionalem " Si *uerum sit* quod habetur in quodam catalogo (cujus Metachro-" nismum, seu errorem in annis denotat pag. 297.) nempe Artrigi-" um Succesisse Flangussio, Artrigius non fuerit Episcopus Armaca-" nus an 822, aut 824. hoc ultimum assueto artificio promulgat Observator dissimulans præcedentia in eadem paginâ verba Colgani.

197. Et cum ex hâc hypotheticâ enunciatione seu conditionali nihil ponente in esse *L. si quis fundum ff. de contrahend empt*, astruat negare Colganum id quod antea positive asseruit, simili fortasse stropha, etsi longe Majori, imo maximâ impietate obtrudet S. Paulum Apostolum docuisse Christum non resurrexisse, et vanam esse fidem Christianam, cum Scribat 1ª. Corinth 15. *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*, Si *Christus non resurrexit, uana est fides vestra.*

198. " Nullam, ait, tradi a Colgano Explanationem hujus S. Pa-" tricij Legis, quam oportet fuisse Regulam pro Monachis, aut Ca-" nonicis Regularibus a S. Patricio compositam, non autem juris-" dictionem Primatialem, quæ si *propagata* per Artrigium debuit an-" tea fuisse *inaudita* in *his* partibus." unde colligas abscondentem se Observatorem scripsisse in Momonia. Stupenda iterum confidentia tam inverecunde illudere Lectori ! cum Colganus dict pag. 294. expressis verbis tradat *per Legem* S. *Patricij intelligi jurisdictionem Me-*

tropolitanam, seu jus visitandi, et exigendi certas Pensiones a Provinciis subjectis, multosque Archiepiscopos Armacanos visitasse alias Hiberniæ Provincias, et certas Pensiones ab eis accepisse. cæterum cum P. op a num 290, ad 293 clare probatum reperiatur de aliâ Lege hic non agi nisi de Primatiali jurisdictione obeunda, non est amplius inhærendum.

199. Sed adverte aliam cavillam, quasivero *propagatio* importet Legem antea fuisse *inauditam*, cum refricare memoriam, urgere observantiam præcedentium Statutorum ne desuetudine antiquarentur, imo retinere, et conservare Rem possessam ad Posteros transmittendam recte Significet juxta optimos Linguæ Latinæ Authores Ciceronem, Livium, alioque consulendos in vocabulariis. habent monumenta Ecclesiastica apud Baronium ad an 439, et 969. (ac susius refertur in Officio canonico Calendis Augusti) collatis a Summo Pontifice, et Evdoxia Imperatrice duabus catenis altera, qua Hierosolymis sub Herode Agrippa, altera, qua Romæ sub Nerone vinctus detinebatur S. Petrus Apostolus, tantum contigisse prodigium, ut Imperatrix in memoriam catenarum erexerit Basilicam Romæ in Exquiliis S. Petri ad Vincula nuncupatam titulo Evdoxiæ, ubi crebra miracula deinceps corruscabant. attamen ibidem perhibetur, quod ob insigne Miraculum Sæculo decimo patratum in comite Othonis Imperatoris Sacræ catenæ contactu ab infestatione Dæmonis liberato, Sanctorum Vinculorum *Religio in Urbe propagata sit.*

Et. S. Bernardus cap. 12. recensens ardens S. Malachiæ studium, et assiduos labores Evangelicos per universam hanc Insulam, inter cætera hæc profert: *Religio propagatur, fovetur*, &c. Et de S. Gelasio asseritur quod an 1139, et 1140. Momoniam, et Conaciam permensus utrobique *Religionis, pietatisque Scita propagaverit* (vid P. op num. 13.) quis autem nisi enormiter insipiens, aut Ecclesiasticæ historiæ omnino rudis inde contendat *incognitum* Romæ cultum SS. Vinculolorum ante Sæculum decimum, ac usque ad tempus SS. Malachiæ, et Gelasij Religionem, pietatemque fuisse *inauditam* in Hiberniæ? aliter si per illam Legem *propagatam* intelligenda esset Regula Monastica, deberet pariter in Sensu observatoris Regularitas, et Monachismus nunquam ante Artrigium Sæculo nono innotuisse Momonensibus, adeoque excludendis a rara felicitate, et Singulari benedictione cæterorum Hibernorum.

200. Siquidem

200. Siquidem Geſtorum S. Patricij Scriptores aſſerunt cum Jocelino cap. 174. " omne decimum caput omnium Incolarum utriuſque Sexus totius Inſulæ in partem Domini juſſiſſe Sequeſtrari S. Apoſtolum, omnes Mares Monachos, fæminas Sanctimoniales effeciſſe, numeroſa Monaſteria ædificaſſe, ita ut infra breve temporis Spatium, nulla Eremus, nullus pene Terræ Angulus, aut locus in Inſula tam remotus, qui perfectis Monachis, aut Monialibus non repleretur: unde Hibernia Speciali nomine Inſula Sanctorum ubique Terrarum jure nominabatur." et unum ex iſtis Monaſteriis creditur fuiſſe celeberrimum Benchorenſe in Ultonia, et comitatu Dunenſi poſtea a S. Congello reſtauratum.

201. De quo cap. 5. vit S. Malach Scribit S. Bernardus quod " multa Millia Monachorum generans multorum Monaſteriorum caput fuerit, locus vere Sanctus, fæcunduſque Sanctorum copioſiſſime fructificans Deo, ita ut unus ex filiis Sanctæ illius congregationis nomine Luanus cèntum Solus Monaſteriorum fundator extiterit, ut ex hoc uno conjiciat Lector quam ingens fuerit reliqua multitudo. denique ita Hiberniam, Scotiamque repleverunt Genimina ejus, ut ea potiſſimum tempora Davidici illi verſiculi Pſalm 74. præcinuiſſe videantur: viſitaſti Terram, et inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam—— —— ——nec modo in præfatas, ſed in exteras etiam Regiones quaſi inundatione facta illa ſe Sanctorum examina effuderunt, e quibus ad noſtras Gallicanas Partes S. Columbanus aſcendens Luxovienſe conſtruxit Monaſterium factus ibi in Gentem Magnam. *addit* nongentos una die Monachos a Piratis occiſos in Benchorenſi Monaſterio, *de quo apud Gratianum Lucium pag. 355. tradit Antonius Ypes* illud eſſe unum e Majoribus quæ noſtra Sacra Religio habuit, vel etiam, Sicuti credo, maximum omnium, quæ in Europâ totâ condita fuerunt, et in Occidente aliud nec majus, nec par fuiſſe legendo comperi." quippe S. Congellus (ut aſſeritur in ejus vitâ) tribus millibus Monachorum præfuit. Vid Uſſer de primord pag. 911.

202. Semper ſuis affaniis inhærens Obſervator ait: " nihil poſſe allegare Adverſarios præter tria facta Apocrypha, (ſic enim audet, ac prætendit refutaſſe) Spatio Quadringentorum annorum nulla veſtigia Appellationum ex aliis Provinciis ad Armacanos, nulla mentio Epiſcoporum ordinatorum pro Momoniâ, nulla viſitatio cum cruce, et Inſignibus Primatialibus extra proprios limites,

" nulla concilia Nationalia convocata eorum authoritate." addiſceret tamen ex celebrioris notæ Scriptoribus Jocelino cap 186. Uſſero de primord pag 912 : Wareo in præfat de Præſul : Willielmo Molyneux pag. 39 : aliiſque ea de re tractantibus plurima inſtrumenta publica, pervetuſta Antiquitatis monumenta authenticas Tabulas, Eccleſiarum Regeſta, Chartas, et Annales a ferociſſimis, omnique litteraturæ infeſtiſſimis Danis conſumpta fuiſſe, alia partim per Archiotarum incuriam, partim per Subſequentium vix non continuâ Serie Bellorum rabiem periiſſe, ut mirum non ſit pleraque priſcorum temporum geſta latere, nec ad Poſterorum perveniſſe notitiam.

203. Imo Speciali Prouidentiæ potius adſcribendum, quod quidquam flammas, ferrum, et devaſtationem tot Bellorum tum Ethnicorum, tum digladiantium domeſticorum evaſerit. Præterea quatuor primis in hoc Regno Chriſtianitatis Sæculis ab an 440 ad an circiter 800 *florentiſſima fuit Eccleſia Hibernica, quæ Sanctis plena habebatur, Stellarum prope numerum Sanctorum Patrociniis exæquans, Sanctiſſimorum doctiſſimorumque virorum officina, et omnibus vicinis gentibus fide præpollens.* Jocelinus cap. 174; Marianus : Surius 8° Maij : Trias Thaumaturg pag. 301 : Lucius fol. 328, et S. Adelmus Epiſt ad Regem Elfridum.

204. Singularem illam, et paucis aliis Nationibus (quantum potui colligere) communem felicitatem primorum temporum præfigurabat viſio de tribus Hiberniæ Statibus oſtenſis S. Patricio (teſte Jocelino cap 175) " dum conſtitutus in oratione vidit totam Hiberniam velut " igneam eſſe ; flammamque uſque ad Cælum extendentem : poſtea " contemplatus eſt in omnibus finibus Inſulæ Montes velut igneos " ad æthera uſque porrectos : poſtmodum pluribus in locis intuebatur " quaſi candelabra lucere, et paulo poſt invaleſcente caligine lucernas " exiguas, ac demum carbones raros incineratos, vivos tamen in abdi- " tis apparere. Subjungitur angelicâ voce quod futuris temporibus " in ſtatibus diverſis taliter expreſſis eſſent Gentes Hiberniæ.

205. " *S.* autem Patricius imbre lacrimarum ora madefaciens il- " lud pſalmiſtæ Pſal. 76. crebro replicabat dicens : numquid in æter- " num projiciet Deus, &c. et Angelus, reſpice ad Aquilonarem Pla- " gam, et videbis mutationem dextræ excelſi, tenebraſque diſper- " gèndas a facie luminis adventuri. levavit igitur oculos *Sanctus*, et " ecce vidit modicam prius lucem in Ulidia exorientem diu cum te-

" nebris

" nebris concertare, tandem iis effugatis Suo fulgore totam Jnſulam
" illuſtrare, nec ceſſavit lux illa creſcere, et convaleſcere donec vide-
" retur ad primum Statum igneum Hiberniam reducere, tum im-
" pletum eſt gaudio cor S. Patricii, et lingua ejus exultatione hæc
" omnia ſibi oſtenſa proſequens cum gratiarum actione intellexit vir
" Dei, et ore deprompſit in magnitudine ignei ardoris, Chriſtianæ
" fidei, et dilectionis, quâ fervebant Inſulani, devotionem et Ze-
" lum Religionis, per montes igneos, Sanctos Signis, et virtutibus,
" verbis, et exemplis præclaros, per diminutionem Claritatis,
" detrimentum Sanctitatis, per obductam Super totam Terram
" caliginem in eâ prævalentem infidelitatem, per morarum Spatia,
" Succedentium temporum interſtitia.

206. Nec mirum eximiam illam, ardentiſſimamquè Sanctitatem diu effloruiſſe per totum Regnum, cum (aſſerente Iocelino cap 174) *nullus in diebus S. Patricii, aut multò poſt tempore Succeſſorum ejus in Pontificem aut Regimen animarum promotus fuerit niſi divinâ revelatione, aut aliquo Signo evidenti dignus demonſtraretur*, aureis illis ſæculis, et præſidentibus hujuſmodi e Cælo deſtinatis Præſulibus quis credat ſubalternos ullas paſſos fuiſſe injurias, aut gravamina, a quibus appellarent ad Superiorem, vel vitia, aut abuſus irrepſiſſe, ut opus haberent reſecari Sarculo viſitationum potiſſimum tendentium ad errorum, et pravorum, morum reformationem.

207. Et ſubſequentium temporum Exempla docent uſitatas fuiſſe Viſitationes præcedentibus ſæculis, vel certè de jure competiiſſe alias quomodo Momonia, et aliæ Provinciæ innovationem paterentur toties Subeundo juriſdictionem, et Uiſitationes Armacanorum (vid Superius dicta a num 152, ad 195, et P. op a num x 1, ad 16,) niſi juxta rectæ Subordinationis ordinem, et primævam S. Patricii inſtitutionem innixam authoritate Sedis Apoſtolicæ ad id ſe obſtringi manifeſtiſſimè conſtaret? aut quomodò S. Celſus Sæculo duodecimo ultra viſitationes obitas in Momonia, Eccleſiam Caſſelienſem conſtituit Metropoliticam primæ ſedi Armacanæ, et illius Archiepiſcopo Subditam tanquam Primati, illamque Conſtitutionem confirmavit Innocentius Secundus? e quibus Quæſo Authoribus, aut Monumentis, vel etiam Populari traditione oſtendet Obſervator primitivis illis, et tot Sequentibus Sæculis appellatum fuiſſe in hoc Regno a gravaminibus ad ipſam Supremam Sedem omnium Matrem, et Magiſtram, aut

quid

quid inde concludet ullus, Sapiens nisi omnia in Unione Charitatis, et Pacis ita transacta, ut ejusmodi recursu non indigerent.

208. Ad illud autem Observatoris de Visitatione cum Cruce, et Insignibus Primatialibus ultra *proprios limites*, ne quidem *intra illos* id Specialitèr exprimitur ante vel post adventum Cardinalis Paparonij, sed Authoribus, quorum Supersunt Monumenta, satis fuit indicare Præsules Armacanos præferentes haud dubiè crucem, et Insignia competentia, sicut propriam Diæcesim, et immediatè Suffraganeam Provinciam, ita et alias hujus Insulæ peragrasse, *Sacrorum, et profanorum hominum mores acriùs perscrutando ad vitia evellenda, et virtutes inserendas gnaviter incubuisse &c.* (vid P. op num 12, et Seqq) fortè ad satisfactionem critici Ardelionis referre debuerunt quâ vecturâ Rhedâne, an curru, Equis, vel pedites incederent, quibus comitantibus, et utrum plenè acquieverint, vel e contra derogaverint canoni 40. Concilij 3i. Generalis Lateranensis sub Alexandro 3o. Vetanti ne Archiepiscopi inter visitandum, numerum Quadraginta, vel Quinquaginta Evectionum excedant, vid *cap cum Apostolus de censib.*

209. Quoad Episcopos ordinandos pro Momoniâ, sciret Observator per Canones 4m, et 6m. Nicænos, ac 2m. Constantinopolitanum (quos ineptè alibi citat, et in alienum sensum detortos ineptius applicat vid num 175, et 176,) Metropolitanis etsi Subjectis Primatibus, et Patriarchis, reservari ordinationes Suffraganeorum Episcoporum, adeoque ad S. Albeum a S. Patricio constitutum Archiepiscopum Momonienssium, et Successores Spectabat illud officium peragendum in Momonia sine præjudicio tamen Primatum in reliquis competentibus Prærogativis, de Conciliis autem Nationalibus indictis ab Armacanis vid P. op num 12, et 13.

" 210. Notandum (inquit) quod tempore Artrigii totam Ulto-
" niam subegerint Dani, et Normanni collocantes Titulares Laicos
" in quolibet Beneficio illius Provinciæ, opportunum enimvero tem-
" pus, quo Australes Partes Hiberniæ submitterent, et homagium
" præstarent infidelium, et Barbarorum Servis, ac mancipiis!" sed quo Authore, quibusue Tabulis probat ultoniam Subjectam fuisse vli extraneo jugo non pariter, vel etiam prius, ac durius opprimenti reliquas Provincias? imo ex Superstitibus documentis patet, et attestantur Giraldus Cambrensis, Davisius, et alij, cum Wareo de Antiquit cap. 27, et passim in Annalibus fortius restitisse Aggressoribus, tardiusque subactos fuisse Ultonienses.

211,

211. Ineunte quidem ſæculo nono Maritimas oras Hiberniæ Pyraticâ infeſtarunt primo Normanni nullum ibi figendo domicilium, *an* 807, *Dani et Norvegij in Hiberniam appulerunt, et Roſſcomanniam, Regionemque adjacentem ferro flammâque devaſtarunt, an* 812, (ut habet Rhegino in Chronico, et Hermannus Contractus ad eundem annum) *Claſſis Normannorum Hiberniam Inſulam aggreſſa, commiſſoque cum Scotis prælio multi ex eis interfecti, cæteri fugâ lapſi ſunt circa an* 818, *Turgeſius Norvegus Hiberniam primum invaſit, an* 835, *Norvegi Majoribus inſtructi copiis Magna Claſſe appulerunt ſub ductu Turgeſii, et Conaciam fermè univerſam una cum quibuſdam Lageniæ, et Midiæ partibus devaſtarunt, intra triennium poſtea* (adeoque an 838, et 16, poſt viſitationem Artrigii in Momoniâ) *non parva Ultoniæ parte Subjugata, ubique ferme templa demoliti ſunt, et in Chriſtianæ Religionis Profeſſores, cujus tunc hoſtes erant, Magna crudelitate graſſati,* ita Wareus in antiquit cap. 24, pag 102, 103, de primis infeſtationibus, et progreſſibus Danorum in Hibernia.

212. Quâ ergo fronte, aut fide niſi aſſuetâ ſua ſubleſtiſſimâ obtrudere non verecundatur Obſervator viſitante Momoniam Artrigio an 822, Armacanos fuiſſe ſervos, et mancipia barbarorum, ac infidelium Danorum? tradunt quidam noſtri Hiſtorici an 830, (Octavo Scilicet a viſitatione Artrigii in Momoniâ, et tertio ante ipſius obitum, deceſſit enim an 833, juxta Wareum de Præſul fol 8,) Danos ſeu Normannos in ſuis graſſationibus Spatio unius menſis ter occupaſſe, et expilaſſe Armachiam, addunt tamen *nunquam antea fuiſſe per exteros occupatam*, vid Triad Thaumaturg pag 295.

213. Deindè novis indies copiis e Norvegiâ, confluentibus auctus immaniſſimus Tyrannus Turgeſius per totam Inſulam graſſabatur, Sacra, et profana ferro, flammiſque depopulatus crudeliſſimâ, et Egyptiacâ Servitute (quam ex Jocelino cap. 175, Ketino, aliiſque Chronologis deſcribit pag 303, Gratianus Lucius) Indigenas oppreſſit ubique, et an 843, Urbe Armacanâ vi capta *beatum Ferenanum Primatem* unà cum omnibus Religioſis, et ſtudioſis Loci ad ſuas naves Limericum duci mandavit, opibus ac latifundiis, quibus præ reliquis affluebat primaria, ac Princeps Eccleſia, inhians, illius poſſeſſionem ſibi utpotè omnium Supremo reſervavit, partitus per totam Inſulam inter Duces, et Commilitones Eccleſias, et Eccleſiaſticos fundos, quarum Perſonarum, nomen, et titulos dignitatum Ethnica profanatione uſurparunt, (vid P. op. num. 161, et 255,) et dum poſt extinctum

tum Stratagemate Malaghlini Regis Turgesium, et fugatos Danos, alii illius Gentis in Hiberniam appellerent, Waterfordiam, Limericum, Corkagiam, Inisçattiam, aliaque Momoniæ fortalitia militaribus præsidiis diu occuparunt, unde totam Provinciam crebris irruptionibus infestabant, cum ne passum pedis ullibi fixum retinerent in Ultonia, En Servitus Mancipiorum Ultonienſium præ Momonienſibus, aliisque Incolis hujus Regni.

214. Sed ut omittamus tantisper Præsules Armacanos sub jugo Ethnicorum ingemiscentes Tyrannicum furorem passos fuisse in ærumnis, dum in pace, et Libertate reliqui hujus Regni Indigenæ florerent, an ideo primitiva jurisdictione, ac Prærogativis excidere debuerunt inter Catholicos, ut inde ansam arriperent Momonienses sese subducendi eorum Primatiali Potestati? non ita contigit, dum captas Antiochiam, Hierosolymam, et Alexandriam Persæ sub Chosroa: Hierosolymam iterum sub Saladino Saraceni: Carthaginem sub Genserico Wandali: Cantuariam Dani atrociſſime diriperent, et ferina rabie insectarentur fideles, sed illarum Sedium Præsules superstites pristinum gradum, ac jurisdictionem retinuerunt in Subjectas antea, et a feritate Barbarorum immunes Provincias, et Ecclesias, nec ullus inter Orthodoxos reperitur disciplinatus eo prætextu attentasse assuetam Reverentiam, aut obedientiam detrectare aliter quam si pleniſſimam libertatem, et opulentos Redditus possiderent, Quoniam ut docet S. Hieronymus *can Legimus dist* 93, potentia divitiarum, et paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem Præsulem non facit.

215. Prosequamur Observatorem asserentem " Momonienſium " Subordinationem Ultonienſibus (etiamsi tanta qua unquam gaude- " rent libertate) ut res tunc erant, nullatenus practicabilem, imo " pæne impossibilem fuisse, quia Reges Momoniæ *tunc potentiſſimi*, " *et famoſiſſimi Hiberniæ* frequenter bello concertantes cum Regibus " Ultoniæ nequaquam paterentur Subditos suos Clericos, vel Laicos " ullam Superioritatem, aut potestatem agnoscere in suis perpetuis " æmulis, et Sæpe infenſiſſimis hostibus, tributum, vel homagium " pendere Præsulibus in illorum ditione degentibus, aut provocare ad " eos pro reformandis gravaminibus.

216. " Id adeò improbabile, ut ausim dicere quod nec ipse Summus " Pontifex cum tota sua authoritate, sive terroribus, sive Solicitatio- " nibus inducere posset ad obsequendum Reges Momonienses, qui " responderent, ut Ludovicus Crassus respondit Calisto 2°, volenti

" Me-

" Metropolim Senonenſem in dominio Ludovici ſubjicere Lugdun-
" enſi ſub alterius Principis obedientia conſtitutæ : *Suſtinerem poti-*
" *us Regni noſtri totius incendium, capitis etiam noſtri periculum,*
" *quam novæ ſubjectionis, et abjectionis opprobrium,* &c. Similiter
" opponerent, et pari jure Reges *noſtri* Momonienſes cuicunque
" Pontifici ipſis, aut ſubditis imponere cupienti Aquilonare jugum.
" et nullatenus dubitandum quin Præſules ejuſdem Provinciæ obſiſ-
" terent hujuſmodi innovationibus, ſicut eorum Prædeceſſores reſti-
" terunt S. Patricio."

217. Nimium terrifici, et protervi traducuntur Reges Momoniæ, qui nec ipſi Summo Pontifici juſta, et æqua proponenti obtemperarent : cum alij omnes Reges, et Principes Hibernici Generis ab initio chriſtianitatis in hâc Inſula dictis, et Statutis Supremæ Sedis ſemper fuerint obſequentiſſimi, ita ut nullus eorum reperiatur indignationem, aut fulmen Apoſtolicum in ſe, ſuoſve concitaſſe (vid P. op num. 210) at unde graves illæ Simultates, vel atroces inimiticiæ Momonienſium cum Ultonienſibus non conterminis, nec contiguis, ſed longe ſemotis, imo remotiſſimis totius Inſulæ, interjacentibus utraque Midia, et Lageniâ ſimiliter habentibus ſuos Speciales Reges? de confiniis autem, ac contiguis poſſeſſionibus Regum jurgia, et diſſidia plerumque oriuntur.

218. Cæterum ſi quandoque ejuſmodi interceſſerint priſcis temporibus concertationes, aut Inimicitiæ, expediret potius ſopire et earum inviſam abolere memoriam, quam obductas dudum cineribus oblivionis denuo educere in apricum. Et etiam in illo caſu quid hoc ad Præſules Armacanos, quorum Anteſignano S. Patricio, Regum, et Procerum Momoniæ Majores notitiam Lucis Evangelicæ, et Salutis æternæ felicitatem gratam referebant? ac propterea *Patrem Suum Spiritualem, et proprium Apoſtolum* agnoſcentes, in Signum Subjectionis *fixam ipſi ejuſque Succeſſoribus Penſionem ſtato tempore Soluendam decreverunt.* vid num 169, et 181. non enim diſſenſio Principum invertere debuit ordinem Hierarchicum, aut priſtinum Eccleſiæ ſtatum immutare, ut poſt Innocentium docet Nicolaus primus *can Lege Imperatorum diſt.* X.

219. Et hic iterum habes quam inverecunde toties in Scænam producat reſiſtentiam Præſulum Momonienſium S. Patricio, illamque Baſim conſtituat phantaſticæ exemptionis, quæ cum ſponte ſuâ corruat, ita et Superſtructam offuciarum molem peſſundari oportet.

habes etiam quam inepte, et iniquè a conſtitutione Caliſti 2i. in gratiam Ludgunenſium exemplum deducat ad Armacanos a tempore S. Patricij Super univerſam hanc Inſulam Authoritate Romani Pontificis conſtitutos Primates.

220. Non eſt meæ intentionis æmulationem excitare, aut comparationem paſſim odioſam inſtituere uter Rex Ultoniæ, an Momoniæ potentia, aut viribus prævaleret. faciat hoc Obſervator, cujus potiſſimum Studium eo vergere videtur, ut Suppreſſa veritate, et Subinductis figmentis Suſurronum more Seditionem inter Concives utrinque modo fatiſcentes, obſoletos, et vix non omnino conſumptos: inter fratres diſcordias, Caput inter, et membra dirum Schiſma diſſeminet, nihil penſi habens quod præcavetur Levit 19: *non eris criminator, nec Suſurro in populo*: et Prov. 26. *Suſurrone Subtracto jurgia conquieſcent*: *et Eccli* 28: *Suſurro, et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes*.nullus veri Amator inficiabitur, quin lata, et celebris Provincia Momoniæ viros ingenio, et induſtria præditos jugiter progenuerit, ac Reges habuerit Bello, et pace clariſſimos (vid P. op num 171, et Seqq) quamvis denegandum non ſit eam Provinciam Externorum hoſtium inſultibus, pro ſua inter binos Reges plerumque inter ſe digladiantes partitione, reprimendis minus parem fuiſſe, quam ſi adunatis viribus, et copiis indiviſa ſub uno capite militaret.

221. Liceat tamen ex communi omnium, quos vidi, vel audivi opinione referre, quod Ultonienſes, eorumque Reges, et Ductores rebus Bello fortiter geſtis nulla ex parte aliarum Provinciarum Principibus, aut Incolis ceſſerint. Sed omiſſis intempeſtivis, et ad rem impertinentibus contentionibus conſulto inductis a ſuperſeminante Zizania, et queſtiones præſtantibus magis quam ædificationem 1. Timot 1° : quantumcunque *potentes*, et *famoſi* denuncientur Momoniæ Reges, quid quæſo fuerunt, quid Ultoniæ, aliarumve Provinciarum Reges ſtante Pentarchia (quæ duravit uſque ad dominium Anglorum in fine Sæculi duodecimi) niſi ſplendida nomina ſubjectionis, et Vaſſalagij, quibus omnes obſtringebantur Supremo Monarchæ, ſeu Regi totius Hiberniæ, in cujus proinde ditione æquè Subſiſteret Primatus ſive Armachiæ, ſive Caſſeliæ conſtitutus, et ultro citroque commeantibus pateret acceſſus?

222. Quæ

222. Quæ autem paritas Clientelarium Regum Momoniæ cum Ludovico Craſſo ſupremo Galliarum Rege nullum agnoſcente ſub Sole ſuperiorem in temporalibus ad deprimendam ſuper Momonienſes authoritatem Armacanam, niſi quantum affectant nonnunquam Pigmei, et æmulantur vires, ac ſtaturam Gigantum, et quia *non eſt Senſus ubi amaritudo Eccli* 21? voluit tamen inſitâ quibuſdam, et Vaſconica Emphaſi, ac projectis adulationibus Gnatho aſſentari iis, quorum gratiam aucupabatur. addiſceret tam Subſequentibus, quam præcedentibus temporibus non obſtante illa Ludovici Regis oppoſitione, et reſiſtentia, Lugdunenſes Præſules Primatum obtinuiſſe ſuper Metropolim Senonenſem, aliaſque recenſitas a Gregorio 7° lib. 6. Regiſt Epiſt 34, et 35 (vid Superius num. 103) quod ipſe Gregorius ſua Authoritate confirmavit, ut tradit Baronius ad an. 1079, et Azorius part. 2. lib. 3. cap. 36. et mox in ipſa etiam Gallia, et Concilio Claromontano præſentibus ducentis quinque Præſulibus, pleriſque Gallicanis (inter quos tredecim Archiepiſcopos cum Suis Suffraganeis enumerat Baronius ad an. 1095) iterum Sancivit Urbanus 2; ſicut perhibetur in dicti Concilij Actis videndis apud Collectores, et Speciatim Cabaſſutium Notit. Eccles. pag. 398.

Qua autem Specie veri innovatio cenſeri aut vocari potuit illa Calliſti Papæ Sæculo Duodecimo pro Primatu Ludgunenſi Super Senonſem Eccleſiam declaratio? quem Primatum præcedenti Sæculo, imitati anteceſſores Pontifices, tanta Solemnitate confirmarunt Gregorius 7. et Urbanus 2. Niſi forte dicatur Rex Ludovicus, Senonenſis Cleri et faventium illi Aulicorum arte deluſus, ita credidiſſe, aut malis merito Suſpicari Commentum eſſe Obſervatoris, qui pleraque fictitia pro veris obtrudit nullum addcuendo librum aut authorem ubi reperiantur.

323. Semper Suis erroribus immerſus ubique Schiſmatica Semina ſaturus ait " Epiſcopos Momonienſes Summâ fiducia potuiſſe alle-" gare ſuam Exemptionem, et Sperare eundem a Papa favorem, " quem Cypriis Præſulibus exhibuit concilium Epheſinum decernens " Cyprios immunes a juriſdictione Antiochena." viſum eſt P. op num 53, quod, quamvis Eccleſia Cypri antiqua conſuetudine, et can 6, ac clarius Arabico 37. concilij Nicæni, et decreto Innocentij primi ſubeſſet Patriarchis Antiochenis, tamen Patres Epheſini ob graviſſimas tuuc emergentes rationes commemoratas a Cabbaſutio notit

concil pag. 314: et notit Eccles pag. 209, Salaminæ Præſulem Cypri Metropolitam, et Suffraganeos Antiochenæ poteſtati Subduxerint.

224. Et cum non acquieſcerent Antiocheni, ſed Subſequentibus temporibus contentio recrudeſceret, inventio Salaminæ corporis S. Barnabæ Apoſtoli, qui Cyprios convertit, omnem diremit controverſiam, et illa Eccleſia judicata fuit Apoſtolica, ac exinde Salamitanus Archiepiſcopus jure Primatiali pacifice præfuit totius Inſulæ clero, ab omni Patriarchali Authoritate immunis (vid P. op num 53.) cum hujuſmodi urgentes rationes, et prægnantia Motiva ſine fuco, ſine ambagibus adduxerint Epiſcopi Momonienſes, liceat Sperare ſe pariter Subducendos juriſdictioni Primatiali Armacanæ. at donec id opere compleverint, quod nunquam continget, non prætergrediantur terminos, quos poſuerunt Majores, et Patres noſtri, ſed antiqua Eccleſiarum jura, et primæva Subordinatio permaneant indivulſa. hic iterum advertas incohærentiam, imo contradictiones, ſi non potius dementiam obſervatoris qui, ut vidimus num 50. Primatem, ſeu Patriarcham Antiochenum intra propriæ Diæceſcos, et Provinciæ limites coarctatum nulli Metropolitano, vel Archiepiſcopo præfectum, ſed *Nominalem* tantum, et *titularem* aſſerere auſus fuit, nunc autem fateri vel invitus cogitur præfuiſſe etiam avulſis mari, et longe Semotis Præſulibus Cypriis uſque ad exhibitionem concilij Epheſini.

225. " Omnes (iniquit) antecedentes probationes independentiæ, " et immunitatis Momoniæ adeo ſunt *conſpicuæ*, ut *obſtupeſcendum* " ſit Adverſarios non acquieſcere, ſed urgere S. Celſum, et S. Mala- " chiam viſitaſſe Momoniam Authoritate Primatiali, ac Celſum an " 1106. in curſu viſitationis a ſingulis cantharedis accepiſſe Boves, " oves, et mediam Unciam argenti, &c. Celſum nullum jus habuiſſe " ejuſmodo viſitationis in Momonia jam probavimus ad plenam " convictionem cujuſlibet non præjudicati Lectoris, et quod nun- " quam actu obiverit talem viſitationem in illa Provinciâ *demonſ-* " *tramus* ſequentibus rationibus."

226. Obſtupeſcis Lector ad tam ſtupendam arrogantiam tumidi obſervatoris prodigij loco habentis, quod inſulſas ipſius fabulas, vani cerebri adinventiones, pudendas corruptelas, et notoria commenta, veluti totidem oracula uon amplectantur Armacani, ac rejectis limpidiſſimis aquis ex tot authenticis monumentis, celeberrimis Authoribus,

bus, et ipso illibato fonte Supremæ Sedis profluentibus, ad Cisternas dissipatas, et Aquas turbidas ex ipsius erratica imaginatione Scaturientes non divertant pro refrigerio ! Scriptum est : *Stultus fatua loquetur* : Isai. 32 : et *vir vanus in Superbiam erigitur* Job. XI.

227. Quod autem effutiat *S. Celsum nullum jus habuisse visitationis in Momonia*, de quo disceptatur : Respondemus cum S. Augustino Lib. 2. contra Litteras Petiliani (cujus petulantiam, et insulsam animi Superbiam referre passim videtur Observator) *illud enimvero est Istigare, pro documentis convicia ponere, et quod controversiæ caput est pro judicato sumere.* Sed auscultemus *demonstrationes.*

228. " *Omnes* (dicit) Authores ea de re tractantes convenire Ar-
" machiam ducentis octo annis ante Celsum a Tyrannicis Usurpato-
" ribus de Patre in filium velut hæreditariam Successionem possessam,
" ex illis Usurpatoribus octo fuisse uxoratos, reliquos incontinen-
" tes, et Sacrilegos malefactores. hoc factum indenegabile est, ita et
" consequens, quod si Armachia ullam habuerit Primatiæ prætensio-
" nem, illâ deciderit incidendo in potestatem Schismaticorum tam
" diutina et nusquam interrupta Sacrorum omnium profanatione,
" ita Patriarcha Gradensis decidit suo Primatu propterea translato
" Aquileiam : sic Hispalis, dum illius Episcopus deveniret Mahume-
" tanus amisit Primatum totius Hispaniæ, et collatus fuit Toleto :
" parili ratione Clemens tertius Præsulem Constantinopolitanum pri-
" vavit omni jurisdictione in Ecclesias Cypri. Si unici Prælati præ-
" varicatio tantam meruit animadversionem : quid non promeruere
" repetitæ Enormitates tot iniquorum Monstrorum polluentium
" Cathedram Armacanam ?"

229. Has *demonstrationes* Authore suo maximè dignas necesse est singulatim pensitare. Imprimis non est denegandum (quod primus omnium Scriptis consignavit *S.* Bernardus, et ex eo hauserunt alij) nimirum per annos *ferme* ducentos (ulterius protendit Observator pro sua licentiâ, etsi particula *ferme* nondum fuisse ducentos completos plane evincat Argumentum Baronij Epit Spond ad an 1053 num. 5.) Sedem Armacanam passam fuisse oppressionem, et Usurpationem potentis familiæ Diabolica ambitione non ferentis quemquam Episcopari, nisi qui esset de Tribu sua : non tamen ita, ut Semper filius Patri Succederet (sicut malevolè Suggerit Obseruator) sed cognatus cognato ex eadem Progenie sicque contigit ut illam Ecclesiam

cleſiam occuparent Quindecim *Succeſſive*, quorum *Septem* ordinibus rite intiati fuerunt, et veri Antiſtites accedente conſenſu, et acceptatione Cleri, etſi forte non ex omni parte quandoque voluntaria, ſed ad præcavendum majus imminens malum, quemadmodum toties alibi accidit (vid P. op. num 253. et *Seqq*) ac primus ex illis *Septem* juxta Patrios Hiſtoricos fuit Joſephus conſecratus an 927. quem Wareus de Præſul fol. 9. dicit *virum doctum, et Sapientem in Senectute bona quieviſſe an* 936. de quo forte aliquid infra.

230. Attamen omnes ſeptem incontinentes, *Sacrilegos* malefactores, ac enormium iniquitatum monſtra extitiſſe pro inſito amaritudinis livore ingeminat ſolus, et aggravat Obſervator: de quo ne verbum quidem apud *S.* Bernardum, qui flagrans charitate, et Zelo dómûs Dei acerrime inſectatur iniquum uſurpatricis familiæ ſtudium, et octo viros uxoratos profanantes *Sanctam Sedem*. quod factum nullatenus inficiamur ob reverentiam, et integritatem tanti Authoris eandem, et indubiam pariter merentis fidem in cæteris, quæ *Scripſit* de Eccleſia Armacana, aliiſque rebus.

231. Negamus tamen confidenter (velit nolit criminator) inde debuiſſe excidere ſuis priſtinis prærogativis præfatam Eccleſiam. alioquin quid accideret reliquis ſublimioribus Orientis, et Occidentis toties, et tam diu ſub execrabili Hæreticorum, *Schiſmaticorum*, et Potentatum *Sæculi* oppreſſione, ac dira Tyrannide ingemiſcentibus? (vid Baron ad an 900, et *Seqq*) ſcilicet juxta ſævam accuſatoris indolem addendo afflictionem afflictis, veteribus juribus, et præeminentiis in odium inique profanantium ſpoliari deberent, reclamante æquiſſima juris Regula 76. *Delictum Perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*. de his fuſius actum eſt P. op a num. 262 ad 273: et mox aliquid occurret inferius.

232. Hoc de prima ratione *demonſtrativa* ad alias procedamus. dum irruentibus in Italiam Longobardis Albuinus eorum Rex Aquileiam cepit, Paulinus tunc Aquileinſis Præſul (teſte Carolo *Sigonio* lib 1. de Regno Italiæ) metu perterritus, ut ſibi, Eccleſiæque ſuæ conſuleret, Aquileiâ relicta, et omni Eccleſiæ theſauro accepto in Inſulam Gradum ab hoſtium aditu liberam ſe cum ſuo clero recepit. poſtea vero an 580, ut teſtatur ibidem *Sigonius*, Helias Aquileienſis cum Gradum Prædeceſſorum ſuorum exemplo incoleret, decretum a Pelagio 2°. impetravit, ut ipſius Eccleſiæ *Sedes* ex Urbe Aquileia Gradum transferretur, et Epiſcopis ſuis in Æde *Sanctæ* Euphemiæ

ad

ad conventum vocatis Pontificium decretum recitavit, et ex eorum ſententiâ, relicta immanitati Longobardorum Aquileia, ſedes Patriarchæ in Inſulâ Grado, ut Securiori loco ſtatueretur, poſita eſt. Et ex eo tempore Gradenſis Eccleſia Venetæ oræ, Iſtriæque Eccleſiarum caput, et mater appellata eſt, et Gradenſis Epiſcopus cæpit vocari Patriarcha occaſione, quam notat Baronius ad an 570, ut nuncupatur ab Urbano 2°. *can erubeſcant diſt* 32: et quinquies ab Innocentio 3°. *cap. ex Litteris de offic jud delegat.*

233. Gradi autem permanſit Dignitas Patriarchalis, donec *ob aeris intemperiem* ad inclytam Venetiarum civitatem an 1451 tranſtulit Nicolaus quintus, primumque Venetiarum Patriarcham conſtituit S. Laurentium juſtinianum. ita cum dicto Sigonio referunt Anaſtaſius Gernon de Sacror immunit lib. 3. cap. 7. Gregorius T. tract de reſident Epiſc cap. 18. Dionyſius Paulus de vera quatuor Patriarchalium Sedium erect cap. 2. et Bernardus juſtinianus in ſuâ de Venetorum geſtis hiſtoriâ lib. 12. unde patet non Grado Aquileiam (ut perperam, ac imperite nullo adducto teſte, vel Authore comminiſcitur obſervator) ſed Aquileia Gradum tranſiiſſe Dignitatem, ac inde tandem Venetias, non ob ullam alicujus Præſulis prævaricationem, de quâ nulla reperitur mentio in dicta tranſlatione, ſed *ob aeris intemperiem* in civitate Gradenſi paludibus, et flumine circumſepta.

234. Primatum, quem dicit, Hiſpalenſem non fuiſſe illi Sedi affixum, ſed privilegium tantummodo perſonale, electa induſtria Perſonæ ob merita Singularia liquet ex eo, quod qui illa Dignitate inſigniti reperiuntur dictæ Sedis Antiſtites indiguerint Succeſſivè novis Diplomatibus Romanorum Pontificum eos conſtituentium ſuos Vicegerentes, ſeu Vicarios in Hiſpania: ſic Saluſtio vices ſuas commiſit Hormiſdas Papa: Gregorius Magnus S. Leandro, ac poſtea ejus fratri, et Succeſſori S. Iſidoro (vid Superius num. 146) S. Iſidorum excepit in Sede Hiſpalenſi Theodiſcus natione Græcus, quem Tudenſis, et ex eo Baronius ad an 636 tradunt fuiſſe ſub ovina pelle Lupum rapaciſſimum, qui libros quoſdam S. Iſidori corrupit, et ob fidei errorem, quo Chriſtum filium Dei adoptivum tantum eſſe dicebat, a Synodo Toletana quinta ſub Cinthilano Rege laudatiſſimo depoſitus ad Arabes transfugit, et Sectæ Mahometanæ adhæſit.

235. Quid

235. Quid ergo mirùm quod hujuſmodi execrabili Apoſtatæ vicem ſuam, ſeu gratuitam illam prærogativam non commiſerit, qui tunc ad Clavum Sedit univerſæ Eccleſiæ Honorius primus, ſed tranſtulerit in alium optimæ notæ Præſulem, præſertim Toletanum *conſtitutum ab antiquo* totius Hiſpaniæ Primatem, ut coaleſcente utraque poteſtate, ordinaria, et Legatina in una Perſona liberius, et majori cum reverentia, ac authoritate exequeretur officium ſuum? id contigit dict an 636, quo refert Obſervator Hiſpalim amiſiſſe Primatum totius Hiſpaniæ, et conceſſum ſuiſſe Toleto, qui tamen ſupra num. 73. non erubuit aſſerere " omnes in hiſtoria Eccleſiaſtica " verſatos fateri oportere nullos ante Sæculum undecimum extitiſſe " Primates cum juriſdictione extra ſuas Provincias præter Epiſcopos " Romanos, et Patriarchas Orientales." Ut iterum videas quo incito, ac cæco vertiginis impetu ſui immemor ſemper præcipitetur in contraria.

236. Ob quod crimen Cypro magis quam cæteris indubitato ſubjectis olim Provinciis, et Regnis privaretur Patriarcha Couſtantinopolitanus exitiali (ſicut et Prædeceſſores tot Sæculis) Schiſmate infectus a Sede Apoſtolica avulſus, adeoque omni juriſdictione interdicendus ubique, non indicat, nec ullum rei geſtæ Authorem adducit Obſervator, qui paulo ſuperius num. 223 tradidit Concilium Epheſinum an 431. celebratum decreviſſe Cyprum exemptam a Poteſtate Patriarchæ Antiocheni, quæ exemptio ibi inſtituta, non tamen completum ſortita fuit effectum, donec an 485. ſub Zenone Imperatore inventum Salaminæ corpus S. Barnabæ Apoſtoli omnem ſopivit controverſiam, et Salamitanum Metropolitam, ac Primatem ſui juris factum ob omni impetitione Patriarchali immunem reddidit.

237. Qua autem revolutione poſtea Subjiceretur Conſtantinopolitano, ut pro libertate indiguerit novo Diplomate Clementis tertij, nullibi (arbitror) occurrit memoria. Contigit quidem tempore Clementis ut Richardus primus Anglorum Rex ſuppetias laturus Terræ Sanctæ contra Saracenos navigans in Syriam, Cyprum occupaverit, eamque Vidoni Luſiniano, quem Saladinus Regno Hieroſolymitano ſpoliarat, tradiderit, ſicque expulſis Schiſmaticis ſubinductus fuit clerus Catholicus, qui execratus omne Schiſmaticorum conſortium, et commercium, Romanæ Communioni deinceps adhæſit, cujus acceſſionem lætiſſime proculdubio excepit Papa Clemens, quin tamen opus eſſet ulla novâ Exemptione.

238. His

238. His præjactis *demonſtrationibus*, alia Sequitur omnino peremptoria, et omnem protinus ereptura prætextum adverſariis (ſi credimus Obſervatori) " quia tam longa Series Schiſmaticorum Epiſco-
" porum in ſede Armacana ſuppeditat Momoniæ, aliiſque Provinciis
" ſufficientem titulum præſcribendi contra quemlibet actum juriſ-
" dictionis obeundum per eorum Succeſſores quantumvis ortho-
" doxos, quoniam Quadraginta annorum præſcriptio dat actio-
" nem cuilibet Eccleſiæ adverſus Aggreſſores : ſed hic reperiuntur
" plures quam quinquies Quadraginta, quibus manifeſtum eſt Ar-
" machiam nullum habuiſſe jus Primatiale ſuper hoc Regnum.
" addit : *nihil dico ſine Libro*, et mihi Patronus eſt S. Gregorius
" cap. 8.

239. Quis ferat tam ſtupendam impudentiam obſcuri Tenebrionis audentis aſſerere, et Lectori in tam manifeſtis illudere, quod *nihil dicat ſine Libro*, qui toties, imo paſſim figmenta ſua immixtis corruptelis, ne dicam mendaciis ſine teſte, ſine Libro oſtentat? niſi fortè eò Devenerit dementiæ, ut ineptientis ſui cerebri adinventiones, *Libros* et quidem authenticos arbitretur. ſed inſpiciamus quem allegat Librum S. Gregorij : *illud autem te ſcire volumus, et tenere quod adverſus Eccleſias minorem præſcriptionem quam quadraginta annorum Romana Eccleſia non admittit, licet pridem Canones triennalem comprobent, et Eccleſia poteſt ſe Quadragenariâ temporis præſcriptione tueri de re illa, quam inconcuſſe noſcitur poſſediſſe.*

240. Hæc autem non deſumuntur a S. Gregorio, ſed ab Alexandro 30, *cap illud de præſcript.* Quod tamen non multum refert, cum ejuſdem uterque fuerit Authoritatis condendi canones, et agitur duntaxat ut cunctis peritis eſt notorium) de fundis, decimis, aliisque hujuſmodi rebus, et poſſeſſionibus, quas poteſt una Eccleſia Spatio Quadraginta annorum præſcribere contra aliam. At nullatenus comprehenditur exemptio, Seu libertas inferioris Eccleſiæ, quæ nullo tempore per merum non uſum præſcribitur contra obedientiam, viſitationem, procurationem, aut juriſdictionem competentes Superiori Prælato : *Cap cum non liceat*, et *cap cum ex officij de Præſcript.* ac etiam tempore Schiſmatis quo infectos dicit Armacanos Spatio ducentorum annorum non currit præſcriptio : *cap cum vobis eod tit.*

241. Declararunt Joannes octavus *can nemo 16 quæſt 3*: ac Innocentius 3 *cap ad audientiam*, et *cap cum vobis de præſcript.* contra Eccleſiam Romanam (quæ etiam in ejuſmodi rebus ſpeciali privilegio merito gaudet) valere præſcriptionem centum annorum. non tamen adeo (Spero) delirabit Obſervator ut inde inferat non poſſeſſionibus tantum, et rebus temporalibus ad illam antea Spectantibus, ſed etiam poteſtate, et juriſdictione excidere centum annorum Spatio præfatam Supremam Eccleſiam: quamvis nihil videatur tam abſonum, aut abſurdum quin formidandum ſit ne incidat ab omni veri ſpecie exorbitanti cerebello.

242. Præterea Eccleſiâ vacante, ſeu viduata utpote non habente legitimum Defenſorem nulla currit præſcriptio: *cap auditis*, et *cap de quarta de Præſcript viduata* autem cenſetur Eccleſia, quæ licet Epiſcopum habeat, *inutilem tamen perhibetur habere*: *Cap inter* corporalia *§ ſed neque de tranſlat Epiſc.* Argum *L.* 1. *§ pen ff. quod cujuſque univers nomen* quid ſi ne inutilem quidem Epiſcopum habeat, ſed pernicioſum Uſurpatorem Laicum, crudelem Tyrannum Sacrilege opprimentem, quales debuerunt eſſe octo viri uxorati, et abſque ordinibus profanantes Sedem Armacanam?

243. Hæc dicta ſint ex abundanti viſum eſt P. op. a num. XI. ad 16, et num. 259, tempore illius Tyrannidis ſub uxoratis Laicis, non deſuiſſe veros, et rite conſecratos Epiſcopos ſibi invicem Succedentes (quorum aliqui in Sanctorum numerum relati ſunt) qui Munia Primatialia prout acerbitas temporum tulit, et exegit neceſſitas, explebant per totam Hiberniam. et poſtremus ex iniquâ familia oriundus S. Celſus non tantum Authoritate Primatiali viſitavit Momoniam ſæculo duodecimo, ſed inſimul Eccleſiam Caſſelienſem eadem authoritate conſtituit Provinciæ Metropolim, primæ tamen Sedi Armacanæ, et illius Archiepiſcopopo ſubditam tanquam Primati, quam novam Metropolim ſic ſubditam confirmavit Innocentius Secundus vid nnm 207. et P. op num. 7. 201. et 241.

244. Quid Sentis Lector de imaginariis *demonſtratonibus* noſtri obſervatoris palmarium impoſturarum ſtructuram compingentis? attamen veluti irrefragabiliter eviciſſet intentum gloriatur dicens: " his poſitis viſitatio Celſi in Momonia non potuit alio fuiſſe moti-
" vo, quam ad emendicandas Eleemoſynas pro reparatione ſuæ Ca-
" thedralis bis illius tempore combuſtæ. vſitatum fuit Epiſcopis Ar-
" macanis ita viſitare, ut probat exemplum Gelaſij Succeſſoris *S.* Ma-

lachiæ

" lachiæ appendice 7ª. ad vitam S. Patricij: quod *cum Senioribus*
" *Cleri ſui pro reparanda jactura priorum, Subſidia erogans viſi-*
" *tat.*

245. Obſerva perpetuum Studium adulterandi textum, et Suppriprimendi veritatem. dicta appendice 7ª. Triad Thaumaturg. pag. 306 refertur civitatis Armacanæ tertia Portio Trian-more vulgo appellata ex media parte flammis abſumpta fuiſſe an 1150, et Sequuntur hæc verba (quæ veteratorie corrumpit, et mutilat Obſervator) " eo-
" dem Anno S. Gelaſius cum Senioribus Cleri Armacani ſuam viſita-
" vit Diæceſim, tum ut *pro more de Eccleſiarum negotiis diſponeret*,
" tum ut pro memorata jactura reparanda, eorum Subſidia corroga-
" ret, peractaque viſitatione Singuli nobilium,et Burgimagiſtrorum
" Bovem unum contribuerunt, et Princeps Terræ Boves Viginti
" adjecit.

246. Vel hic agitur de Viſitatione totius Hiberniæ, quæ S. Gelaſij *Diæceſis* erat juxta tertiam Acceptionem Vocis Diæceſeos (vid ſuperius num. 58) et exprimitur juriſdictio *pro more diſponendi de Eccleſiarum negotiis*, quod os obruit Adverſarij, demonſtratque Authoritatem Primatialem per univerſum Regnum : vel forte veroſimilius intelligitur ipſa Diæceſis Armacana, ad quam propius ſpectabat ſubminiſtrare Expenſas pro Reparatione ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, quemadmodum Solent ſuis Sumptibus Parochiani ædificare, et reparare Eccleſiam Parochialem. et quid hoc ad Momonienſes, ut inter illos emendicaſſe fingatur S. Gelaſius? dato etiam quod non Semel aut bis, ſed trigeſies tot Centuriarum curriculo caſuales, vel hoſtiles flammas, aut vaſtationes paſſa fuiſſet Eccleſia, et civitas Armacana jugiter reſtaurata Redditibus propriis, et communi, ac alacri ſtudio cæterorum Hibernorum Zelantium gloriam, et Splèndorem Matricis ſuæ, et Primatialis Metropolis, ac ſponte offerentium ſua dona, ultra Penſiones debitas ab omnibus Provinciis.

247. Sed ut redeamus ad S. Celſum, illique adſcriptas commentitias Eleemoſynarum corrogationes in Momonia. præmiſit Obſervator ſupra num. 19. Armacanos Præſules *ob immenſas opes* anſam arripuiſſe erigendi ſe ſuper reliquos Coepiſcopos. Et certe opulentiſſimos fuiſſe experiuntur, qui hodie Eccleſiæ Armacanæ fruuntur poſſeſſionibus (vid num 193) quibus ſuo tempore pacifice gaviſi ſunt S. Celſus, et S. Gelaſius : ille enim ex Semine nequam Originem ducens

nullam ſuæ adminiſtrationis obeundæ, aut Redditus percipiendi paſſus eſt remoram ab Uſurpatrice familiâ, quam penitus deletam uſque ad internecionem meritis S. Malachiæ reperiit S. Gelaſius. unde ſequitur opus ipſis non fuiſſe emendicationibus Momonienſibus.

248. Et dictâ Appendice Septima pag. 300 hæc leguntur: " S. " *Celſus Archiepiſcopus Armacanus, et Primas*, Vir illibatæ caſtimo- " niæ, et unicus cujus arbitrio Hiberni, et Exteræ Gentes, Cleri us, " et Populus Hiberniæ erant contenti, poſt multos ordinatos Epiſco- " pos, Presbyteros, et diverſorum graduum clericos, *poſt multas Ba-* " *ſilicas Eccleſias, et cæmeteria conſecrata, poſt multas, et magnas* " *Eleemoſynas, et pias elargitiones*, poſt regulas morum Clero, et " Pacis populo præſcriptas, poſt vitam in jejuniis, orationibus, præ- " dicationibus, Miſſarum celebratione, et id generis variis pietatis " officiis tranſactam, Sacramentis pœnitentiæ, et extremæ Unctionis " præmunitus anno ætatis ſuæ 50 in Momoniâ, locoque Ardpadruic " dicto Spiritum cælo reddidit." non cohæret quod S. Celſus, et ipſe mendicus Momonienſibus emendicationibus victitans *tam multas, et magnas Eleemoſynas, et pias elargitiones* erogare poſſet in alios.

249. Præcedentibus figmentis, imo Splendidis impoſturis quantumvis abſurdis, abſurdiora Superaddit Obſervator comminiſcens *S. Gelaſium, alioſque Epiſcopos Armacanos unâ Manu Patentes, aliâ porrigentes vacuam crumenam (quod Ultoniani juriſdictionem, et exercitium Primatialis Poteſtatis in vaſſallos appellant) ſolitos viſitaſſe Momoniam*: ubi ſcilicet Montes aurei ſuapte natura prodirent e Terra, præſertim in Regione nuncupata Blarnia, adeo olim famoſa (juxta Domeſticos joculatores) ut Exteræ, et remotæ Nationes Sciſcitarentur quo Angulo Blarniæ jaceret Hibernia: quod pro vero, et indubitato aptus eſt venditare, ſicut et cæteras affanias Thraſonicus hic Gnatho, qui ſicut jactat *nihil ſe dicere ſine libro* (vid num. 238.) modo Librum, vel Authorem citaret, unde iſta tam inepta, et ab omni veriſimilitudine abhorrentia deſumpſit, niſi forte poſt tot pudendas Impoſturas, et commenta ſe locupletiſſimum Teſtem imaginetur, in cujus ſolius obſequium contra fidem Hiſtoricam, contra rationem, et liquidiſſimam veritatem captivari oportet omnem intellectum.

250. Quis niſi plane demens credat ob unius ignoti dicaculi aſſertum Præſules Armacanos ad incitas adeo redactos, ut in tam vili, et dejecta figura porrigendo Patentes, et vacuas crumenas ſtipem debuerint oſtiatim in Momonia emendicare? habuit Anachoreta Faurenſis

sis incluſus in Cellâ Procuratores, qui Eleemoſynas colligerent. mirum tales defuiſſe Præſulibus Armacanis, quin ipſi debuerint in Momonia perſonaliter comparere præ Portis ad Sublevandam inopiam. et de S. Gelaſio ſcribit qui præſens novit Giraldus Cambrenſis, quod *vir ſacer vaccam candidam, cujus Solum lacte veſcebatur, ſecum quocunque venerat, circumduxerit*: (vid P. op num. 296.) defuitne forte domi copia lactis Bovini, ut Supplerent Momonienſes?

251. Nec dignum videtur, aut decorum Momoniæ Regibus (quos paulo inferius *præ omnibus Terræ Principibus inſignes, ac pronos ad commiſerandum* aſſerit Obſervator) quod liberalius expanſis miſericordiæ viſceribus non ſubvenerint in ſua ditione ad tantam (quæ fingitur) anguſtiam redactis Epiſcopis Catholicis. non tales in ejectum Alexandriâ S. Athanaſium fuerunt Conſtans, et Conſtantinus junior: vel in exulantem, et omnibus Redditibus ſpoliatum S. Thomam Cantuarienſem Ludovicus Septimus, aut alij pij Reges, et Principes in confugientes egenos, et anguſtiatos Præſules, ſed aperto Beneficentiæ ſinu munificè exceperunt aſſignatis Penſionibus ex ærario publico, inhumanum arbitrantes ſi deſolati Antiſtites curſitare oſtiatim pro victu adigerentur in ſuis Regnis.

252. Idque amplius obſtringebat Reges, et Proceres Momonienſes, quod eorum Majores, ſe, et Poſteros obligaverint ad Penſionem ſtato tempore S. Patricio, ejuſque Succeſſoribus Solvendam (vid num. 181, et P. op num. 292) quid tandem tempore iſtius, quam comminiſcitur, pudendæ ad januas emendicationis devenerunt (juxta *optimos noſtros Scriptores Eccleſiaſtico*) a S. Declano, et Duce, ac Gente Deciorum *multæ Terræ oblatæ S. Patricio, unde Succeſſores ejus magnum Servitium haberent* (vid num. 169.) ſcilicet omnia Lethæis aquis abſorpta cum violatione juſtitiæ, Religionis, et gratitudinis penitus exciderunt memoriæ Regum, et Procerum Momonienſum. Abſit commenta potius, et propudioſa quidem, ut vere ſunt, cenſeantur virulenti criminatoris, ſuorum etiam Clientum famæ, et honori inconſiderate detrahentis, dum pro livore, et amaritudine animi deprimat alios.

253. Tot detectis probroſis impoſturis nihilo demiſſior factus, iiſdem ſemper inhæret veſtigiis dicens: *nunc pervenimus ad S. Malachiam, qui Agmen claudit Viſitationum Armacanorum.* at quam inſincera iſta ordinis inverſio, cum S. Malachiæ Succeſſerit S. Gelaſius,

de

de quo Superius, et mox infra : ut modo taceamus Subſequentes Viſitatores) " *non negamus ejus adventum in Momoniam*, ſed oſtende-
" re poſſumus non alio fine niſi ut prævaleret contra Uſurpatorem
" Mauritium ; cum Scriptum ſit quod Hibernorum Principum
" auxilo expulerit intruſorem. inſtabant inquit S. Bernardus tunc
" Solito operi omnes, duo potiſſimum Epiſcopi Malcus, et Gilber-
" tus, quorum prior ipſe eſt Senior Liſmorenſis, alter Senior Limeri-
" cenſis. hic duo reperiuntur Epiſcopi Momonienſes. ardenti Zelo,
" et vigore ſeſe exerentes, ut ſublata profanatione Sedis Armacanæ
" collocaretur in ea Sanctus, et Venerabilis Præſul. ad implorandum
" hujuſmodi patroincium S. Malachias perrexit in Momoniam."

254. Hæc gradatim veniunt diſcutienda, in quibus vix plura verba, quam palmaria figmenta occurrunt. narrat S. Bernardus cap. 70. defuncto Celſo (qui S. Malachiam Succeſſorem deſtinavit) " locum
" occupaſſe de Semine nequam Mauritium nomine, et fretum po-
" tentiâ Sæculari per Quinquennium incubaſſe Eccleſiæ non Epiſco-
" pum, ſed Tyrannum. addens : *vota piorum magis in Malachiam convenerant : denique Suadebant eum ſubire onus juxta conſtitutionem Celſi : ſed ille qui omne ſublime haud ſecus quam præcipitium delinabat, bonam ſibi videbatur nactus occaſionem excuſandi, quod per id temporis introitus ejus pacificus eſſe non poſſet. inſtabant tam Sancto operi, et Sollicitabant omnes, duo potiſſimum Epiſcopi Malcus, et Gilbertus quorum prior ipſe eſt Senior Liſmorenſis de quo Supra mentio facta eſt, alter, quem aiunt prima functum Legatione Apoſtolicæ Sedis per univerſam Hiberniam, qui triennio jam decurſo in hac præſumptione Mauritij, et Malachiæ diſſimulatione non ferentes ultra Eccleſiæ adulterium, dedecus Chriſti, convocatis Epiſcopis, et Principibus Terræ uno Spiritu adeunt Malachiam parati vim facere.*

255. *At ille renuere primum, prætendere ſiquidem difficultatem rei, nobilis illius Proſapiæ multitudinem, fortitudinem, Ambitionem : multum eſſe ad ſe Pauperculum opponere ſe tot, tantis, talibus, taliter radicatis, qui jam annos ferme ducentos quaſi hæreditate poſſediſſent Sanctuarium Dei, et nunc quoque id præoccupaſſent, non poſſe illos extirpari, nec cum mortibns hominum quidem : ſua non intereſſe fundi humanum Sanguinem occaſione ſui, poſtremo junctum ſe Sponſæ alteri, quam dimittere non liceret verum illis e contra inſtantibus, et clamantibus quia a Domino Sermo egreſſus eſt, ſed et tota Authoritate*

juben-

jubentibus, ſubire onus, atque intentantibus Anathema, ad mortem inquit ducitis me, ſed obedio ſpe Martyrij, hac tamen conditione, ut ſi juxta fidem veſtram res in melius cedat, et vindicet ſibi Deus ſuam hæreditatem a diripientibus eam, tunc demum omnibus conſummatis, et Eccleſia pacem habente, liceat redire ad priorem Sponſam meam, er amicam, de qua rapior, Paupertatem, et pro me illic alium ſubſtituere, qui tunc forte repertus idoneus fuerit.

256. *Spondentibus illis demum acquievit voluntati eorum, vel potius Dei, a quo ſibi jam olim præoſtenſum recordabatur, quod de ſe modo dolebat fieri, nempe jam ægrotante Celſo a paruit Malachiæ, et quidem longe poſito, et neſcienti mulier proceræ ſtaturæ, et reverendi vultus, percuntanti quænam eſſet, reſponſum eſt eſſe uxorem Celſi, quæ tradens ei Virgam Paſtoralem, quam manu tenebat, diſparuit. paucis decurſis diebus Celſus moriens miſit Baculum ſuum Malarhiæ tanquam ſibi ſucceſſuro, quem ut vidit, agnovit ipſum eſſe quem viderat. hujus præcipue recordatio viſionis terruit Malachiam, ne ſi quod diu ſatis diſſimularat, ultra renueret, divinæ jam videretur reiſtere voluntati—— —— —— Rex, et Epiſcopi, et fideles Terræ convenerunt ut introducerent Malachiam —— —— —— Anno ætatis ſuæ Trigeſimo octavo pauper Malachias pulſo Incubatore intravit Armachiam Pontifex, et Metropolitanus totius Hiberniæ. Rege vero cæteriſque, qui introduxerant eum, ad propria remeantibus, ipſe remanet in manu Dei, et remanent illi foris pugnæ, intus timores.*

257. Ex his verbis S. Bernardi patet manifeſtiſſime S. Malachiam non petiiſſe Momoniam ad implorandum auxilium, aut Patrocinium contra Mauritium, ſed e contra omni conatu detrectaſſe Succeſſionem deſignatam a S. Celſo, ut propterea oportuerit Epiſcopos, et Principes (inſtantibus quidem, et Sollicitantibus Malco, et Gilberto tunc Legato Apoſtolico) illum adire atque invito, ac reluctanti Sanctam vim inferre, ut Primatum Suſciperet (qui fuit unicus Scopus adeuntium) quo ſemel ſuſcepto ne pedem quidem, aut manum reperiuntur moviſſe Epiſcopi, vel Principes Momonienſes ad reſormandos præcedentes abuſus, aut terminandam uſurpationem Intruſoris.

258. Sed

258. Sed totum attribuendum ipsi S. Malachiæ innixo gratiæ Divinæ, comitantibus, protegentibus, et pulso incubatore Armachiam introducentibus *Rege, Episcopis, et fidelibus Terræ*, non Momoniæ, sed Ultoniæ, ut liquidissimum est ex ipso contextu, et non nisi proterve quisquam inficiabitur, præsertim Observator, qui imponere fuit ausus (vid Superius num 215, et 216) Reges Momoniæ nunquam inducendos ne quidem tota Authoritate, solicitationibus, aut terroribus Summi Pontificis, ut paterentur Præsules Armacanos utpote subditos Adversariis, et hostibus Regibus Ultoniæ ullam exercere jurisdictionem in Provincia Momonienſi putaretne Regem Ultoniæ potentiâ, et viribus nulli in Insula inferiorem excepto Supremo Monarcha permissurum ut Rex Momoniæ reciproce adversarius, et Hostis (si vera dicuntur a Susurrone) ullum actum dominatus, vel authoritatis expleret in Ultoniâ ?

259. Pergit tamen gloriolus dicens: " non amplius teremus " tempus impugnando hujusmodi aerea phantasmata, quæ dum ap- " propinquamus, evanescunt. aliud occurrit formidabilius ex verbis " S. Bernardi, in quibus contra nos Adversarij magnam vim ponunt, " Sed illum Sanctum Patrem totius contestationis Arbitrum libenter " admittimus contenti illius verbis stare, vel cadere." Acceptant conditionem Armacani stipulantes insuper, ut quicunque ullum verbum, aut Textum S. Bernardi truncaverit, corruperit, ad alienum Sensum detorserit, vel ordinem narrationis invertendo perverterit, ultra alias pœnas infligendas falsariis perpetuæ infamiæ labe inuratur ubique. ut in hanc condicti certaminis arenam descendamus.

260. " Textus (iniquit) quos potissimum venditant, sunt sequen- " tes ex cap. 7. vit S. Malach:" " cognoscens Celsus quia morere- " tur fecit quasi Testamentum quatenus Malachias deberet Succede- " re sibi, quod nullus videretur dignior, qui episcoparetur in Sede " prima. hoc præsentibus indixit, hoc mandavit absentibus, hoc " specialiter ambobus Momoniæ Regibus, et Majoribus Terræ S. " Patricij authoritate præcepit, cujus Reverentiâ et honore tanquam " Apostoli illius Gentis, qui totam Patriam convertisset ad fidem, " Sedes illa, in quâ et vivens præfuit, et mortuus requiescit in tanta " ab initio cunctis Veneratione habetur, ut non modo Episcopi, et " Sacredotes, et qui de Clero sunt, sed etiam Regum, et Principum " Universitas subjecta sit Metropolitano in omni obedientiâ, et unus " ipse omnibus præsit.

261. " Hac-

261. " Hactenus (ait) omnia ad beneplacitum Adversariorum, sed " procedamus paulisper, et Auscultemus Sanctum se explicantem " et ab oratore descendentem ad Historicum. " bis in paucis verbis infringit integritatemcompetentem candido Scriptori. primo mutilat contextum dedita opera reticens intitium illius capitis Septimi. *Contigit infirmari Archiepiscopum Celsum*, et cognoscens quia moreretur &c. ne Lectori innotesceret S. Bernardum Sensisse, et asseruisse Præsulem Armacanum id temporis fuisse *Archiepiscopum*. Secundo non in adductis ab Observatore verbis, etsi plene evincentibus causam, sed in aliis ab ipso suppressis potissimam vim ponunt Armacani. et utrobique non oratorem, sed Historicum agit S. Bernardus, cujus sequentia audiantur, quamvis oppressura Adversarios gestiat observator.

262. " Verum Mos pessimus inoleverat quorumdam Diabolica " ambitione potentum Sedem Sanctam obtentum iri hæreditariâ " Successione, nec enim patiebantur episcopari nisi qui essent de Tribu, et familiâ sua, nec parum processerat execranda Successio decursis jam in hac malitia Generationibus Quindecim, et eousque " firmaverat sibi jus pravum, imo omni morte puniendam injuriam " Generatio mala, et adultera, ut etsi interdum defeciissent Clerici de " Sanguine illo, sed Episcopi nunquam. denique jam octo extiterant " ante Celsum viri uxorati, et absque ordinibus, litterati tamen. inde " illa, de qua superius diximus, per universam Hiberniam dissolutio " Ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ enervatio, Religionis evacuatio, " inde illa ubique pro consuetudine Christianâ Sæva introducta barbaries, imo paganismus quidam inductus sub nomine Christiano. " nam quod inauditum est ab ipso christianitatis initio sine ordine, " sine ratione mutabantur, et multiplicabantur Episcopi pro libitu Metropolitani, ita ut unus Episcopatu uno non esset contentus, sed Singulæ pæne Ecclesiæ Singulos haberent Episcopos.

263. Veritatem(etsi ex parte tantum)nunc præter morem proferenti plurimum gratularer si Divi Pauli Monitis Ephes. 4. obsecutus : *veritatem in charitate faceret*. Sed ista avide divulgans pro amaritudine animi, et ardenti studio propalandi turpitudinem Usurpatorum Laicorum, quasi inde deprimendæ essent Prærogativæ Armacanæ, reticet quæ immediate Subjungit S.Bernardus: *nec mirum: nam quomodo tammorbidi Capitis membra valerent* : quia perspicue intellexit illis, etsi alia deficerent, plenissime demonstrari jurisdictionem Armacanam

Super reliquos Hibernos, haud ſecus ac humanum Caput ſive ſanum, ſive morbidum, imperium habet, et directionem cæterorum Membrorum (vid P. op num. 6.) familiare eſt Patronis doloſis adverſæ Partis argumenta ſilentio de induſtria præterire, et ſuorum Clientum cauſam ſuco terminorum obductam verboſius, quam validius obtrudere, quos ſicut ſturnus ſturnum ſequitur noſter Criminator, qui per totam ſuam conviciorum congeriem in id totus incumbit, ut eos, quos inſectatur contumeliarum ſtrue opprimat, et documenta quæ veritatem adaperiunt, vel plane Supprimat, vel certe corrumpat ubique.

264. " Tales Suggillando ait, fuerunt Epiſcopi, tales Primates " per quindecim Generationes ante Celſum, quibus totum Regnum " a Rege ad ruſticum, ab Epiſcopo ad clericum obedientiam debe- " bant, et Submiſſionem, ſi prima verba S. Bernardi litteraliter ſint " intelligenda, ut volunt Adverſarij : ſed illos deceptos oſtendemus " ipſius S. Bernardi authoritate poſt paucas *annotationes* eorum, quæ " ex illo jam citavimus." Dum illas *annotationes* præſtolamur, non niſi maligne inſinuat prætendere Armacanos iſtiuſmodi uſurpatoribus obedientiam deberi, et Subjectionem a toto Regno. non illis tamen cunctorum fidelium calculo deteſtandis, ſed ipſi quantumvis paſſæ oppreſſionem profanantium, Matrici, et Primatiali Sedi, ac a Clero Subſtitutis, ſtante illa profanatione, veris Primatibus obtemperandum fuiſſe ab omnibus incolis hujus Regni ſuſtinent Armacani.

265. Occupantium Armacanam cathedram (Agmen ducente Apoſtolo noſtro S. Patricio) ad minus Triginta reperiuntur Sanctorum albo adſcripti : plures celebri pietatis, et Sanctitatis opinione decedentes, miraculis in vita, et poſt mortem illuſtrati fuerunt : quidam iniquitatum, ac prævaricationum labe fædati quod toties contigit in aliis primariis ſedibus, etiam ſublimioribus (vid ſuperius num 231) pro communi calamitate, et miſeria hujus mortalis peregrinationis, ubi vix quidquam ſtabile, vel Securum, aut viciſſitudinibus non obnoxium occurrit.

266. Sicut ob Sanctitatem, et eximia merita præcedentium non ſe juſtificandos, aut Eccleſiam ſuam exaltandam ultra menſuram ab omnium Dignitatum Inſtitutrice Sede Apoſtolica conceſſam arbitrantur recentiores Armacani, ita nec ob prævaricatorum iniquitates ſe culpandos, aut ſuam Eccleſiam deprimendam exiſtimant. Etenim (ut

alias

alias visum est) *Delictum Personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.* Et recte monet Epist 80. Leo Papa : Aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes: ac epist : 92 *etsi diversa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen jura permanent Sedium* : cum Scriptum sit Ezec. 18. *filius non portabit iniquitatem Patris.* multo minus Decessorum Delicta Successoribus imputabuntur : Actiones enim sunt Personales, et *anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ezec. ibid.

267. Respondent identidem Armacani, quemadmodum Petiliano, (cujus uirulentiam passim mutuatur Observator) criminanti quosdam Pontifices respondit lib. 1. cap. 16. Augustinus. " qualescunque " fuerunt Marcellinus Marcellus, Sylvester, Melchiades, atque alij, " quibus objiciunt pro sua dissensione, quod volunt, nihil præjudic- " at Ecclesiæ, nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo " modo eorum iniquitate damnamur, si boni fuerint, in Areæ catho- " licæ tritura tanquam grana mundati sunt , si mali fuerint, " in Areæ catholicæ tritura tanquam stipulæ comminuti sunt : in- " tra istam Aream boni, et mali esse possunt." Sed redeamus ad *annotationes.*

268. " Fatemur (iniquit) sine ullo præjudicio causæ nostræ S. " Celsum commendasse, ac etiam mandasse absentibus, et præsenti- " bus nomine, et authoritate S. Patricij; ac præcepisse Specialiter " ambobus Momoniæ Regibus ut omnibus nervis contenderent S. " Malachiam promovendum ad Sedem Armacanam, et sic desineret " horrida profanatio Sanctuarij Dei in illa Regni parte." " recte " quidem præcepit Regibus Momoniæ, quia semper præ omnibus " aliis Terræ Principibus famosissimi, et promptissimi erant ad com- " miserandum, et resarcienda publica gravamina."

269. Quid Gnatho nisi gnathonica loquatur, aut quæ potestatas, vel Authoritas Regum Provincialum Momoniensium, ut quemquam, possent collocare in Ecclesiâ Armacana tam remota a suis limitibus, et sub alio Rege constituta ? id Solum præstare poterant, ut inducerent Malachiam ad Subeundum onus, quod *haud secus quam suum præcipitium declinabat*, in quo omnes alij pariter laboraverunt vid a num. 254. ad 259.

270. S. Celsus moriens in Momonia apud Ardpadruic prope Limericum in cursu suæ visitationis, et verosimiliter allocutus ambos Reges illius Provinciæ, multum sperare poterat utriusque, præsertim

pij Regis Cormaci, qui antea Regno pulsus a Germano Malachiam Magistrum habuit et consolatorem in adversis, prævalituras preces, et Suasiones ad inflectendum animum S. Malachiæ, qui prævidebatur acerrime reluctaturus sublimiori promotioni ad Metropolim Armacanam, quemadmodum solitariæ, et cœnobiticæ vitæ paupertatem præ omni mundi celsitudine in deliciis habens diu rejecerat etiam longe minoris solicitudinis Suffraganeam Ecclesiam Connerctensem donec tandem accedente, et vim faciente sui Metropolitani Mandato cedere compulsus fuit. vid ejus vitæ cap 3. et 6. nescio quod meritum suum Observator ponat in eo, quod *fateatur* S. Celsum *mandasse*, &c. cum id sit indenegabile, quippe disertis verbis assertum a S. Bernardo, nisi forte eo collimet, ut obtrudat Celsum non sua, aut Primatiali, sed S. Patricij duntaxat authoritate præcepisse: quod quam absonum, erroneum, et alienum sit a genuina intelligenria vid P. op. num. 288, et 289.

271. " Notandum (dicit) secundo soli Ultoniæ, fuisse peculiares " dissolutiones, de quibus pathetice conqueritur S Bernardus, ac illi- " us *Universam Hiberniam* esse Hyperbolicam locutionem, ut cum " dicit S. Patricium convertisse *totam Hiberniam*, quia convertit " majorem partem, quod *manifestum* est, cum tempore horribilium " illarum profanationum in Septentrione, Ecclesiæ Momonienses " florescerent sub felici Successione Sanctorum Archiepiscoporum " Cassellensium, qui simul Reges erant, et Episcopi, nominatim " Olchobar Censalad, Eugenius, Tribraid, et celebris Cormacus ô " Culinan."

272. Non tantum hyperbolicum censeri debet, sed plane erroneum, falsum, et ab omni veri Specie alienum, quod nomine *Universæ Hiberniæ* solam Ultoniam, unam Scilicet ex Quatuor Provinciis componentibus hoc Regnum intelligeret clarissimus Scriptor S. Bernardus, qui in præfatione promisit daturum se operam, ut *pura sit, et luculenta marratio*, cujus contrarium (juxta glossatorem) omnino præstitisset infringendo potissimam Regulam præscriptam Historicis, ut verba Semper adhibeant clara, usitata, propria, minime perplexa, rem maxime declarantia, quæque facile intelligantur juxta obviam, et communem Significationem (vid P. op num. 299, et 300) et cum certum sit in hanc Regulam nullibi impegisse, neque ludificationis, aut deceptionis vitio laborasse melliflu um Doctorem, sed animi sui Sensa candide exposuisse, ita certissimum

mum eſt ſine hyperbole, Ironiâ, aut ambagibus ineptientem, et lividum Gloſſatorem felle, et amaritudine ubique flagrare in Armacanos, et Ultonienſes, de hjuſmodi latratibus parum anxios, niſi quantum nocent Authori, Hierarchicum Regimen, civicam concordiam, et fraternam pro viribus evertenti charitatem cum veritatis diſpendio.

273. Nec ſolus S. Bernardus tradidit S. Patricium ad fidem convertiſſe totam Hiberniam ſed id expreſſis terminis longe ante aſſeruerunt Eccleſiaſtici noſtri Scriptores, quos *optimos* vocat Gloſſator (vid num 150, 154. et 161) et cum aliis Authoribus adſtruunt officium S. Patricii Pariſiis impreſſum an 1622 lect 5. antiquum Breviarium Rhemenſe lect 5. poſterius officium Eccleſiæ Rhemenſis Typis editum Rhemis an 1612 lect 6. Breviarium Romanum vetus venetiis impreſſum an 1522 lect 1. officium Canonicorum Regularium denuo Bruxellis prælo commiſſum an 1622. idque Secluſa omni hyperbole denegari non poteſt in veriſſimo, et obvio Senſu: Siquidem denominatio ſemper ſumitur a majori, et potiori parte, et per ſe, vel per Diſcipulos univerſam Nationem convertit, ac ipſe omnes plagas, et Regiones perluſtrando ita illuminavit, ut feliciſſime conſumpto curſu Apoſtolico migrans in Cœlum nullum in univerſa Inſula reliquerit infidelem. Unde ſi diſſolutio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, aliæque Enormitates deſcriptæ a S. Bernardo eo pertigerunt, quo prædicatio, et Converſio inducta a St. Patricio qui Septem annos continuos inſumpſit in Momonia peragrando omnia loca (vid a num 177 ad 185) nullus illius Provinciæ angulus a contagio remanſit immunis, et corruptelam fuiſſe communem per totam Inſulam denotant Epiſtolæ Lanfranci, et Anſelmi Archipræſulum Cantuarienſium ad Terdelachum, et Muriertachum o Brien, prius Momoniæ quam Hiberniæ Reges: Et præfati Lanfranci alia Epiſtola ad Gothricum Regulum Dublinienſium ſyllog Uſſer pag. 69, 71, 93. et 95.

274. Ut propius inſpiciamus felicem illam Succeſſionem Archiepiſcoporum Caſſelienſium, quæ ab horribilium Septentrionalium profanationum per univerſam Hiberniam effuſarum communione, et commercio diſcrevit, ac exemit florentis tunc temporis Eccleſias Momonienſes (quod *manifeſtum* dicit Gloſſator) haud ſecus ac operientibus totam Terram Egypti denſiſſimis tenebris, *ubicunque habitabant filii Iſrael, Lux erat Exod* X. primus ex potenti familiâ

qu,

quæ initio sub Specie Patronatus se ingessit, et tandem usurpavit a majoribus erectam, et dotatam Sedem Armacanam, fuit Josephus ad illam Dignitatem evectus an 927, quem *virum doctum, et Sapientem in Senectute bona quievisse* tradit Wareus de Præsul fol 9. a cujus ingressu ad promotionem S Celsi postremi Præsulis ejusdem familiæ an 1106 effluxerunt anni *ferme* ducenti enumerati a S. Bernardo. hunc Josephum exceperunt Successive alii rite ordinati Antistites ex eâdem cognatione, et Stirpe oriundi, donec deficientibus clericis, Laici, et Uxorati locum Sanctum Sacrilege usurparunt, Sub quorum profanatione non defuerunt legitimi Præsules a clero constituti e quibus nonnulli inter Sanctos relati reperiuntur (vid P. op a num 253 ad 260.

275. Adductos autem a Glossatore in confirmationem felicis Successionis, et florentis, Ecclesiæ Momonienſis tempore *profanationis*, Septentrionalis constat omnes defunctos diu ante institutionem Josephi, et usurpationem Laicorum, quoniam Olchobarus obiit an 850. Cenfeladus an 872. Evgenius an 889, et Tribraidus an 912. hi quatuor Reges fuerunt Momoniæ, et Archiepiscopi Imelacenses (ubi Archiepiscopatum Momonienſium constituit S. Patricius) non Cassel ienses, ut minus erudite, vel parum Sincere tradit Glossator : Nullum enim habuit Cassel ia Archiepiscopum donec illa Dignitate eam insignivit S. Celsus Sæculo duodecimo ; imo ne Episcopatum quidem ante Sæculum decimum, sed subfuit jurisdictioni Imelacensium. Illis autem Imelacensem Sedem occupantibus præfuerunt Armacanæ Synchroni Beatus Ferenanus, Dermitius, Factna, Ainmirius, Catasachus, Mælchobus, et Melbrigidus ab anno Scilicet 833 ad 927 quo Melbrigido Successit Josephus.

276. Cormacus o Cullinan Rex fuit Momoniæ, et primus (quantum apparet) Episcopus Cassel ienſis, quem etsi Virum pium, et insignem ostentata felicitas Ecclesiæ Momonienſis non exemit quo minus cruenta morte vitam finiret an 907, quo fato antea occubuit an 889 Evgenius Rex et Præsul Imelacenſis : Wareus de Præsul fol 8, 9, 161, et 175. Attamen hi omnes præmortui veluti Semper vigiles, et in Statione positi aditum præcluserunt, ne subsecuta dissolutio, et mali humores e morbido capite defluentes in membra per *universam Hiberniam* inficerent Momonienses, si ulla fides habenda Glossatori, qui confundens tempora, et veritatem Subuertens stupenda licenti

centia erronea, ac falsa quasi tot oracula obtrudit ubique, ut imperitis imponat, et omnibus communem, profanationis maculam a Clientibus avulsam, iniquus Patronus irroget Adversariis.

277. Deplorat Baronius ad an 925, monstrosam assumptionem quinquennis Pueruli, in Archiepiscopum Rhemensem, cito transiisse in exemplum aliorum, ut complures Sæculi Principes, sibi Sanguine conjunctos, Adolescentulos in summas Cathedras curaverint promovendos: quod ipso Sæculo non sine magno dedecore, factum etiam Romæ, Constantinopoli, et in aliis præclaris civitatibus dicit, addens: Utinam quod hoc Sæculo ortum, cum eodem Sæculo fuisset extinctum, et non in posteriora Sæcula propagatum tantum nefas, quo jura omnia Ecclesiastica Sauciantur.

278. Et ad an 1032, tradit ex detestando illo exemplo, Rhemensi Albericum Comitem Tusculanensem, execranda ambitione præsumpsisse filium suum, Benedictum nonum Puerum fermè decennem, in Sacro Sanctam Petri Sedem intrudere, si unicum Exemplum, et quidem remotum adeò invaluit, ut illius contagio inficerentur finitimi, et longinqui, imo et ipsæ Potestates Sublimiores, quid mirum si occupantibus Laicis, (qui Censibus, et honoribus inhiabant) principem Metropolim, et Matricem Ecclesiam Armacanam, alij Dynastæ, et Proceres pari cupiditatis, et avaritiæ æstu perciti suarum ditionum Ecclesias usurpaverint tam in Momonia, quam alibi per universum Regnum?

279. " Quantum (ait Glossator) ad alia emphatica verba S. Ber-
" nardi, quibus innituntur Adversarij, non Sancto Doctori attribu-
" enda sunt, sed Ultonienſibus comitantibus S. Malachiam, et post
" illius mortem in Claravalle, talia exaranti vitam S. Bernardo sub-
" ministrarunt documenta, quæ potissimum tenderent ad exaltatio-
" nem suæ Provinciæ, et Soli natalis, quoniam Sanctus exiguam habe-
" potuit notitiam Regionis, cum quâ illis diebus vix ullum habuit
" Gallia commercium."

280. Qualis quisque intus est, taliter judicat exterius, et propriâ suâ ulna metitur alios unde quia Gnathonem, et projectum assentatorem mercenaria penna aucupantem gratiam Suorum clientum agit Glossator, ideo ejusdem indolis, et incudis comites criminatur asciviſſe sibi S. Malachiam, qui etsi natus in Ultonia, non tamen sibi, non Ultoniæ solummodo prospexit, sed toti Hiberniæ, quam creberrime obivit Summo indigenarum lucro omnibus indiscriminatim

tim expanſo pietatis, et charitatis gremio ſine diſtinctione, vel differentia Provinciæ, aut familiæ, non niſi bonos, et optimos ubiquè æmulatus.

281. Aſſeruit ſol x Illmus Talbotus *Scripſiſſe S. Bernardum dictante ipſo S. Malachia homine veraciſſimo.* Et in rebus ſuæ ſedis patriæque verſatiſſimo et verè jam tertio Claravallem viſitaverat S. Bernardi conſortio gaviſus S. Malachias optime verſatus in rebus Armacanis, et proculdubio ſciſcitanti deſuper mellifluo Doctori indicavit quæ Scire voluit: adeoque ex hoc capite non alteri, ſed ipſi Malachiæ Authori attribuendum quicquid de Armacanis prærogativis Scribit S. Bernardus, quem etiam aliunde latere non potuit rerum, hibernicarum comperta notitia nunciantibus Monachis ſuis, miſſis ad incolendum noviter inſtitutum Monaſterium, Melliſontenſe præpoſito illis Abbate Chriſtiano o Conarchy poſtea Liſmorenſi Epiſcopo, et Apoſtolico Legato, (conſulatur S. Bernardus cap. 3, et 12 vit S. Malach: Monoſtichon Hiberniæ Authore Auguſtino Alemand pag 168, et Wareus de Præſul Liſmorens in præfato Chriſtiano) quorum nonnullis domum reverſis alij ſuffecti ſunt ex Claravalle; et omnium relatu innoteſcere potuerunt ſpectantia, ad geſta S. Malachiæ, et Armacanæ ſedis Primatialem præeminentiam.

282. Et ipſe Sanctus Doctor in præfatione diſerte monet, pleraque quæ refert, didiciſſe a Congano quondam Monacho Suo (quem ibidem Reverendum fratrem, et dulciſſimum Amicum appellat) tunc Abbate de Suir, ſive Monaſterij Inniſlennaght ad Surium flumen, comitatus Typerarienſis in Momonia (vid P. op num 218) quid ergo opus niſi impellente inſita maledicenta, et licentia imaginaria comminiſci documenta ſuppeditaſſe Ultonienſes, qui ſi imitati Gloſſatorem adulari vellent, et ſuæ duntaxat Provinciæ extollere Encomia, diſſimulatis ſaltem turpitudinibus, non tam acri ſtylo, aut cenſura inſectando propalarent corruptos mores Comprovincialium Connerctenſium, potentis familiæ tyrannidem, et uxoratorum profanationem, cum inde per totam Hiberniam Scatentibus, vitiis relatis a S Bernardo.

283. Sed ecce novum acumen: " niſi firmius (ait) adducat fundamentum, S. Bernardus pro amplitudine juriſdictionis Armacanæ, quam cum dicit ibi requieſcere S. Patricium, non habent " quod venditent Adverſarij" alludit ad opinionem communem, et veram quod S. Patricius non Armachiæ, ſed Duni traditus ſit Sepul-

turæ. Sed obſervaret Cenſorius hic Sciolus utrumque in genuino, et uſitato Senſu ſubſiſtere, et quod Duni Sepultus eſſet Sanctus Apoſtolus, et ſimul requieſceret Armachiæ, quia illuc tranſlata fuit notabilis pars corporis, ſeu Reliquiarum, et in Lipſanis aſſervabatut tempore S. Bernardi, et ſubſequentibus ſæculis, imo integrum brachium Thecâ argenteâ incluſum etiamnum detinetur in viciniis. Ita cum multis aliis reconciliat Creſſius Lib. X. Cap. X. quamvis perperam dicat illam tranſlationem, non Duno factam, ſed ex monaſterio Avaloniæ vulgò Glaſtenburg in Anglia.

284. Cujus rei plurima occurunt exempla: Quamvis enim Compoſtellæ frequenti totius Europæ peregrinatione viſitetur corpus S. Jacobi Apoſtoli, tamen Toloſani gloriantur de poſſeſſione illius, quia notabilem partem poſſident. Quoniam Teſte Spondano in annotatibus ad Baronium an 44. *ut aliqua Eccleſia dici poſſit habere corpus alicujus Sancti, et ut is locus venerationi ſit omnibus, ſatis eſt, ut vel ejus Particulam poſſideat.* Idem prædocuit S. Gregorius Nazianzenus orat 1, in Julianum dicens nonnullarum Reliquiarum Appellationem locis certis inditam fuiſſe pro toto Martyre. Et S. Baſilius orat in 40 Martyres aſſerit Quadraginta illos Martyres dici eſſe conditos in variis civitatibus, quod ipſarum quælibet partem aliquam Reliquiarum poſſideret. Inde contigit (inquit Baronius ad an 55) ut cum unius ejuſdemque Martyris diverſis in locis Reliquiæ conditæ fuerint, ejuſdem Martyris corpus diverſis in locis haberi dicatur, æquè ac ſi integrum ubiquè horum locorum conditum eſſet. Et Suffragantur etiam Sacræ Litteræ 1° Reg 5: *Invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem Suam in Terra coram Arca Domini, Caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuperlimen, porro Dagon Solus Truncus remanſerat in loco ſuo. Ubi tam caput, quam truncus diviſim Dagon appellatur. Similiter quamvis in vulgata Judic 12. perhibitur Jephte Sepultus in Civitate, Sua Galaad:* Tamen in Codice Hebræo dicitur *ſepultus in Civitatibus*, quia corpus in una, cor, inteſtina, *&c.* in aliis condita fuerunt: Videantur Philippi Brielij annales mundi, Lib. 6, Cap. 6.

285. Pergit dicens: " Quoad amplam juriſdictionem Armacanam talem adhibet modificationem, et reſtrictionem S. Bernardus, quæ multum imminuere deberet Adverſariorum *Superbiam*, et gloriationem: Quippe loquens de obedientiâ Armachiæ præſti-

" tâ a natione Hibernicâ voluntariam illam vocat, et reverentialem, nullatenùs obligatoriam: *Cujus Reverentia, et honore in tanta ab initio cunctis veneratione habetur.*" Ita ille inolita verſutiâ ſupprimens ſequentia, quia ſublatis ambagibus veram exprimunt intelligentiam: *Ut non modo Epiſcopi, et Sacerdotes, et qui de clero ſunt, ſed etiam Regum, ac Principum Univerſitas Subjecta ſit Metropolitano in omni obedientia, et unus ipſe omnibus præſit.* Quod autem *omnis obedientia* voluntaria ſit, et reverentialis nullatenùs obſequendi obligationem importans, rationi, Religioni, et etiam obvio Senſui omninò contrarium viſum eſt P. op num 297, et 298, ut hic amplius immorari ſit Supervacaneum.

286. Prædictis erroribus, et corruptelis quantumlibet pudendis, longe graviores accumulat, imponens " ipſum St. Bernardum evincere " quod nequaquam competat Adverſariis juriſdictio quam aſſumunt, " et dejicit ipſe Sanctus his verbis: *Anno ætatis ſuæ pauper Malachias pulſo incubatore intravit Armachiam Pontifex, et Metropolitanus totius Hiberniæ, et ipſe Malachias interdum ibat, et redibat Seminare Semen ſuum diſponens, et decernens tota authoritate de rebus Eccleſiaſticis tanquam ex Apoſtolis unus, et nemo illi dicebat in qua Authoritate hæc facis? videntibus cunctis prodigia, et Signa quæ faciebat, quia ubi Spiritus Domini, ibi Libertas. Viſum tamen ſibi non tute ſatis actitari iſta abſque Sedis Apoſtolicæ Authoritate.*

287. Sic exhibet Gloſſator concludens, " nulla præditum autho- " ritate ita agendi Malachiam præter confidentiam in Deum, ac ap- " probantia miracula, quibus viſis alii Prælati acquieverunt illius diſpo- " ſitioni, omiſſa diſquiſitione facultatis iſta faciendi, quam tamen poſ- " ſent incuſare, et non ſe oppoſuiſſe miratur S. Bernardus non alio ti- " tulo vindicans factum Malachiæ, quam cæleſti inſpiratione, nihil " allegans poteſtatis Primatialis, ſed pro omni apologia offert: *Quia* " *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et non aliam Superfuiſſe excu- " ſationem, cur S. Malachias tantam aſſumeret authoritatem, tam " claris verbis manifeſtat ipſe S. Bernardus, ut nullum relinquat diſ- " putandi locum: Scilicet *viſum* eſt ſibi (Malachiæ) *non tute ſatis* " *actitari iſta abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate.*

288. Hæc effutiens inverecundè inſultat ipſi S. Bernardo petens: " Quomodo iſtud Doctor melliflue, nonne jam S. Malachiam nun- " cupaſti Metropolitanum totius Hiberniæ, ac illius Sedem Regni

" pri-

" primariam? Nonne omnes ad pedes ejus demisisti a Rege ad Rus-
" ticum, ab Episcopo ad clericum? Attamen modo illum exhibes
" mente perplexum, et anxium pro tanta assumpta authoritate, et
" Trasgressione canonum immiscendo se rebus Ecclesiasticis extra
" limites suæ Diæcesis. Quid hoc aliud quam unico ictu diruere
" sublimia omnia Encomia, quibus illum paulò ante exornasti? Quid
" nisi in fine Panegyris constituere illum Titularem, et nominalem
" Primatem, quem initio visus fuisti despoticum Dominum, et uni-
" versalem stabilire?

289, Ut autem advertat Lector quam perfrictæ impudentiæ se probet garrulus Declamator hoc eructando corruptelis, imposturis, et mendaciis refertum caricinoma, in quo primis ultima ordine inverso adunantur, temporis, et enarrationis intervallo sejuncta insulsè copulantur, unita dividuntur, et falsa fuco veritatis ubique obducuntur. Vidimus num 255 renitentem S. Malachiam subire onus, vel curam admittere Ecclesiæ Metropolitanæ non priùs acquievisse quam Stipularetur, ut Ecclesia pacem habente liceret abdicare Dignitatem, et pro se illic alium substituere. Quod fusius describit S. Bernardus Cap. 7. deinde Cap. 8 : *Anno ætatis suæ* 38 *Pauper Malachias pulso incubatore intravit Armachiam Pontifex, et Metropolitanus totius Hiberniæ.* Quæ referens noster garrulus Suggillando exclamat : *Vides quod possimus repetere hæc pomposa Epitheta absque minimo terrore, aut convulsione.* Quomodo terrore corriperetur, qui imbellium more ab adversantium jaculis Securus in latebris delitescit? Recensitis toto illo capite 8° laboribus, et Prodigiis, quibus Divus Malachias Sanctuarium Dei vindicavit a profanatione usurpatricis familiæ.

290. Prosequitur S. Bernardus Cap. 9. *Igitur Malachias intra Triennium reddita retributione Superbis, et libertate Ecclesiæ restituta, ac reformatis ubique moribus christianæ Religionis videns omnia in pace esse, cæpit cogitare et de Sua pace, et memor propositi sui constituit pro Se Gelasium virum bonum, et dignum tali honore conniventibus clero, et populo, quin potius sustinentibus propter pactum, et Dunum se contulit.*

291. " Et Cap. X. *Malachias factus Dunensis Episcopus* confes-
" tim more suo curavit asciscere ad Solatium sibi de filiis suis Con-
" ventum Regularium Clericorum, et ecce rursus accingitur quasi

" novus Christi Tyro ad Spirituale certamen, rursus induitur arma
" potentia Dei Sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem Disciplinæ
" cænobialis, otium contemplandi, orandi assiduitatem, quæ tamen
" omnia voto magis valuit diu tenere quam actu: Etenim universi
" confluebant ad eum, nec modo mediocres, sed et nobiles, et poten-
" tes illius se Sapientiæ, et Sanctitati instruendos, corrigendos, ac re-
" gendos committere festinabant; et ipse interdum ibat, et exibat Se-
" minare Semen Suum, *disponens, et decernens tota authoritate de*
" *rebus Ecclesiasticis* tanquam ex Apostolis unus, et nemo illi dicebat
" in qua potestate hæc facis? Videntibus cunctis Signa, et prodigia
" quæ faciebat, et quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Visum ta-
" men sibi, non tutè satis actitari ista absque Sedis Apostolicæ autho-
" ritate, et Romam proficisci deliberat, maximèque quod Metropo-
" liticæ Sedi deerat adhuc, et defuerat ab initio Pallii usus, quod est
" plenitudo honoris

292. Hæc S. Bernardus totidem verbis, quæ clara sunt, obvia, et omnium eruditorum manibus teruntur. Attamen effrænatâ insolentia corrumpendo Textum, adulterando Sensum, et pervertendo Seriem enarrationis audet Glossator Metropolitano Armacano, et Primati attribuere, quæ post abdicatam illam dignitatem referuntur de S. Malachiâ tuncconstituto inferiori, et Suffraganeo Episcopo Dunensi: Ideoque delusurus imperitos veteratoriè initium capitis octavi conjungit cum Textu capitis decimi.

293. Unde qui S. Bernardum elegit (vid num 259) totius contestationis arbitrum, contentus illius verbis stare, vel cadere, cum modò Sancti Doctoris authoritate manifestè convincatur Impostor, et falsarius, quidni miserandæ causæ iniquus Patronus non tantum cadat, et succumbat, sed juxta stipulationem ibi commemoratam gravioribus pro mensurâ tam enormis delicti, ac execrandæ vafritiæ pœnis plectatur, si fortè e densis, quibus se occultavit, tenebris prodiens quandoquè incidat in manus Præsidentium.

294. Aliquantulum hallucinatus fuit in præsenti discussione R^mus Talbotus invertendo ordinem, et posteriores paucas lineolas præponendo prioribus intra idem tamen caput (vid P. op a num 276 ad 282) in quo nonnulla occurrunt lædentia quidem veritatem, alleviantia nihilominus culpam. Quippe ex illustri familiâ oriundus Venerabilis Præsul frequentiâ confluentium Cognatorum, aliorumque nobilium in-

interpellabatur acceſſu, ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ æmulatione commotus, illiuſque, ſicut et Suffraganearum Sedium Solicitudine detentus, infirmitatibus corporis, et inquietudine mentis debilitatus non potuit veroſimiliter per ſeipſum omnia perluſtrare, ſed oportuit alios minus Sinceros, et parum accuratos adhibere Collectores. At noſter obſcurus Tenebrio nullâ æmulatione, aut injuriâ laceſſitus, nullâ (quantum apparet) inſignitus præfecturâ, vel cura impediente ſtrictam indaginem, pro libidine Scripturiendi, et immittendi falcem ſuam in meſſem alienam ſciens, et lubens de induſtriâ corrumpit, et in unum faſcem accumulat quæ tot capitibus diviſa, et diſcrepantia habuit præ oculis, adimplens quod de hujuſmodi depravatoribus tradidit Lib de præſcript Cap. 38 Tertullianus: *Quibus propoſitum fuit aliter docendi, eos neceſſitas coegit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ —— —— illis non potuit ſuccedere corruptela doctrinæ ſuæ ſine corruptela inſtrumentorum ejus.*

295. Exputet apud ſe æquus Lector an tanta, tamque palmarium commentorum corruptionumque congeries permittat in Gloſſatore, non tantum Authoritatem, ſed ne nomen quidem Hiſtorici, quantumquè —— illi quadret pſeudocardinalis Benonis effigies, quam vivis coloribus ad an 1048 delineavit Baronius monens: " Benonis " Hiſtorici plura ſunt mendacia quam verba, ut qui (ne decipiaris au- " thoritate ejus) dicendus planè Prudentium Lectorum Sententiâ, " non Hiſtoricus, ſed Satyricus: Idemque calumnioſus fabularum " contextor: Quippe qui mentiendi, detrahendi, monſtroſaquè fin- " gendi ſumpſit ſibi licentiam."

296. Sed ut redeamus ad S. Bernardum: Quam aliam Apologiam, aut excuſationem afferret, cur Epiſcopus Suffraganeus Dunenſis *totâ authoritate diſponeret, et decerneret de rebus Eccleſiaſticis* in hoc Regno, niſi quia ipſius diſpoſitiones Authore Deo factas ſigna, et Prodigia comprobarunt? quæ etſi abundè ſufficerent ad vindicandam facti innocentiam, quia tamen (ut docet S. Gregorius homil 59 in Joan et in Reſponſis ad S. Auguſtinum apud Bedam Lib. 1. Cap. 27.) *Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere ubi non eſt, etenim homo Sapiens in omnibus metuit Eccli* 18. Nil mirum quod inferior Epiſcopus, et Suffraganeus Malachias paſſus ſit ſcrupulum, ne metam exceſſerit ita actitando abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ, a quâ derivatur omnis juriſdictio Eccleſiaſtica: Cui tamen, et Prædeceſſoribus

in

in Metropoli Armacanâ nulla incidit hujuſmodo dubitatio, aut perplexitas ſcientibus ad ſe a Romanis Pontificibus conſtitutos totius Inſulæ Primates ſpectare diſpoſitionem rerum Eccleſiaſticarum jure ordinario. Qua autem fronte, niſi inverecundâ dicatur S. Bernardus deprimere Ptæſules Armacanos, illoſque *Titulares* duntaxat, et *nominales* conſtituere Primates, quia quas aſſeruit Armacanæ Sedi ſublimes Pærogativas, et amplam juriſdictionem Primatialem per univerſum Regnum denegat Suffraganeo Epiſcopo Dunenſi?

297. Pari fronte comminiſcitur " S. Malachiam Romam perrexiſſe ad procurandum *ſibi* Pallium cum majori extenſione juriſdictionis, et poſtulandam veniam ad pedes ſummi Pontificis, quod Metropolitanas functiones obierit abſque authoritate, et inſignibus competentibus." Utrumque, præter jam viſa, luculentiſſimè refellet S. Bernardus de S. Malachiæ Romam adventu Cap. 12. ſic ſcribens, *erat tunc temporis in Sede Apoſtolicâ felicis memoriæ Innocentius Secundus Papa, qui eum benigne ſuſcepit, humaneque ſatis illi ſuper longa peregrinatione compaſſus. Et primo quidem Malachias, quod altius infixerat animo cum multis lachrymis implorabat licere ſibi vivere, et mori in Claravalle permiſſu, et benedictione Summi Pontificis, et petiit hoc non oblitus ad quod venerat, ſed affectus quo venerat deſiderio Claravallis: Non tamen obtinuit, quod vir Apoſtolicus lucris potius uberioribus occupandum decerneret, non tamen omnino fruſtratus eſt a deſiderio cordis ſui, cui mori ibi, etſi non vivere donatum eſt.*

298. Anteà *qui omne Sublime haud Secus quam ſuum præcipitium declinabat* Malachias Metropolim Armacanam abdicaverat, et modò cupit etiam a curâ inferioris Eccleſiæ Dunenſis liberari, ut intra cænobiticæ cellulæ anguſtiam, reliquum vitæ ducere, et ſibi vacare liceret in Claravalle. Quomodò cohærent iſta, vel audet Criminator effingere quod majorem juriſdictionis extenſionem expetierit, aut Pallium poſtulaverit *ſibi*, et non potiùs abdicatæ Metropoli, Seu Succeſſori ſuo S. Gelaſio?

299. Sed ſequamur S. Bernardum: ' Menſem integrum fecit in ' urbe (*Malachias*) loca Sancta perambulans, et frequentans cauſâ o- ' rationis, cumque per id temporis ſæpe, ac diligenter ab eo, et ab iis ' qui cum eo erant Summus Poxtifex inquiſiſſet eſſe Patriæ, mores ' Gentis, ſtatum Eccleſiarum, et quanta in Terrâ Deus per eum ope- ' ratus fuiſſet. Paranti jam repatriare commiſit vices ſuas per uni- ' verſam

‘ versam Hiberniam Legatum illum constituens ——— “ dein-
“ de tollens Mitram de Capite suo imposuit Capiti ejus, Sed et sto-
“ lam cum manipulo dedit illi, quibus uti inter offerendum solebat,
“ et salutatum in osculo pacis dimisit eum Apostolicâ fultum bene-
“ dictione, et authoritate, qui revertens per Claramvallem suam Se-
“ cundam nobis largitus est benedictionem, *alta suspiria trahens,*
“ *quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere.*”

300. Nullum hic apparet signum pœnitentiæ, aut postulatæ veniæ in S. Malachiâ, nullum indignationis, aut commoti animi occurrit vestigium in summo Pontifice, quin potiùs benignè suscipiens sublimi Dignitate Legatinâ invitum donavit, præmio nullatenùs competenti prevaricatoribus, ac singulari honoris, et Benevolentiæ indicio salutatum, eximiisque, et insolitis muneribus cumulatum dimisit. et quamvis ita contingeret ut *de præsumpta ac insolita potestate disponendi, et decernendi tota authoritate de Rebus Ecclesiasticis* verè animadverteret in Episcopum Suffraganeum Dunensem, illumque pœnis cânonicis subjiceret Papa Innocentius, quid hoc ad Metropolitanum Armacanum, vel quomodò indè decideret præeminentiis, et prærogativis Primatialibus indultis a Sede Apostolicâ?

301. Instat tamen Glossator iterum objiciens hæc S. Bernardi verba: *Romam proficisci deliberat Malachias, maximeque quod Metropoliticæ Sedi deerrat adhuc, et defuerat ab initio Pallii usus, quod est plenitudo honoris.*” Et inde prætendit “ manifestò constare quales
“ Primates fuerint S. Malachias, et Prædecessores, Scilicet tales, qui
“ non possent indicere concilia Nationalia, aut Provincialia, termi-
“ nare Appellationes, visitare Provincias, aut ullum Singularem ac-
“ tum jurisdictionis exercere extra suam Diœcesim.” Nec sufficit quod ipse ita desipiat, sed arrogantissimè audet imponere, “ quod sic
“ oporteat fateri omnes canonistas scientes indispensabile jus a Papâ
“ Lucio indictum Cap. Significasti de Elect: *in Pallio conceditur ple-*
“ *nitudo Pontificalis Officii, quia juxta Sedis Apostolicæ, et totius*
“ *Europæ consuetudinem ante acceptum Pallium, Metropolitanis mi-*
“ *nime licet aut consecrare Episcopos, aut Synodum celebrare.*

302. Hunc producit miserandæ causæ colophonem ineluctabili vi (uti imaginatur) penitùs oppressurum Adversarios. Sed intelligeret leguleius illam Decretalem promulgatam fuisse Sæculo duodecimo, ac Leges futuris tantum dare formam negotiis, non retrospicientes

ad

ad præcedentia *cap cognoſcentes*, et *cap Quoniam de conſtitut*: *L. Leges cod de Leg.* manifeſtum eſt autem omnibus canoniſtis, aliiſque peritis (vid P. op a num 231 ad 243) plures, imo millenos a Primordiis Eccleſiæ veros extitiſſe Patriarchas, Primates, et Metropolitanos, qui Synodos convocarunt, conſecrarunt Epiſcopos, &c. nullo accepto Pallio, et etiam ante ullam ipſius mentionem in Geſtis Romanorum Pontificum, ad quos tamen unicè ſpectat illud concedere. Conſtat pariter ipſo Sæculo duodecimo Innocentium Secundum abſque traditione Pallii confirmaſſe erectam a S. Celſo Metropolim Caſſelienſem ſubditam primæ Sedi Armacanæ, illiuſque Archiepiſcopo tanquam Primati. Adverte præterea Senſum Innocentii tertii, qui Papâ Lucio longè poſterior fuit, colligendum *cap quod ſicut de Elect.* Conſtat etiam poſtremos hujus Regni Archiepiſcopos ſeu Metropolitanos non adeptos Pallium, ſed Breve Pontificium, functos fuiſſe ſuo munere conſecrando, &c. quidni pari indulto idem potuiſſent Prædeceſſores abſque pallio: Vid P. op a num 243.

303. Quis ſcit an inſito, et veſano auſu non contendat tandem Criminator nullatenùs venerandos, aut invocandos Apoſtolum noſtrum Patricium, alioſve primitivorum temporum Sanctos, quia recentiori canonizationis ſolemnitate (quæ antiquitùs non erat in uſu) in cælitum numerum relati non fuerunt per Summum Pontificem, cui ſoli id reſervavit Alexander tertius dicto ſæculo duodecimo inhibens *cap audivimus de Reliq, et venerat Sanctor*, quemquam etiamſi per illum miracula fierent, pro Sancto abſque Authoritate Romanæ Eccleſiæ venerari obſervaret Gloſſator cum S. Iſidoro *can Sciendum diſt* 29: quod " pleraque capitula ex cauſâ, ex Perſona, ex loco, ex " tempore conſideranda ſint: quorum modi quia medullitùs non in- " dagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impingun- " tur, cum antè judicant, quam intelligant, antè inculpant, quam " iterando lecta perquirant.

304. " Exultat ſe ad partes ſuas reduxiſſe, quem pro ſe Armaca- " ni opponebant athletam S. Bernardum" (riſum teneatis amici quaſivero pudendis figmentis, corruptelis, aut mendaciis ullius Tenebrionis loco moveretur, vel Senſum mutare crederetur mellifluus Doctor) " nihilque ſupereſſe præſtandum quam Adverſarios inſequi intra " ultimum propugnaculum, unde facili negotio expellentur, cum " nihil habeant objiciendum præter infirmum, et malè munitum præ-

ſidium

" ſidium extraneorum, et domeſticorum Scriptorum, quos dicunt " unanimi conſenſu teſtimonium perhibere de prærogativis Armaca- " nis, nec illos tamen nominant, cujuſve ſint authoritatis, aut notæ " in mundo, addentes numerum adeo immenſum, ut recenſere ſin- " gulos pareret faſtidium, quod ultro admittimus, id enim tædio " afficit, quod prolatum ad rem non pertinet."

305. Militaris homo martialem ſpirans ardorem militaria ſigna, et Symbola pronunciando delectatur, non tamen vanâ gloriatione procacis linguæ plus ſtrepitu valentis, quam opere ſtationem deſerent, aut herbam porrigent Armacani habentes irrefragabiles Patronos, et adſtipulatores tot Romanos Pontifices, tot ſacrorum ordinum officia Eccleſiaſtica decantantium calculos, tot Regum, et Principum Diplomata, tot celeberrimos e præcipuis totius Europæ nationibus, et ſelectiſſimos Authores commemoratos P. op num. 406, et ſeqq, ac mprimis S. Bernardum Armacanæ Metropolis ſtrenuiſſime propugnantem prærogativas, quicquid affectatâ iguorantia, aut inſolenti proterviâ obtruditur in contrarium.

306. " Incuſat Authores aſſerentes Armachiam primam Metro- " polim totius Hiberniæ, ac illius Preſules Primates univerſæ natio- " nis non exprimere quando, et a quo inſtitutus fuerit ille Primatus, " cujuſve ſit qualitatis, et conditionis, titulariſne, an realis, limitatus, " vel illimitatus." In quo prodit illimitatam Suam cavillandi pruriginem, et inane ſtudium quærendi nodum in Scirpo. Qui Caſſeliam nuncupant Momoniæ Metropolim, ac illius Antiſtites totius Provinciæ Archiepiſcopos, altum tenent ſilentium, quouſque extendatur, et in quibus conſiſtat eorum juriſdictio.

307. Nec mirum quod ſeſe liberent iſto onere ſupervacaneo, cum nullus ignorare poſſit eruditus jura Archiepiſcopis competentia in Suffraganeos Epiſcopos, Clerum, et Incolas Provinciæ, ac ita notoria ſunt, ut legentibus Regulas Eccleſiaſticas, Canoniſtas, et Authores palam occurrant: Et fuſe tractant Azorius inſtitut moral part 2, lib. 3, cap. 33. Barboſa de offic et poteſt Epiſc part 1, tit 4 pariter notoria ſunt jura competentia Primatibus totius Regni ſuper reliquos Archiepiſcopos, Epiſcopos, et inferiores, ſcilicet ſub ſuâ poteſtate complectentibus Archiepræſules, ſicut illi ſuos Suffraganeos, ut luculenter exprimunt Clemens Papa *can in illis diſt* 80: Bonifacius *can ſi inter 6 quæſt* 4: Victor primus, Sixtus Secundus Urbanus Secundus:

cundus: Leo 1 *can de conciliis dist* 18: Nicolaus 1 *can conqueſtus* 9 *quæſt* 3: Alique Pontifices cum Gratiano *diſt* 99 *initio*, ac præfatis Azorio, et Barboſâ, ut plurimi alii omittantur: Et nonnulli adducuntur ſuperius a num 35 ad 41, et P. op num 33, 57 et 234.

308. Craſſè decipitur, vel iniquè criminatur non indicari tempus, vel Authòres Primatus Armacani inſtituti a Cæleſtino i, confirmati a Leone magno, et ſubſequentibus Pontificibus enumeratis P. op num 408, et 409. Præterea tractantes de præeminentiis Eccleſiæ Armacanæ, non tantum illam *totius inſulæ Metropolim* nuncupant, illiuſque Præſules *Primates totius Hiberniæ*, ſed Specialius, ac diſertis verbis aſſerunt univerſam Hiberniam eos ſuâ poteſtate complecti, Archiepiſcopos conſtituiſſe, Metropoles erexiſſe, ſibi et ſuæ Sedi ſubditas, cæteros Metropolitanos ad Suum Tribunal vocare, Lites, cauſaſque graviores Appellatione devolutas terminare, curſu viſitationis toties perluſtraſſe alias Provincias, concilia Nationalia convocaſſe, iiſque præſuiſſe Primatiali authoritate, aliaque obiiſſe munia competentia Primatibus vid P. op a num 1 ad 30, ac num 197.

309. Ut ea omnia paucis verbis convellat Gloſſator ſolito effugio deſperantibus cauſam evincere, acerbiſſimè inſectatur Domeſticos Scriptores: " Quorum opera ait: palpabilibus fallacijs, fabulis " et figmentis referta, ut iis fidem adhibendo, rationi, et ſenſui com- " muni renunciare oporteret: Addit in actis plurium noſtrorum " Sanctorum tam abſurda, incohærentia, imo Religioni, et fidei re- " pugnantia enarrari, quæ latere non poſſent vel noviſſimum in " criticis Tyronem, aut infimi Theologi cenſuram evadere."

310. Viſum eſt P. op a num 322 ad 331 quantâ Sedulitate, et curâ invigilaverint Hiberni noſtri conſcribendis Annalibus, quibus notabilia omnia, et commemoratu digna in Regno, ac viciniis contingentia illibate transferrentur ad poſteros, inſtitutis in illum finem Gymnaſiis, et deputatis certis familiis, quibus opimi Redditus, et latifundia aſſignabantur. Et ne menda obreperet, aut falſa inſinuatio, debebant quolibet triennio Subire Scrutinium in Comitiis generalibus, vel coram Supremo Monarcha, et Selectis peritioribus Proceribus, quibus poſt promulgatum evangelium adjuncti fuerunt Epiſcopi (vid P. op num 326, et 327) ut vix alibi Gentium habita fuerit tam ſtricta diſcuſſio de rerum veritate inquirendâ, et inſerendâ publicis monumentis, quemadmodum apud priſcos noſtros Hibernos.

311. Tot

311. Tot reperiuntur hujus nationis Authores, qui res Eccleſiaſticas, et profanas, ac Sanctorum geſta Scriptis conſignarunt. Nominaret ſaltem unum, vel alterum in cujus lucubrationibus tam fædos, et enormes detexit lapſus, qui adeo rationem offenderent, Religionem, et fidem violarent, ſed familiare Calumniatoribus eſt crimina univerſim exprobrare, et ad certas Perſonas de iis arguendis non deſcendere, ne uni vitium falſo impegiſſe deprehenſi, mendacia in reliquos ſtruxiſſe manifeſtè convincerentur. Rara, fateor, et prodigioſa de Sanctis noſtris referuntur miraculorum portenta, quæ mirificarum virtutum irriſores neoterici cenſoriâ virgâ notare ſolent, et ſuggillare : Quorum indolem, et libidinem illudendi rebus Sacris mutuatus videtur incredulus hic, et criticus incuſator.

312. Adverteret tamen cum Thomâ Meſſinghamo in præfatione ad florilegium Sanctorum : Quod " licet mirabilis ſit Deus in Sanc-
" tis omnibus, et longè mirabilior quam in cæteris operibus, in
" Sanctis tamen Hiberniæ ſingularius quodammodo (ſi dicere fas
" eſt) quam in aliarum nationum promiſcuè Sanctis mirabilis, et
" laudabilis appareat. Mirabiles ſiquidem illi, et veluti Singulares
" in jejuniis, vigiliis mortificationibus Peregrinationibus : Mirabiles
" in miraculorum virtute, curationibus ægrorum, reſuſcitationibus
" mortuorum : Mirabiles demum in prophetiis, revelationibus, et
" apparitionibus.

" At hæc et ſimilia, quæ Deus per eos dignatus eſt operari, non
" ſuis viribus tribuunt, nec laudis inde aliquid ſibiipſis aſſumunt, ſed
" Soli Deo laudem, et Gloriam aſſervant, in cujus virtute ſe omnia
" feciſſe hujuſmodi oratione teſtantur. *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtrâ virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare act* 3. Num igitur aliquid de
" Dei majeſtate diminuitur, ſi Sanctorum Geſta narrentur, ipſique
" honore debito afficiantur, et extollantur ? Minimè verò. An vi-
" tem lædit, qui palmitem laudat, pictoremne vituperat, qui pictu
" ram miratur. Nihil minus, contraque, Divinam Gloriam magis
" efferimus, cum Dei amicos, familiares, et Domeſticos extollimus,
" Prophetâ ad id invitante pſal 150: *Laudate Dominum in Sanctis*
" *ejus.* Etenim cum ipſa veritas aſſerat *beatius eſſe magis dare,*
" *quam accipere* act 20. Ex eo clare perſpicitur quanta in donatâ

" gratia ſit majeſtas. Cum in accepta tanta conſiſtat dignitas mirabi-
" lis namque, et laudabilis Deus, *qui talem poteſtatem dedit hominibus* Mat. 9.

" Unde non humani ingenii tarditate, ac naturalium cauſarum
" virtute, ſed divinitatis poteſtate Sanctorum opera metienda ſunt:
" Ideoque quamvis nonnulla reperiantur in Sanctorum noſtrorum
" vitis prodigioſa valde, et ab ordinario rerum curſu longè diverſa,
" non ſtatim cachinnos moveat prudens Lector, aut fabularum mo-
" re deſpectui ea ducat, non enim a fabuloſis Poetis, aut mendaci-
" bus adulatoribus, Sed a viris Sanctis, Religioſis, et piis conſcripta
" ſunt illa, qui Sane quiduis perpeti maluiſſent, quam vel levibus
" confingendis mendaciis, nedum gravibus, et Sacrilegis poſteritati
" illudere.

" Qui de his dubitat, Sacras legat Scripturas, in quibus juxta Divi
" Hieronymi Sententiam, multa incredibilia reperiuntur, nec veri-
" ſimilia (juxta humanum Scilicet concipiendi modum) quæ nihilo
" tamen minus vera ſunt; legat D. Auguſtinum de civit Dei Lib.
" 16, 18, et 21, plena prodigiis volumina. Legat Hexameron Am-
" broſii, Dialogos Gregorii, opera Hieronymi: Legat vitas Pa-
" trum, Etymologiarum Iſidori libros XI, XII, et 16. Legat va-
" lerium maximum, Plinium, et Solinum: Hos inquam legat, nec
" propter quædam prodigioſa, et minus communia inſerta, Sancto-
" rum virorum, ac nobilium Authorum opera condemnet: Sed ve-
" rè, et ſincere fateatur plus Deum poſſe, quam hominem noſſe, lon-
" geque trans omnem humanam intelligentiam, divinam ineffabili-
" ter extendi potentiam, et cum Caſſiodoro dicat: Summum genus
" Scientiæ eſt ſcire Deum tanta præſtare, quæ humani Senſus non
" valeant attingere.

313. Iſta perpenderet garrulus, et obtuſi ſui cerebelli imbecillitate non metiretur Dei potentiam, aut munificentiam in dilectos, nec cynico Supercilio deſpiceret, vel derideret, quæ Supra curſum ordinarium leguntur in Geſtis Sanctorum, in quibus ſi verè quidquam occurreret Religionem lædens, aut fidei repugnans, deceret pro affectato, quem ventilat, Zelo, et oſtentatâ eruditione exitiales potius refellere errores (niſi fortètam prodigus evomendis contumeliis in Sacros, et profanos, ita totum exhauſit ærarium, ut ne obolus quidem

Su-

Superſit in alios quantumvis pios uſus erogandus) quam contra ſtimulum calcitrare enitendo incaſſùm ſuis offuciis, commentis, et impoſturis deprimere præeminentiam Armacanam, nullum vel leviſſimæ apparentiæ argumentum ad ſuam calumniam ſtabiliendam adducens, quaſi ſui oris halitu tam clara priſcorum, ac recentiorum temporum monumenta diflare valeret, non advertens apud omnes ſanæ mentis longè plus ponderis tot celeberrimorum Authorum unanimi conſenſui, et aſſertioni ineſſe, quam obtrectationibus unius ignoti dicaculi, qui incredibili quâdam in Suam Patriam malevolentia correptum ſe demonſtrat, dum Scriptoribus tum Sacris, tum profanis in hujus nationis commendationem antiqua geſta proferentibus omnem ſidem abrogandam contendit, ut merito mireris tam inhumana, et ipſius naturæ dictamini contraria propalari ab homine Hiberno, ſi tamen Hibernus ſit, vel Catholicus, cuius vix ullum in totâ ſuâ farragine Specimen exhibet, niſi quantum Gnathonem agit, et adulatorium Panegyriſtam Regum, et quorundam Præſulum Momonienſium.

314. Sed ecce novus prætextus carpendi indigenas Scriptores, *quia (inquit) fabuloſis commentis famoſam Caveam vulgo S. Patricii Purgatorium in phantaſticum converterunt Caſtellum varia continens, et diſtincta Spirituum, Lemurum, et Spectrorum domicilia, ac manſiones.* Collimat ad ea quæ dicuntur de quodam milite œno, illiuſque viſitatione in caveâ ; quæ tamen primò Scriptis divulgarunt, Henricus Salteryenſis : Mathæus Pariſienſis ad an 1152 : S. Antoninus in Chronic Tit. XI, Cap. 18 : Dionyſius Carthuſianus Lib. 3, de quatuor nouiſſimis art. 14, et de partic. Judic. art. 24, et 28 : Vincentius Bellovacenſis Specul. Hiſt. Lib. 20, Cap. 24 ; Cæſarius Hiſterbachenſis Lib. 12, Cap. 38, et 39 : Jacobus Januenſis in legend. Sanc. in vitâ S. Patricij. Radolphus Ceſtrenſis in Polycronico. Jacobus de Vitriaco in Hiſtoria orientali Cap. 92. Mombritius tom. 2, relatus a Baronio in notis ad Martyrolog. Roman. 17 martij, Marcus Marulus Lib. 3, Cap. 4. Maurolycus Sciculus in ſuo martyrologio, &c.

315. Hi autem omnes externi Sunt, et non vulgaris nominis Authores, e quibus hauſerunt Hiberni noſtri : Illis itaque, non noſtratibus imputandum ſi quid fabuloſum, aut minus credibile irrepſerit in deſcriptionem prædictæ Caveæ, de qua ſive vera, ſive falſa enuncian-

tur

enunciantur, nihil habent commune cum Primatu Armacano, cui proinde detrahere non nisi malignè quis contendat. Nec magis miranda, aut fidem excedentia occurrunt in historia, Oeni, quam quæ referunt S. Gregorius Papa Lib. 4. diâlogor. variis locis, præsertim Cap. 36. Beda Lib. 5, Cap. 3, Dionysius Carthusianus dict. Lib. 3. citans Petrum Abbatem Cluniacensem art. 13, 15, et 16, ac partic. Judic. art. 20, 21, 22, 23. Cæsarius Lib. 12. per totum de Stephani, Drichelmi, Tondali Militis, Monachi Anglicani, Christinæ virginis, aliorumque visionibus. Consuli pariter potest Beda Lib. 3, Cap. 19. de raptu S. Fursei, et longe mirabiliora de redivivi hominis relationibus commemorans S. Bonifacius Martijr, Germaniæ Apostolus Epistola ad Eadeburgam apud Baronium ad an 716. quos tamen non nisi insolentissimè fabularum, vel commentorum figulos criminari audeat Singularis hic, et sibi Soli (velut Anacharsis inter Scythas) super cæteros sapiens incusator, momum se ubique exhibens in Scenâ.

316. Omittimus ejus Scommata in recentiorem Authorem, qui post alia sui ingenii edita monumenta, historiam peregrinationis oeni militis e Latino in anglicum vertit idioma, nihil addens, vel singens de suo, sed priscorum Authorum verba fideliter retulit, in hoc multum discrepans a Cynico Censore textum passim adulterante, et detorquente in alienum Sensum, ac suppressæ veritati substituente commenta, et Somnia sua, opprob riisque, et impostoris obruente Adversarios : In quo *Bardis, Sycophantis, et fabulatoribus* se potiùs genitum demonstrat, quam illum (cui istam infamiam propudiosè imporperat) ingenuum translatorem, qui cum calamum habeat expeditum, et copiam redarguendi, si suo otio dignum judicaverit, non alio indiget vindice ad reprimenda convicia calumniatoris.

317. Qui novum sui acuminis (ni verius) supinæ ineptitudinis perhibet experimentum, dicens *Davidem Macarvil Archiepiscopum Cassellensem Monachos Benedictinos ejecisse ex antiquo suo Cœnobio prope Cassellam substitutis eorum loco Cistercensibus an* 1254, *ac Kieranum Cassellensem Decanum injuriosius tractasse* : *Præterea Edmundum Butlerum Cassellensem pariter Archiepiscopum in Synodo Limerici celebrata an* 1529 *potestatem feciisse Prætori Limericensi conjiciendi in Carcerem Ecclesiasticos obæratos, sine ulla pæna interdicti, donec æs*

ali-

alienum exolverent: Item S. Laurentium Archipræſulem Dublinienſem Eccleſiæ ſnæ clericos ſæculares in canonicos mutaſſe Regulares ordinis aroacenſis, nec tamen reperiri paſſos gravamina pro remedio provocaſſe Armachiam, inde concludens nullam in Armacanis agnoviſſe poteſtatem in ſuos Metropolitanos, alioquin ad illos detuliſſent querelam.

318. Hoc genus argumentandi non deſumitur e Locis theologicis, et nullatenus cohæret Regulis Summuliſticis docentibus (ſi benè memini) non valere illationem a negatione actûs ad negationem potentiæ, ſed vice verſâ, ac ex puris negativis nihil evinci: Etenim lippis, et tonſoribus notorium eſt innumera, et licitè, et validè fieri poſſe, quæ remanent infecta. Quid ſi gravati poſt primum Strepitum, pacis gratiâ acquieverint, ut ſæpè contingit etiam in Diæceſibus Suffraganeis, quin fiat Appellatio ac Metropolitanum?

319. Nec commemorati Monachi, aut clerici deteguntur recurriſſe ad Sedem Apoſtolicam, an inde forſitan inolitâ protervià contendet non agnoviſſe ſuis Metropolitanis Superiorem ipſum ſummum Pontificem? Joannes Curceus an 1183 (teſte Wareo de antiquit Cap. 27, et de Præſul fol 54) ex Eccleſiâ Cathedrali Dunenſi Sæculares Canonicos expulit, quorum vice introduxit Monachos Benedictinos e cænobio S. Werburgæ Ceſtriæ deſumptos. Et quamvis Dunenſis Eccleſia etiam jure Metropolitano Subjiciatur indubitatè Præſulibus Armacanis, nullum occurrit in hiſtoriâ veſtigium interjectæ ad illos Appellationis ab expulſis. Quid indè inferat dicaculus, ſcilicet Eccleſiam Armacanam nullâ præditam juriſdictione in Dunenſem? Dignum patellâ operculum! Puderet hujuſmodi abſurdis, et vel infimo Tyrone indignis ineptiis tempus terere.

320. Refert *Alexandrum Bicknorum Joannem a S. Paulo, et Thomam Minot Præſules Dublinienſes reſtitiſſe, ne David o Hiraghty, Richardus filius Radulphi, aut Sweetman Armacani crucem ante ſe deferri curarent in Diæceſi Dublinienſi: Et comminiſcitur nihil tunc prætendiſſe Armacanos præter ſolam poteſtatem deferendi crucem quamvis modo longe ulterius procedant.*

321. De contentione circa geſtationem Armacanæ crucis in Diæceſi Dublinienſi prolixiùs actum eſt P. op num 317 ad 321. Reſiſtentia autem res eſt facti, non juris, nulliuſque actioni derogans, niſi quantum ipſa jure fulcitur. Etenim factum contra jus nullum

pa-

parit præjudicium: *Argum cap fin de pact, cum ibi Gloſs. L fin ff eod tit.* Et paria ſunt factum aliquid non fuiſſe, et nulliter factum: *Can Imperiali 25, quæſt 2. L quoties ff qui ſatisdare cogantur: L. penult ff de ſuis, et legit hæred: Inſtitut de ſatiſdat Tutor §. Sciendum*: Et *Gloſs cap. 2 ver inutilem de tranſlat Epiſc.* Alias ob viliſſimæ plebeculæ, aut quorumlibet debitam ſubmiſſionem detrectantium pervicaciam nullus in ſua legitima poſſeſſione exiſteret ſecurus, ſed ad ſimiles commotiones oporteret quemlibet proprietarium decidere ſuo dominio, et legali in illud titulo. Reſiſtentiam verò Dublinienſium omni deſtitutam juris adminiculo utpotè ſoli innixam prætenſo privilegio Lucii tertii, nihil officienti prærogativis Primatialibus vidimus Superius num 138, et 139, ac fuſius oſtenſum eſt P. op a num 63 ad 75.

322. Quod ſimulatum privilegium referens Wareus de præſul fol 106. " jungit ex hoc privilegio initium ſumpſit controverſia illa, ſive " acriset diuturna concertatio inter Archiepiſcopos Armacanos, et Du- " blinienſes, an Armacanus habuerit jus Primatiæ, Bajulationis crucis, " Appellationum, et viſitationum in Provinciâ Dublinienſi." e quibus verbis liquidiſſimè patet primò nullam paſſos remoram bajulationis crucis; Appellationum, viſitationum &c. in Provinciâ Dublinienſi Armacanos uſque ad ſuppoſititium illud privilegium, quod primus oſtentavit Archiepiſcopus Lucas centum annis poſt e rectionem Eccleſiæ Dublinienſis in Archiepiſcopalem (vid P. op a num 317 ad 321) Secundo etiam exinde, et huc uſque Semper ſuſtinuiſſe Armacanos ſibi competiiſſe, ac ſæpe obiiſſe iſta jura Primatialia (ut conſtat ex alibi adductis in urbe, et Diæceſi Dublinienſi. Quâ ergo fronte, niſi aſſuetâ, et perfrictâ audet obtrudere criminator nihil prætendiſſe Armacanos præter ſolam poteſtatem deferendi crucem?

323. Imponit pariter " Richardum Armacanum vigore Regii " Diplomatis Crucem ſuam erexiſſe in Diæceſi Dublinienſi, petens " quid opus hujuſmodi Diplomate, ſi character Primatialis talem " vindicaret honorem? Quem certè non vindicavit, aliter nequa- " quam recurreret ad Poteſtatem Laicalem pro præeminentia, quæ " non niſi a Spirituali Authoritate poteſt dimanare." Non tam hebes, aut protervus, doctus, et pius Præſul Richardus, qui ignoraret, vel inficiaretur cunctas Dignitates, et præeminentias Eccleſiaſticas defluere

ere debere, non aliundè quam ab omnium Inſtitutrice Eccleſiâ Romanâ.

324. At quamvis haberet præ manibus tot Diplomata Pontificia, obſervans tamen juſticiarios, alioſque Regios Miniſtros Dublinii conſpiraſſe in gratiam ſui Collegæ juſticiarii, ſimul, et Summi Hiberniæ Theſaurarii Alexandri Bicknori Archiepiſcopi Dublinienſis refragando juriſdictioni Primatiali exercendæ in illa Urbe, expoſtulavit de injuria apud Regem, quippe canonum vindicem, et Eccleſiaſticæ Libertatis a Deo conſtitutum Protectorem (*can Bene* et *can duo ſunt diſt* 96: *can Principes* 23 *quæſt* 5) cujus obtentis Litteris reprimentibus inſolentiam Miniſtrorum, et ſublato obice, indultam a ſuprema Sede poteſtatem Primatialem more majorum explevit Dublinii. Vid P. op num 355

325. Et tam Legibus Eccleſiaſticis, quam Civilibus cautum eſt, ut deputatorum exceſſus deferantur ad deputantes, ac delinquens conveniatur coram proprio judice: Unde (omiſſis innumeris hujuſmodi Exemplis) S. Athanaſius in conciliabulo Tyrienſi a Conſtantini Imperatoris commiſſario comite Dionyſio favente Arianis vim paſſus---- confugit pro remedio ad ipſum Conſtantinum: Similiter Epheſini Patres de Theodoſii junioris commiſſariis Irenæo, et Candidiano Hæreſiarchæ Neſtorii ſtudioſiſſimis, ac Sacri concilii libertatem opprimentibus querelas direxerunt ad ipſum Theodoſium, ejuſque Sororem Pulcheriam, ac dictorum Commiſſariorum revocationem impetrarunt, imo ipſe S. Paulus Apoſtolus cum a Cæſareano Paleſtinæ Preſide Feſto videret ſibi imminere periculum ne traderetur judeis, Cæſarem appellavit act 25.

326. Malè torquetur de facto cujuſdam recentioris, " quem cri-
" minatur tuliſſe Sententiam definitivam in favorem Contumacium
" Appellantium, ac peregrinos Sacerdotes extra locum ſuæ juriſ-
" dictionis ad peragendas tremendas functiones ſacri miniſterii ap-
" probaſſe: Pronunciatque væ hujuſmodi Sacerdotibus miniſtranti-
" bus ſimili uſurpatâ Commiſſione, ac Pænitentibus per illos abſolu-
" tis, petens quid ſentièndum de Præſule mittente falcem ſuam in
" meſſem alienam obtentu nominalis Primatûs ?"

327. Ita cenſorius hic, et novus Cato veluti a Republicâ conſtitutus judex, cujus Solius arbitrio penderentur Geſta Cunctorum, an laude vel vituperio digna cenſerentur. Sed commiſſionem exhiberet, ſeu Patentes, quibus ſuam evinceret com-

petentiam, ne apud Senſatos maculam meritò contrahat temeritatis, etpræſumptionis immiſcendo ſe rebus alienis excedentibus vires et captum ſuum, ac uſurpatam arrogando provinciam, et non inſtar Bubonis lucifuga inſulſos e latebris ederet ſonos Caput occultans. Nec adeo mirandum quod Superſtites immaniter carpat, qui tot Sanctiſſimos Præſules ſignis, et prodigiis in vitâ, et poſt mortem corruſcantes, ac ipſum etiam glorioſſimum Apoſtolum noſtrum Divum Patricium immenſæ ambitionis,et iniquæ uſurpationis fuit auſus inſimulare. Attamen velit nolit Ardelio Primatum Armacanum nominalem, non uſurpatum, ſed Apoſtolicæ inſtitutionis, et compertæ juriſdictionis ſuper totum hoc Regnum demonſtrant tot hactenus adducta clariſſima documenta.

328. Et ut facti, quod inſectatur, veritas innoteſcat. Valentinus R. Paſtor unitarum ab immemorabili Parochiarum S. S. Jacobi, et Catharinæ Dublinii Armachiam appellavit, opportunum poſtulans remedium contra arbitrariam diſpoſitionem R^mi A——pi, qui nullo obſervato legali proceſſu, aut formâ judicij, etſi ſæpè etiam porrecto ſupplici libello flagitatus appellantem proſus inauditum Spoliavit ſuâ Parochiâ S. Catharinæ octo, et amplius annis pacificè poſſeſſa, ſub interminatione ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ſi impoſterum ſe functionibus Paſtoralibus inibi immiſceret, illamque Parochiam contulit Felici C copiam comminatoriæ ſuſpenſionis poſcenti Valentino, Sicut et Apoſtolos, etſi toties inſtanter, inſtantius inſtantiſſime petitos denegavit &c. quâ legitimâ cauſâ expreſſâ juxta *cap Romana de Appellat in* 6° dictam Appellationem admiſit Armacanus inhibens, ne quidquam innovaretur ante definitivam, et injunxit, ut partes, ac habentes intereſſe, copiam actorum, cum omnibus Titulis, et documentis ſpectantibus ad inſtructionem Proceſſûs tranſmitterent : Quod iterum 2°, et 3° mandavit aſſignatis terminis competentibus, et peremptoriis, ultra quos, illis non expectatis, cauſa fine debito terminaretur.

329. Sed quia pacifico intentus Studio ſedandæ diſcordiæ, quamvis de juriſdictione, et competentia ſua ſecurus, ac certus omninò fuiſſet, ad evitandos tamen illa flebili tempeſtate incongruos ſtrepitus judicii tot diſcriminibus obnoxios, hoc Solo intuitu paratum ſe obtulit declinare proceſſum illa vice(juribus ſuis, et cujuſlibet alterius alias ſemper ſalvis) modò diſceptantes convenirent de arbitris celeriter,

ter, et tranquille compoſituris diſſidium: Quod conſilium illicò amplexi ſunt competitores Valentinus, et Felix, declarante Valentino nihil ſe antiquius habuiſſe ab initio quam aliqualem formam auditorii, ubi liceret legaliter experiri de jure ſuo, et producere documenta: Addidit Felix pro reverentiâ A——pi ſui collatoris tunc abſentis expectandum conſenſum, quem mox obtentum iri certò ſciebat, cujuſque impetrandi in ſe ſuſcepit provinciam.

330. At tranſactis in illa expectatione aliquot menſibus domum reverſus A——ps ſalubre illud temperamentum (ſpectatis rerum circumſtantiis, ac imminentibus anguſtiis) multorum, imo Sublimiorum præſidum judicio maximè opportunum non ſolum dedignatus reſpuit; ſed nova adjiciendo gravamina Valentini Coadjutores etſi innocuos nullo modo immixtos controverſiæ, ſed ſedulò ſine querela inſtantes curæ animarum ſuſpendit ab omni Servitio Parochiali, ut Valentinus derelictus, et ſolus impar oneri (cum nullus ibi Paſtor ſine pluribus Cooperatoribus Sufficiat ad deſerviendum numeroſo Gregi) cogeretur vel invitus jacturam ſubire, et dimittere Beneficium. Sed cum nec ſic in totum ex voto Succederet intentum, eò devenit rigoris, ut Valentinum Anathemate percuſſerit immiſſis oſtiatim per totum diſtrictum, qui illum excommunicatum vitandum, omneſque illius functiones, ſeu adminiſtrationes pernicioſas, et ſacrilegas denunciarent, eo Solo prætextu, quod auſus fuerit Dublinio provocare Armachiam.

331. Sicque contigit ut animæ prætioſo Chriſti Sanguine redemptæ, ſemotis operariis Evangelicis, ſpirituali ſolatio deſtitutæ, ac imminentis nauſragii periculo expoſitæ commiſerationem mererentur cujuſlibet teneri cordis: Et aliundè ex officio ſubvenire tenebatur is, cui per Appellationem inſpectio parochiæ, et Gregis incolumitas delatæ fuerunt, illiuſque propius intererat, ne obtentu Appellationis ritè interjectæ, aut ea pendente fieret innovatio, vel quidquam præjudicii paterentur Paſtor, aut Parochiani: *Cap ſolicitudinem vers nam ad officium de appellat.* Et quoniam ad quem devolvitur Principale, devolvitur etiam acceſſorium *cap dilectis filiis de appellat*: *Cap præterea*, et *cap Prudentiam § Sexta nobis, et § ſi vero de offic jud delegat. L. cui juriſdictio ff de juriſdic omnis jud.* De juriſperitorum conſilio prætenſam excommunicationem, et ſuſpenſionem nullas, et

inanes declaravit, Paſtorem reſtituit, et donec Lis terminaretur, rehabilitavit coadjutores, qui veriti offenſam, et vindictam ſui ordinarij, a quo futuram Suam Promotionem præſtolabantur, non audebant illo renitente incumbere curæ Parochiali.

332. Qua propter deficientibus, ſeu potiùs non audentibus inſervire Diæceſanis Presbyteris, ad urgentiſſimam inſtantiam Parochi, et Gregis ingemiſcentium ſe derelictos, alii probatæ vitæ proviſionaliter deputati fuerunt, qui diebus Dominicis, et feſtivis Miſſas celebrarent, baptizarent infantes, infirmos confortarent, et moribundis neceſſaria adminiſtrarent Sacramenta. Cujus facti innocentia indè manifeſtò elucet, quod Adverſarii importunis efflagitationibus ſolicitantes ſupremum judicem, ut reprehenderet, tulerint repulſam, nec ab adminiſtratione amoti fuerint hi deputati Presbyteri, donec exploſis præcipitibus, ac per ſe corruentibus cenſuris inaniter, et nulliter inflictis, mandato præfati ſupremi judicis Comminiſtros Diæceſanos in competenti numero compulſus fuit aſſignare ordinarius. Unde intolerabilis fiducia, et mira præſumptio propalatur Criminatoris arrogantis factum carbone notare, et atrocibus conviciis arrodere, quod omnium Summus Legiſlator innoxium judicavit.

333. Hæc de externorum Presbyterorum deputatione, exigente Animarum Salute, et cura, quæ non patitur moram, interpolatè contigerunt. Nunc reſumendum filum rei geſtæ ſuo ordine exprimendæ. Videns itaque tam diu eluſus judex ad quem, tandem rejectum temperamentum Arbitrorum, et nova indies inferri gravamina, meritum cauſæ diſcutiendum aggreſſus eſt, ac perpenſis depoſitionibus teſtium, quibus præſentibus Valentinus impetravit dictas Parochias ultra hominum memoriam unitas, et Succeſſivè poſſeſſas ab uno, eodemque Paſtore (quinque a ſe viſos Parochos nominabant) ac poſſeſſione pacifica ultra octo annos &c. Sententiam tulit ad calcem hujus Tractatuli apponendum. Interim dum ſub diſſimulatione compoſitionis amicabiliter per arbitros tranſigendæ res maneret indeciſa, egit clanculum judex a quo apud ſupremum, ratus (ut ſæpè oſtentavit) totum litigium ſuæ propriæ diſpoſitioni remittendum, ſicque futurum judicem Gravaminis a ſe illati, contra omnem æquitatem, et dictamen rectæ rationis, imo inhibentibus canonicis, et civilibus Legibus, ut cum omnibus juriſperitis obſervat Joannes Andreas in cap

a collatione de Appellat in 6º. Et docet Textus in *cap non putamus de consuetud in* 6º, *et in cap Romana de appellat eod lib.*

334. At non obstantibus magnis astuti sui, et vaferrimi in Urbe Procuratoris pollicitationibus cernens se vana illa spe meritò dejectum obtinuit tandem variis artibus, et fucatis coloribus, ut Collatario suo Felici C concederetur Recredentia, ac Summus Legislator non rectè informatus, obtentu quod exitialis, et pænè impossibilis foret apud nos hujusmodi discussio (sic enim Suggesserat Pars adversa) pro Supremo suo jure, ab utroque judice a quo, et ad quem evocaverit ad se dissidium, illudque Subjecerit decisioni S. S. Congregationis, quæ visa sententia A——ni cum contentis in ea juris, et facti motivis, omnibusque ritè pensatis inflictam Parocho excommunicationem utpote erroneam, iniquam, irritam, et inanem abrogavit. Suspensos Coadjutores restituit, et Valentinum in sua utriusque Parochiæ possessione sustinuit.

335. Quam ægrè id tulerit Pars adversa, inde elucet, quod plures porrexerit Libellos tot technis, impostoris, et figmentis refertos, quæ æterno silentio premere, quam in apricum adducere longè magis deceret Authores, et videri possunt in apographis ab Urbe transmissis. Attamen detectis offuciis veritas prævaluit, et denuo causa contradictorie ventilata in pleno Senatu S. S. congregatio secundo Decreto Parochias Valentino adjudicavit. Unde iterum colligas quam impudentes sint, intolerabiles criminationes, et calumniæ queruloſi Tenebrionis, qui sibi tantum assumit, ut in rerum ad disciplinam, et Hierarchici Regiminis jura spectantium cognitione peritiorem se, et studiosiorem ampliſſimo Eminentiſſimorum Patrum cætu existimet. Frustra livore torquetur, frustra imperitæ multitudinis animos enititur concitare. Latret ubique quantum velit virus evomens mordere paratus si posset, citius dentem infringet, quam infiget Armacanis, nec suis affaniis morabitur eruditos, ne gravati recurrant Armachiam, sicut post terminatam causam Valentini R. advertens Successum, et competentiam Tribunalis recurrit in simili casu a decisione sui ordinarii Dublinienſis Simon M——y —— Thesaurarius, et Pastor S. Odoeni.

336. Profert prætensam " decisionem Innocentii sexti inter Ar-
" chiepiscopum Armacanum, er Dublinienſem, ut uterque esset Pri-
" mas, sed ad distinctè Scribendum Archiepiscopus Armacanus inti-
" tularet

" tularet se totius Hiberniæ Primatem, Metropolitanus vero Dubli-
" nienſis exararet ſe Hiberniæ Primatem." Monſtratum eſt P. op num 76, et Seqq obtruſam illam deciſionem non niſi merum commentum Joannis Allani Archiepiſcopi Dublinienſis, Cui novum ſui cerebri figmentum aſſuit Criminator dicens: *Statutum fuiſſe ibidem a Papa Innocentio, ut illorum antiquior conſecratione haberet præcedentiam.* Quod neque ipſe Allanus, nec alius quiſpiam Scriptor hactenùs effingere attentavit, ſed Singularis híc impoſturarum figulus Sine teſte, Sine Authore, e penu erraticæ ſuæ imaginationis deprompſit.

337. " Edocemur (ait) ab Hiſtoricis Epiſcopos Dublinienſes pri-
" uſquam Dignitatem Metropolitanam adipiſcerentur, ſolitos fuiſſe
" conſecrari ab Archiepiſcopis Cantuarienſibus." Edocent pariter Hiſtorici id contigiſſe ob ſævum in Gentem Hibernicam odium id temporis Dublinium incolentium Danorum: Ægrè ferentibus (ut fatentur ipſi Dublinienſes Epiſt ad Radulphum Cantuarienſuem ſyllog Uſſer pag 100) et reclamantibus Præſulibus Hibernis, maximè Armacano indignante hujuſmodi prævaricationem in authoritatem ſuam, et Sacros canones ſtricte inhibentes conſecrari Epiſcopum abſque aſſenſu ſui Metropolitani vid P. op a num 160 ad 169.

338. Ecce complementum farraginis. *Hæc (inquit) contra prætenſionem Armacanam* argumenta, *et* Evidentiæ *tam* clara *ſunt, et* perſpicua, *ut nullam admittant* replicationem, *aut* reſponſum, *et magis veremur Superfluitatis cenſuram tot adducendo probationes, quam timemus ullius ſingularis in tanta copia refutationem. Si tamen id molirentur Adverſarii, præparatos nos reperient, et ſpondemus quod aliquanto majori otio quam ſuperfuit percurrentibus paucas has paginas, aliquid quoad Linguam, et methodum elaboratius Simus prolaturi. Quantum enim ad argumenta jam adducta, niſi quod deſit politus ſtylus, magis pertinentia, aut evincentia ægre occurrent. Non tamen illis, vel ornatiſſimâ eloquentia Speramus ſuis præjudiciis, et præventionibus curandos Adverſarios, quod tantum perficere poteſt omnipotentis Dei manus, et humilitatem plantare, ubi radices egit ambitio, ac elatas, et Superbas cogitationes in manſuetudinis et moderationis Spiritum commmutare.*

339. Ob-

339. Obſtupeſcis Lector, an rides ad vaniſſimam, ſimul et inſolentiſſimam jactantiam——tumidi, ac ineptientis Thraſonis, qui Epitheſim ſuam tam palmaribus, et pudendis ſuffarcinat erroribus, ac corruptelis, ut commiſerandus potiùs ſit, quam refellendus: Et dum fatue Epinicia decantat, ſi fronti conſuleret, aut verecundiæ, denſioribus adhuc ſe tenebris obtegeret in abditis remotis, ne caſu detectus tot figmentorum, et impoſturarum Author promeritas falſariis, et corruptoribus luat pœnas. Siquidem ut hactenus toties ſuis locis annotavimus, truncando Textum, adulterando Senſum, pervertendo ordinem narrationis, veritatis ubique opprimendæ ſtudio exarſit, reticenda locutus, loquenda reticuit, ſejuncta conjunxit, adunata Semovit, falſa, et commentitia per ſingulas ferè paginas diſſeminavit, vera paſſim celavit. Attamen arrogantiſſime inſultat propudioſas ventilando ſui cerebri adinventiones, veluti totidem oracula, et quidem irrefragabilia, quæ perpetuum Adverſariis ad impoſſibile redactis imponant Silentium, nullamque patiantur refutationem, aut Reſponſum: Scriptum eſt Prover 2 *lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus peſſimis.*

340. Siſte tandem gradum deſipientiæ tuæ, et imaginariæ Victoriæ dejice trophæum, non hujuſmodi larvis, aut vacuis ſtridoribus terrentur Armacani, quo minus indubias ſuas, et perſpicuas prærogativas Primatiales tot ſummorum Pontificum Diplomatibus innixas contra Refractarios tueantur: Sed tui commiſerantes ſuadent, ut rediens ad cor reminiſcaris unde excideris, agnoſcas culpam de erecta in veritatem criſtâ, et canendo palinodiam, veniam depreceris. *Pro animâ tua ne confundaris dicere verum; eſt enim confuſio adducens ad Gloriam, et gratiam* Eccli 4. *Etenim apud miſericordem judicem nec ille fallax habetur, qui ad veritatem revertitur, etiam poſtquam mentitur, quia omnipotens Deus, dum libenter noſtram pœnitentiam Suſcipit, ipſe ſuo judicio, quod erravimus, abſcondit,* ut homil 29 in Evangel docet S. Gregorius. *Et ſicut laudabile eſt a vera Sententia non amoveri, ita culpabile eſt perſiſtere in falſa, quam nunquam tenere prima laus eſt, Secunda, mutare, ut mutata falſa vera Succedat.* Juxta S. Auguſtinum.

341. Id cum præſtiteris, ſi forte pro Scripturiendi libidine geſtiat tibi animus in hujuſmodi certamen deſcendere impoſterùm, novum compilando libellum famoſum, alios Solidioris judicii, perſpicacioris inge-

ingenii, et indolis candidioris adhibeas cooperatores, qui *ſine ſuperbia de veritate præſumentes, ſine Sævitia, proveritate certantes* (monente S. Auguſtino) et aſſecuti rectam intelligentiam ſine fuco, detorſione, aut offuciis Sincerè proferant in medium e vetuſtis monumentis, Bullis Papalibus, Conciliaribus ſtatutis, et compertæ fidei Authoribus deſumpta argumenta, quæ ſi æqua lance penſatis omnibus præponderent, nullatenus deſperandum eſt de curandis Armacanis agnoſcentibus cum fidelibus omnibus juxta canonem 14 Concilii Arauſicani Secundi depromptum ex S. Auguſtini lib de Bono perſever cap 23 quod *nullus miſer de quacunque miſeria liberatur, niſi per Dei miſericordiam præveniatur.* At quod ob unius ignoti dicaculi gerras, corruptelas, impoſturas, et commenta prævaricationis infamiam contrahant, inconcuſſa Eccleſiæ ſuæ jura, et prærogativas in Succeſſorum detrimentum ignominioſe proſtituendo ad libitum uſurpantium, non eſt cur ullus ſanæ mentis poſſit arbitrari, quicquid obſcurus criminator oblatret in contrarium.

342. Poſt exhauſtam Bilem, et vibrata, imo penitus conſumpta amaritudinis jacula in Adverſarios, veluti charitate flagrans Prædicator Evangelicus virulentis ſuis Philippicis coronidem imponit, uſurpans verba S. Lucæ cap 22: *Reges Gentium dominantur eorum, et qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, et qui præceſſor eſt ſicut Miniſtrator.*

343. Sed quorſum iſta in præſenti caſu, et quid ex Salutari illo, et cæleſti documento, omnibus Chriſti Sequacibus humilitatem meritò, et ſui abjectionem indiſcriminatim inculcante (de quo conſulendi interpretes præſertim Cornelius a Lapide in Matt cap 20: Marc X, et Luc 22. Janſenius Gandavenſis in concord Evangel cap 70: cap 104, et 133) quid inquam concludit criminator? An forte ut contra ordinationem Redemptoris omne auferatur ab Eccleſia Hierarchicum Regimen juxta fanaticum deliramentum Recentiorum independentium Calviniſtarum? Adeoque nullus ſit Presbyteris poteſtate major Epiſcopus, nec Epiſcopis præcellat Metropolitanus, nec ſuper illos conſtituatur Primas, ſeu Patriarcha, nec omnes ubique Gentium fideles ſua juriſdictione complectatur Chriſti in Terris Vicarius Romanus Pontifex?

344 Abſit

344. Abſit tam immanis, imo impia, ac Sacrilega confuſio, et inſtitutionis divinæ prævaricatio. Si tamen vertiginoſo cèrebro pervertenti paſſim genuinum Senſum, et in longe alienum, imo contrarium detorquenti ita incidat, inciperet Saltem a Clientibus ſuis Archipræſullbus Caſſelienſibus et Dublinienſibus (ſi quandoque contingat ordinari a Sede Apoſtolica) eoſque moneret, ac induceret, ne refragando doctrinæ Chriſti Domini ullam aſſumant, vel exerceant poteſtatem in Epiſcopos Suffraganeos, nec ipſi Suffraganei in clerum ſuæ Diæceſis, et cum talem apud ſuos induxerit reformationem, ſeu potiùs execrandam corruptionem, progrediatur ad alios.

345. Sed quoniam id nunquam inter Catholicos præſtabit, qui ob tam demens attentatum vincula promereretur in carcere S. inquiſitionis' nec impediet, ne illi Venerabiles Præſules indultam ſibi ab omnium Dignitatum inſtitutrice Romana Eccleſia authoritatem obeant licitè, et ex debito officii in Subjectos reſpective Epiſcopos, et clericos abſque irreverentia, aut violatione monitorum Salvatoris, patiatur ſimiliter, ut nationum Primates, et Patriarchæ pro poteſtate ſibi conceſſa ab eadem Eccleſia ſuo pariformiter fungantur officio in ſubditos Archiepiſcopos, Epiſcopos, et Provincias. Qui enim facit quod jure permittitur, injuriam facere non cenſetur, quoniam juris Executio non habet injuriam: L. injuriarum Actio ff de injuriis

346. Hactenus latitantis Tenebriònis veſtigia proſecuti Technas, et commenta deteximus, convicia, et impoſturas, (quantum licuit per alias graviſſimas curas otium continuò interpellantes) pro modulo refutavimus pinguiori quidem Minerva, et Stylo minus limato, immixtis forte hinc inde acrioribus acultis, quos tumidi, et inſuletantis provocatoris (*ſi valeant, ſi audeant congredi Adverſarii*) in innocuos ubique Sævientis atrocia maledicta extorſerunt, cui proinde imputari debent, juxta Patres ſupra commemoratos num X, non illi, quem reſpondendi neceſſitas, et oppreſſæ veritati Subveniendi ſtudium ad redarguendum impulerunt. Quæ omnia ad Sanctæ Matris Eccleſiæ judicium refert Author, et Seipſum. Ita ſincere proteſtatur.

H. A.

FINIS.

In nomine Domini.

1. CUM ad Curiam Metropolitanam Armacanam totius Hiberniæ Primatialem vocem Appellationis emitteret Valentinus R. Paſtor unitarum Parochiarum S. S. Jacobi, et Catharinæ Dublinii opportunum poſtulans remedium contra arbitrariam diſpoſitionem R. R. A----pi Dublinienſis, qui nullo obſervato Legali proceſſu, aut forma judicii, etſi ſæpe etiam porrecto ſupplici Libello flagitatus appellantem prorſus inauditum privavit ſua Parochia S. Catharinæ ultra octo annos pacifice poſſeſſa ſub interminatione Suſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ſi ſe amplius functionibus Paſtoralibus inibi immiſceret; illamque Parochiam contulit Felici C. copiam comminatoriæ ſuſpenſionis, ſicut et Apoſtolos quamvis inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime petitos poſcenti Valentino denegavit. Qua legitima cauſa expreſſa juxta cap Romana de Appellat in 6º dictam appellationem admiſimus, et inhibentes ne quidquam innovaretur ante definitivam injunximus, ut Partes, et habentes intereſſe copiam actorum cum omnibus Titulis, et documentis ſpectantibus ad inſtructionem Proceſſus ad nos tranſmitterent: Quod iterum 28, et 3º mandavimus aſſignatis terminis competentibus, et peremptoriis ultra quos illis amplius non expectatis cauſa fine debito terminaretur.

2. Sed quia pacifico intenti ſtudio ſedandæ diſcordiæ, quamvis de juriſdictione, et competentia noſtra Securi, et certi omnino fuiſſemus, ad evi-

ad evitandos tamen hac flebili tempestate incongruos strepitus judicii tot discriminibus obnoxios, hoc solo intuitu paratos nos obtulimus hac vice declinare processum (juribus nostris, et cujuslibet alterius alias Semper salvis) modo Partes convenirent de Arbitris celeriter, et tranquille composituris dissidium. Quod consilium illico amplexi sunt Competitores Valentinus, et Felix, declarante Valentino nihil se antiquius habuisse ab initio, quam aliqualem formam Auditorii, ubi liceret legaliter experiri de jure suo, et producere documenta. Attamen salubre hoc temperamentum multorum etiam sublimiorum judicio maximè opportunum respuit A——ps.

3. Quapropter Appellatis per Quinque integros menses non comparentibus, nihilque opponentibus per se, vel Procuratorem, cum contumax censeatur, qui non comparet assignato etiam unico termino, et ut talis condemnari possit in expensis absque beneficio Appellationis, et in causa procedendum sit: *Can de illicita § Quicunque 24 quæst 3: Cap cum olim de testibus: Cap ex Litteris*, et *cap. cum Dilecti de dolo, et contum: Cap. cordi de Appellat. in 6°*. Ad iteratam instantiam Actoris conquerentis se novis indies gravaminibus oppressum, meritum causæ discutiendum Suscepimus.

4. Imprimis expostulat Actor, quod judex a quo nihil moratus intimatam inhibitionem, aut Appellationem interjectam, qua pendente nihil innovandum, sed omnia relinquenda in pristino statu præscribunt Leges Civiles, et Ecclesiasticæ L. *unic ff. nihil innovand Appellat pendent: L. 3 cod de Appellat: Can Appellationem 2 quæst 6: Cap Solicitudinem vers nam ad officium*, et *Cap bonæ memoriæ de Appellat: Cap non solum eod tit in 6°*. Nihil inquam hæc moratus judex a quo coadjutores Appellantis suspenderit a Servitio Parochiali. Non deliquerunt hi Coadjutores nullo modo immixti controversiæ, sed sedulò, ac sine querelà instantes curæ animarum sicuti consueverunt. Non deliquit Grex semotis operariis spirituali solatio destitutus quippe intento fini aptum visum est medium substrahere ministros, ut Valentinus derelictus, et Solus impar oneri, (cum nullus Dublinii Pastor sine adjutoribus sufficiat ad deserviendum Capellæ) cogeretur vel invitus jacturam subire, et dimittere Parochiam.

5. Sed cum nec sic in totum ex voto responderet Successus, eo devenit rigoris ut tandem ipsum Valentinum Anathemate percusserit, immissis præconibus ostiatim per totum districtum, qui illum

excommunicatum vitandum, omnesque ejus functiones, seu administrationes pernicioſas, et ſacrilegas denunciarent. eo ſolo prætex quod auſus fuerit Dublinio provocare Armachiam. Legimus ſummos Pontifices præſertim Pium 2m Conſtitutione incipiente *Execrabilis*, et Julium 2m Conſtitutione *Licet olim* gravibus, et efficacibus rationibus ibi videndis permotos, latæ ſententiæ excommunicatione innodaſſe quotquot a ſtatutis, aut mandatis Romanorum Pontificum ad futurum concilium Appellationem intermittere auderent. Quod etiam repetitur in Bullà Cænæ, ubi pariformiter excommunicantur in cauſis fori Eccleſiaſtici recurrentes ad Curias Sæculares: Quod Sanxit quoque Martinus quintus Decretali *ad reprimendas inſolentias*. At quod tam gravis pæna, nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non temerè, ſed magna circumſpectione exercendus, uti cavet Concil Trident Seſs. 25, Cap. 3. infligatur provocantibus a Præſulibus Catholicis inferioribus Summo Pontifice ad alios Præſules Communionem Sanctæ Sedis habentes, potiſſimum ſi fiat a Metropolitanis ad Primates, ut gradatim perveniatur ad judicium Tribunalis ſupremi, nullum alibi Gentium, ni fallor, Specimen unquam auditum fuit in Orbe catholico: Cum doceamur diſt 99 in principio: *Ab Archiepiſcopis quoties opus fuerit Epiſcopi ad Primates appellant*. Et præter alibi occurrentes concordat *can ſi inter 6 quæſt 4*: Et *can omnis 2 quæſt 6*, Ubi can *Appellationem* monet S. Fabianus Papa: *Appellationem non debet afflictio ulla, aut carceris, aut detentionis &c. injuriare cuſtodia* (excommunicatio autem maxima cenſetur afflictio inter fideles) Appellatio enim cum ſit Species defenſionis, nullo jure denegatur oppreſſo dict *can omnis 2 quæſt 6*: *Cap. inter de except*: *L. 1 ff de Appellat*. Et judici per Appellationem non fit injuria *L. et in majoribus cod de Appellat*. Niſi fortè eſſet omnino independens, et abſolute ſupremus in Eccleſia, qualem Vicarium Chriſti Succeſſorem Petri ſolum agnoſcant Orthodoxi.

6. Hujuſmodi autem recurſus a Curia Dublinienſi ad Armacanam nova, et vetera occurrunt, exempla, etſi rarius a Sæculo ob temporum moleſtias. at rerum potiti Primates Proteſtantes præced[illegible]tium in hoc Catholicorum veſtigiis inhærentes non tantum Dublinio, ſed undequaque ex toto Regno palam admittunt, et decidunt litigia, ſed etiam in ipſa civitate Dublinienſi jus dicunt, et tenent auditorium abſque moleſtia, aut contradictione. Tam æquos ſe, et moderatos

tos intra juſtos limites exhibent Proteſtanticæ communionis Archiepiſcopi, ut quamvis habeant præ manibus quicquid affertur, aut afferri poteſt pro prætenſa exemptione Dublinienſi, illud tanquam frivolum, et inane deſpicientes, nullam circa hunc articulum moveant difficultatem.

7. Nunc propiùs ad rem. Actor omiſſis prolixitatis vitandæ gratia pluribus aliis, adducit octo teſtes videndos in Actis, omnes Incolas dictarum Parochiarum, ſpectatæ vitæ, et graves ætate, quorum quidam ſeptuageſimum, alii ſeptuageſimum octavum, alii octogeſimum quintum annum agunt, qui jurati tactis Evangeliis deponunt, ſicut propriâ experientiâ obſervarunt, et didicerunt a majoribus, præfatas parochias S. S. Jacobi, et Catharinæ a tempore immemorabili fuiſſe unitas, et ſucceſſivè poſſeſſas ab uno, eodèmque Paſtore, quorum quinque a ſe viſos Parochos enumerant, Scilicet D. D. Brohy, Dunn, Moore, Sweetman, et Plunkett prædeceſſores Valentini R. a ſexaginta, et ampliùs annis. Quod juxta calculum temporis contingere debuit a Regimine Archiepiſcopi Flemin uſque ad poſtremum (ſub quo præſente, et vidente dictas Parochias per aliquot annos poſſedit D. Brohy) occupantibus ſedem Dublinienſem R——mis Talboto Ruſſello, et Creveo, qui canonum periti, (non enim ad Solos ſuperſtites pervenit Sapientia) nequaquam illud approbarent, aut permitterent, ſi reverà duas Parochias diviſas, non potius unicum Beneficium ratione Unionis cognoſcerent, vetante *cap Quia in tantum de præbend*, et *cap dudum Eccleſia vers cum nullus de Elect*, aliiſque compluribus Decretalibus.

8. Sciebant proculdubio Viri Venerabiles, et vigilantes duo Beneficia curata utpote incompatibilia non poſſe ſine indulto Apoſtolico poſſideri ſimul ab uno, et ne quidem alterutrum eorum ab Epiſcopo poſſe commendari ultra Sex menſes. *Cap de multa de præbend*: Et *cap nemo deinceps de Elect in 6º. Concil Trident Seſs. 7, Cap. 4, et 5*: *Et Seſs. 24, Cap. 17.* Ac obtento hujuſmodi Secundo Beneficio incompatibili, primum vacare ipſo jure, ac alteri conferendum infra ſex menſes, alioquin devolvitur ad Superiorem, et negligens in conferendo, non ſolum excidit poteſtate diſponendi pro illà vice, ſed etiam tantum de ſuis proventibus cogitur in utilitatem Eccleſiæ, cujus eſt Beneficium aſſignare, quantum a tempore vacationis ipſius conſti-

terit

terit esse perceptum, dict *cap. de multa de præbend: Clement si plures*, et *Clement fin eod tit*, ab hac Regula, et pœna incompatibilium excipiuntur duntaxat Beneficia unita, quæ licite possidentur simul ab eadem Persona *cap dudum Ecclesia vers nisi una de Elect:* Et *cap eam te, vers quæ ex una de ætat, et qualit, et ord præfic.*

9. Absit autem a fidelium mentibus credere tam pios, et accuratos Antistites ultra infractionem Sacrorum canonum obligantium in conscientia, voluisse incurrere hujusmodi negligentiæ pœnam, aut remissiores, vel culpabiles extitisse tot annorum curriculo non examinandis, Similibus unionibus, et revocandis quas sine legitimis, et rationabilibus causis factas constaret juxta præscriptum concil Trident Sess. 7, Cap. 6. unde tantorum Præsulum Veneratio exigit, ut credantur in tam gravi negotio non defuisse officio suo, sed potius Examinatione facta reperiisse Unionem dictarum parochiarum ritè introductam, et licitè continuatam. Quia unio etiam in dubio præsumitur facta contemplatione Ecclesiæ cui sit, et de sui naturâ perpetua est: *Cap novit ne sed vacant, et ibi D. D. cum Petro de Perus in tract de union Eccles in cap extirpandæ § si vero de præbend, et Prospero Fagnano num* 58. Et unio ab initio valida, ac effectum sortita, postea ob futurum eventum ipso jure non dissolvitur, Dict *cap novit, ne sed vacant, ac Fagnanus ubi Supra.* Et tenuit *Rota in antiq decis* 183. Tandem omnem prorsus tollit ambiguitatem decisio S. S. Congregationis concil Trident Interpretum, quæ habetur inter declarationes impressas simul cum ipso concilio editionis Lugdunensis an 1624 ad Cap 13, Sess. 24 in hæc verba: *Si duæ Parochiales per consuetudinem, quæ per Quadraginta annos viguerit, semper tanquam unitæ uni semper collatæ sine dispensatione fuerint, earum possessor non est molestandus.* Quam decisionem refert quoque *Zerol in praxi Episcop P. 1 verb unio vers ad Sextum*, Ubi addit pariter declaratum fuisse a S. S. Congreg illud tempus 40 annorum currere etiam a publicatione Concilii.

10. Commemorat Actor tres Ecclesiasticos, totidemque Sæculares, quibus præsentibus sibi Actori dictas Parochias contulit Ill S. Dub s. Pastoremque, et Successorem D. Brohy ultimi possessoris pacifici declaravit. Sæculares, interrogati privatim fatentur talem declarationem coram se factam, juridice tamen deponere juramento detrectant veriti offensam sui Met——i. Nec melior Successus sperandus

randus est ab Ecclesiasticis utpote magis dependentibus, et propius obnoxiis indignationi, si sui Ordinarii obniterentur voluntati. Quæ mirabilis meritò videretur reluctantia in tam promptis alias, et paratis ubique obsequi nutibus Ill^mi, si mera facti narratio, aut nuda veritatis depositio rite præstita plus illius faveret intentioni, quam Actoris. Cum nullus supersit modus cogendi Testes ad ferendum testimonium nisi inflictio censurarum, aut excommunicationum non convenientium tempori præsenti, juxta cautelam Concilii Trident ubi Supra, visum est abstinere: Præsertim cum Actor credat posse aliundè ad Sufficientem causæ instructionem perveniri.

11. Pro Supplemento Matthæus Brown Septuagenarius teneræ conscientiæ, et bonæ conversationis testimonio a vicinis, et notis multum commendatus, medio juramento tactis Evangeliis asserit sibi commendanti ut Valentinus R. institueretur Pastor, et Successor defuncti Brohy in Parochiis S. S. Jacobi, et Catharinæ, respondisse Ill^m his verbis: Illas ipsi dabo, et erit Pastor illarum Parochiarum: Et sub eodem juramento tactis pariter Evangeliis asserit præfatus Brown sibi postea eodem die asseverasse N. Doyle Parochum de Molyhederna quod in suâ præsentiâ declaraverit Ills Valentinum R. Pastorem dictarum Parochiarum. Petrus Barnewall vir honestæ conditionis et æstimationis in populo juramenti vinculo tactis Evangeliis adstrictus deponit, quod cum audiret Valentinum R. institutum Pastorem, et Successorem defuncti Brohy accesserit Ill^m, et gratulando dixerit Parochianos devinctos ob factam dispositionem, et quod responderit his, aut æquivalentibus verbis Ills se contulisse dictas Parochias non ob gratiam Parochianorum, sed ob meritum Collatarij Valentini.

12. Insuper ipse Actor Valentinus more Sacerdotali jurejurando affirmat se institutum fuisse Parochum S. S. Jacobi, et Catharinæ per ipsum Ill^m, ac vigore illius institutionis adiisse possessionem, et gavisum fuisse ultra octo annos pacificè sine ullâ interruptione, aut molestiâ ex parte ordinarii, aut alterius ullius Competitoris: Sed e contrario Ill^m: secum egisse toto tempore haud secus ac cum aliis Pastoribus civitatis, et Diæcesis tum visitando, tum concedendo singulis annis Sacra olea, ac recipiendo Proxim, seu Subsidium a Pastoribus dari consuetum ordinariis hujus Regni aliam non habentibus sustentationem, aut Proventum. Idem quoad articulum pacificæ ultra octo

to annos poſſeſſionis, ita ut nulli Parochiano, aut alteri in Civitate, vel Diæceſi (quod unquam audiverint) Suſpicio, vel dubitatio inciderit, quin Valentinus R. fuerit Paſtor dictarum Parochiarum ab ordinario legitimè inſtitutus jurejurando affirmant teſtes ſupra memorati num 7. Quantum autem vim habeat etiam in dubietate fama vicinię docet *cap illnd vers verum de præſumpt.*

13. Accedit quod D. Patricius Golding deputatus Coadjutor Valentini, etſi interim conſtitutus Vics Gs. ac a fortiori dignus eſſet cura Parochiali ante plures alios, attamen ipſi alia non fuerit facta Proviſio ab Ordinario, niſi pinguior præ reliquis Coadjutoribus proportio in Accidentibus, ſeu Caſualibus ut vocant, reſervata Valentino tanquam vero, et unico Paſtori annuâ ſubventione, quam per modum Salarii Singulæ familiæ, præſertim opulentiores pendunt Parocho. Et dictus Golding ita aliquot annos perſeverans uſque ad mortem, coram Perſonis Spectati nominis etiamnum viventibus ſe coadjutorem tantum, Valentinum autem Paſtorem declaraverit. Adducitur præterea teſtimonium Subſcriptum a prope cæntentariis, et precipuis Incolis Parochiarum S. S. Jacobi, et Catharinæ atteſtantibus Valentinum R. honeſtate vitæ, ac virtutum ornamento commendabilem ſuum fuiſſe Paſtorem octo annis, ac ita ſe geſſiſſe uti decuit bonum, et vigilantem Parochum debitè, et accuratè inſerviendo Gregibus in omnibus Spectantibus ad Spiritualem animarum incolumitatem, nullamque toto tempore querelæ, aut offenſæ de ſe præbuiſſe anſam, vel Suſpicionem.

14. Jam vltra beneficium Regulæ de Triennal poſſeſs adjudicantis proprietatem poſſidenti pacificè tribus annis ſine vitio intruſionis, aut labe Simoniæ, modo vel Colorato etiam titulo innitatur (qualem ad minimum juriſperiti allata teſtimonia, et adminicula arbitrantur) tradunt Doctores: Si Prælatus habens poteſtatem conferendi, præſens, et videns clericum in poſſeſſione Beneficii, ac munia Beneficialia exercentem, et diu tacuit eum non amovendo, dum potuit. tacitè conſentire videtur, et approbando dare legitimam inſtitutionem, nec illum amplius ſuper poſſeſſione aut proprietate inquietare poteſt, ſed Sibi debet imputare quod tam diu ſuſtinuerit. Quidam tamen pro majori elucidatione diſtinguunt: Nam vel Beneficiatus diu toleratus fuit in poſſeſſione per Prædeceſſorem, ſed Præſul modernus nunquam conſenſit tacite, vel expreſſe, quia de recenti adeptus eſt Dignitatem: Et tunc pro ſuâ Satisfactione adigere poteſt poſſeſſorem, non ad exhibendam inſtitutionem, ſed

ad

ad juramentum Suppletorium de veritate facti: *Arg L. hæc consultissima § at cum humanis cod qui Testamenta facere possunt.* Et L. *generaliter cod de rebus cred.*

15. Sed si ipsemet Præsul præsens, et Sciens possessorem diu toleravit, non poterit eum amplius molestare: Et habent locum dicta superius *arg cap 1 vers quia si proclamare de frigid, et malefic*: Et *cap ex ore vers per hoc quod dicto de his quæ fiunt a major part capitul*: *Cap diversis vers nisi forte de cleric conjugat.* Et ita in specie docent Ancharanus in *cap Ordinarii de offic ordin Lib. 6.* Zanselinus in *cap Licet Heli de Simon.* Hostiensis ibi *num 5 vers supradicta intelligas.* Felinus *num 17.* Joan Andr. *num 7 vers sed intelligit*: Butry *num 13 vers casus est hodie*: Cardinal *num 7 vers non autem semper.* Anchar eod *num 7 vers et prædicta*: Felin *num 10, et Cons. 2 num 27*: Calderus *in cons 302, alias 10 de rerum permut*: Feder de sen in *cons 234, 1062 vers et est simile*: Gemin *cons 87 nnm 2 vers roboratur*, Abbas *num 22 in fine*: Joannes de Anan *nnm 27*, qui *num 34 ad fin vers tu autem considera* ait sic tenere omnes Doctores.

16. Non negandum posse Ordinarium tanquam Sedis Apostolicæ delegatum etiam invitis Rectoribus dividere Parochias juxta Decretum concil Trident Sess 21, Cap. 4: Non aliter tamen, quam concurrentibus omnibus expressis in Constitutione Alexandri 3i incipiente *ad audientiam de Eccles ædific*: Ibidem renovatâ a Tridentino, uti statuit etiam S. S. Congregatio Interpret in declarationibus impressis, de quibus supra ad dict cap quartum: Et necessariò requirit ad talem divisionem, ut Ecclesia Parochialis ita distet, ut Parochiani non possint illam adire ad percipienda Sacramenta &c. Quod nullo modo urget in casu præsenti, cum notorium sit de facto, et ex testibus adductis num 7 juramento affirmantibus constet omnes Parochianos S. S. Jacobi, et Catharinæ tam hyeme, quam æstate, Sive pluviæ inundent, sive exuberent Aquæ, nullam pati difficultatem viarum, quin sicco pede super pavimentum stratum lapide, die, noctuque accedere valeant ad consuetam, et vicinam Capellam Valentini R. et est eadem, quæ fuit tempore Prædecessoris Brohy, nullamque hactenùs factam, nec fieri de præsenti a Parochianis desuper querelam.

17. Notatur etiam quod cum Ills conferret Felici C. Parochiam S. Catharinæ, ex hoc non intenderit erigendum novum Sacellum, sed

multiplicatis tantum Paſtoribus antiquam Capellam ambobus remanere communem. Ibidem S. S. congregatio cenſuit etiamſi Populus adeo ſit numeroſus, ut unus Rector ſufficere non poſſit Sacramentis adminiſtrandis, minimè licere Ordinario erigere novam Parochiam, Sed uti debere remedio dicti capitis quarti in principio, cogendo videlicet Rectores, ut tot ſibi Sacerdotes adjungant, quot Sufficiant ad Sacramenta adminiſtranda, et celebrandum officium Divinum.

18. Nèc prætereundum etiam quod caſu, quo dicta parochia S Catharinæ verè hactenùs vacaret a deceſſu Paſtoris Brohy recurrente nono anno, jamdudum devolveretur ejus Proviſio ad proximum Superiorem ob negligentiam Ordinarii non conferentis intra Semeſtre a die notitiæ *cap poſtulatis*, et *cap nulla de conceſs præbend* : *Cap ſicut nobis*, et *per totum de Supplend neglig Prælat.* Et quamvis ita negligens ſi elapſo tempore ſtatim, vel brevi intervallo moram purgaverit conferendo Perſonæ idoneæ, tolerari de miſericordiâ, ſeu patientiâ poſſit ejus collatio, alias de jure nulla *cap Litteras de Supplend neglig Prælat.* Attamen ſi in hujuſmodi negligentia diutius perſeveraverit (quid ſi octo integris, et amplius annis) Collatio per ipſum poſtea facta non valet, ſed eâ non obſtante libere diſponit Superior, nec licet moram purgare, aut petere in integrum reſtitutionem, etiamſi Superior jure devoluto nondum contulerit arg et text *cap Licet*, et *cap Dilecto eod tit.* Innocent *verb Sex vers nos autem dicimus in cap nulla de conceſs præbend.* Hoſtiens ibid *num* 3. Joan Andr. *num* 14, But^r *num* 15 Anchar *num* 18. Imol *num* 12. Abb *num* 11. Collect *num* 20. Proſper Fagnanus *num* 26 : Et iterum Joan Andr. in *Clement unic de in integrum reſtitut.*

19. Non facile credendum eſt (etſi multi ita ſibi aſſerant conſtare) Ill^m ad eluendam exceptionem devolutionis contendere, et Scripſiſſe foras. Parochias noſtras non eſſe vera Beneficia regulis devolutionis obnoxia, ſed manualia ſolummodò officia, ſeu miniſteria, et Paſtores in hoc Regno Vicarios duntaxat amovibiles ad nutum Ordinariorum &c. Cum obvium ſit legenti Canones Parochum debere eſſe non conductitium, aut præcarium, Sed fixum, et ſtabilem ad vitam, ſicut mandavit Innocentius 2^s *can præcipimus* 2^s *quæſt* 2 : *Præcipimus ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur, et unaquæque*

Ec-

Eccleſia, cui facultas Suppetit, proprium habeat Sacerdotem : Quod etiam ſtatuit Evgenius 3, et S. Gregorius *can ſatis perverſum diſt* 56 Scribit, *Satis perverſum, et contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram ut fruſtra pro quorundam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa, vel facinus ab officii, quo fungitur, gradu non dejicit.* Et eſt mens concilii Trident Seſs. 21, Cap. 6. Prohibentis removeri Parochos ob eorum imperitiam, ſi alioqui honeſte vivant, ſed jubentis, ut eis Coadjutores, et Vicarij deputentur.

20. Et notorietate publica conſtat Ordinarios noſtros, haud Secus ac alibi, in hoc puncto fuiſſe obſervantiſſimos conferendo parochias in titulum fixum, et ſtabilem ad vitam plerumque Scripto inſtrumento, quandoque condonatione verbali, ob rationem quam norunt fideles. Conſtat pariter ſummos moderatores pro ſuprema poteſtate toties conceſſiſſe in titulum Parochias noſtras expeditis in hunc finem Diplomatibus (ut contigit etiam Dublinij, et multis aliis in locis) quorum nonnulla remiſſa fuerunt ad ipſum Ill^m D——m conſtitutum Commiſſarium, ſeu Executorem, nec minus certum eſt pleroſque de clero noſtro extitiſſe promotos ad S. S. ordines titulo Beneficii ſuper hujuſmodi parochiis, quod nequaquam ſubſiſteret vetante Concil^o Trident^o Seſs. 21, Cap. 2. Neque ſupremi Moderatores ſeſe immiſcerent, ſi parochiæ in hoc Regno non vera, et fixa Beneficia, ſed Manualia, ſeu temporalia miniſteria ad nutum revocabilia fuiſſent. Præterea fert commuuis opinio, et aſſerunt multi fide digni ipſum Ill^m D——m non modò conferre Solitum tum verbo, tum Scripto Beneficia Sita in proprio Diſtrictu, ſed quandoque etiam in Suffraganeo, quod contigiſſe affirmant in caſu N. Redmundi, cui contulit parochiam Diæceſis Fernenſis, quam prætendit devolutam ob negligentiam Ordinarii, non conferentis intra tempus a jure Statutum, nec inde amoveri potuit Redmundus tali authoritate ſuffultus in poſſeſſione, donec Fernenſis legitimis documentis oſtendit ſe diſpoſuiſſe de dictâ parochiâ ante elapſum Semeſtre. Quo quiſque jure in alium utitur, idem adverſus ſe quoque valere, et decerni patiatur *L. hoc edictum ff. quod quiſque juris. Cap cum omnes de conſtitut.*

21. Ex hactenùs viſis deducit Actor primò dictas Parochias S. S. Jacobi, et Catharinæ (etſi duæ denominentur) non eſſe reverâ niſi unicum Beneficium ob rationes ſupra exhibitas num 7, 8, et 9. Deducit Secundo nullum occurrere in præſenti caſu legale motivum cur illud

illud Beneficium dividatur juxta probata num 16, et 17. Deducit tertio se tanquam legitimum Pastorem canonicè assecutum possessionem, et proprietatem ex probatis a num 11, ad 16, esse, et fore manutenendum, ac Adversarios condemnandos &c. unde concludit et petit &c.

22. Quibus attentè consideratis Christi nomine invocato, et Assistentiâ Sti Spiritûs Solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam Sententiam, quam de jurisperitorum consilio ferimus in his Scriptis declaramus fuisse benè appellatum per Valentinum R. et male processum per Ill^m D——m, prætensam excommunicationem, omnesque innovationes, ac immutationes factas, et attentatas pendente appellatione, irritas, et inanes pronunciamus, ac quantum necesse irritamus, et cassamus, dictamque Parochiam S. Catharinæ cum omnibus juribus, et pertinentiis Spectantibus ad Pastorem Romano-catholicum Actori Valentino R. sibi debitam adjudicamus quoad vixerit. et Reis convictis perpetuum Silentium in præmissis imponimus: Victosque Victori in omnibus damnis, Expensis, et interesse, sicut et in refundendis omnibus Emolumentis tam perceptis, qnam percipiendis, aut quæ percipi potuissent a Die perturbatæ possessionis, usque in Diem perfectæ redintegrationis condemnamus. Ita declaramus, pronunciamus, cassamus, condemnamus, et definitivè Sententiamus, non solum præmisso, sed omni alio meliori modo, &c.

Memorandum.

Cum a quibuſdam nova molientibus Suſurratum ſuiſſet, D. Philippum Tully, Paſtorem parochiæ de Kilmore, Diœceſis Kilmorenſis (quæ metropoli Armacanæ Suffraganea eſt) adictâ ſede Metropolitana et Primatiali appellaſſe Dublinium, Inſolens illud attentatum et hactenus inauditum in hoc Regno, ſtupore perculit omnes de prærogativis Armacanis aliquatenus edoctos, Scienteſque toties Dublinio appellatum fuiſſe Armachiam nunquam vero viceverſa. Quamprimum Rumor ille Dicto Philippo Tully, innotuit factum penitus denegavit, imo ægerrimè tulit (tam inviſam temeritatis et arrogantiæ labem inuri famæ Suæ, Faſſus eſt tamen quod, cum Arbitrorum a Se electorum ſententia putaret ſe læſum, et remedium non afferret Armacanus, recurrerit ad Supremam Sedem, rogaveritque Moderatorem Dublinienſem quatenus querelam Suam, in Urbem tranſmittere et inibi peraſſeclas Suos, proſequi dignaretur. et certe prætenſum gravamen in urbe comparuit ubi tanquam frivolum, et inane deſpectui habitum, et inde remiſſum Apographum fuit.

Si vere provocaſſet Dublinium et ſe competentes Judices exiſtimaſſent Dublinienſes, mirum quod Illius non Suſceperint Patrocinium citando partes (ſicut ubique moris eſt) requirendo acta prioris Inſtantiæ, inſtruendo proceſſum et Sententiam definitivam pronunciando, potius quam Supprimendo in tenebris oſtentatam provocationem, denegare tutelam recurrenti. at apprimè noverunt quam irrita; ridicula et offenſiva appareret tam enormis et nuſquam hactenùs audita Canonum et rectæ Subordinationis Inverſio, donec forte futuris temporibus more majorum Suorum, hanc fabulam carioſo ſuo Regiſtro veroſimiliter inſerendam, veluti antiquitatis obtentu venerandam, plauſibilius venditarent ac poſteris imponerent. Nec enim recens eſt larvata hujuſmodi offuciarum machinatio apud Dublinienſes; Viſum quippè eſt Primâ parte num. 76, et 317. Joannem Allanum elapſis 167, annis ab obitu Innocentij VI, illi affinxiſſe Deciſionem inibi commemoratam, et Archiepiſcopum Lucam primum oſtentaſſe pretenſum privilegium Lucij III, non niſi poſt 50a annorum Curriculum ab ipſius morte. Quidni eadem Suſpicio de ſubſequentibus Dublinienſibus, ſine notâ temeritatis incideret? præſertim cum quidam illorum dicantur hoc ſuum intentum intimaſſe. Ut autem curioſis veritatis indagatoribus totius rei geſtæ

Memorandum.

Summarium, et quidem Authentice, innoteſcat; Sequitur ipſa Philippi Tully Declaratio his genuinis verbis ex Anglicano, idiomate in Latinum Tranſlatis.

Cum rumor (ut audio) percrebeſcat me infraſcriptum Paſtorem de Kilmore, Diæceſis Kilmorenſis appellaſſe a Sede Primatiali Armacana, ad Dublinienſem, Hiſce Declaro quod nunquam directe vel indirecte, id præſumpſerim, nec etiam mihi in mentem venerit tale attentatum licite aut valide poſſe practicari. Verum quidem eſt quod, me a Moderatore Armacano gravatum autumans, Supremum Judicem appellaverim, apud Quem Patronorum ſollicitationibus deſtitutus, rogavi A———m Dublinienſem alioſque notos ut Appellationem meam, in Urbem tranſmittere, ibidemque proſequi non gravarentur. Si quidquam ultra Superadditum fuit, a meâ agendi ratione, et Intentione prorſus alienum, imo contrarium eſt, et inſertum a Procuratore S. L. Cui (quoniam mihi poſt trium hebdomadarum Commorationem Dublinij, diutius remanere non vacaret) nudum folium (vulgo Blanco) a me Subſignatum reliqui, cum aliis documentis meam concernentibus querelam, ad S. Sedem immediate dirigendum, Injungens ut poſtulata mea Supremo Judici in Supradicto folio cumulate exponeret. Ita Jurejurando more ſacerdotali, et tacto pectore affirmo.

Phi lippus Tully,
Parochus de Kilmore.

QUadruplex deſuper a dicto Philippo Tully, reperitur edita Declaratio, volentibus inſpicere Satis obvia. 1ª coram Doctore Michaele Reily, Parocho de Cavan, V. G. K. et *D.D.* Patricio Lynch, ac Hugone Brady, reſpective Parochis de Annah, et Kilferdeny Diæceſis Kilmorenſis. 2a coram præfato Doctore Reily, et Hugone Fitz Patrick, Presbytero Diæceſano. 3ª præſentibus Memorato Doctore Michaele Reily, atque Hugone Dugan, dicti Philippi coadjutore. 4ª coram *D.D.* Waltero Deaſe, paſtore de Killbride Diæceſis Midenſis, et Carolo Reily, Paſtore de Old Caſtle, ejuſdem Diæceſis, ab Ordinario ad excipiendam juratam Philippi depoſitionem deputatis Commiſſariis. Omnes hi teſtes etiamnum ſuperſunt, et conſuli poſſunt, ſi Forte cuiquam de facti, tam notorij et perſpicui veritate incideret dubitatio.

Jus

Errata Typographica Corrigenda.

Pag.	lin.	Lege:
7	9	*Paria*
8	6	*referunt*
16	8	*alſonæ*
20	24	§ *hoc quoque*
25	12	*Sancita*
26	2	in caſu
27	7	ut pote
28	28	Cantiorum
ibid.	34	multaſque
29	31	prævaricationis
30	25	aliqua gens
ibid. ult.		adducenda
39	23	aliarum
ibid.	28	Juriſdictio
40	5	ſubnixus
ibid.	12	Canonis 20mi
43	26	Sacrorum
46	9	Siritè
47	3	Magiſtro Militum
54	16	omnis
58	2	Incendiarij
ibid.	7	ad an. 1213
ibid.	8	*an.* 1212
59	25	intra muros
67	22	præferunt
71	8	*et* Authoritate
72	14	*Metropolitans*
73	9	*Roll*
79	9	Deſerit
82	6	Zachariâ *Papâ*
83	10	Regum
86	23	certè
90	24	*Sede*
92	9	*Speciali*
93	19	*mærorem*
94	5	*in hoc* immunitas
100	25	*recenſuit*
101	14	*dicentes*
102	1	*pallio*
ibid	22	*Dublinienſi*
107	1	*Regibus*

Pag.	lin.	Lege.
ibid	29	*mordicùs*
108	30	adan 1095
109	21	*et* Muriertachi
ibid.	29	*Primatûs*
ibid. ult.		*Reges*
111	20	*Pag.* 84
113	2	diſt 99 decernitur
114	17	poſt (Horatianus) adde lib. 2. Sat. 8
ibid.	19	viridis, *inulas*
120	4	*Pr mò*
ibid.	10	*ſed*
121	*penult.*	aut
122	*ult.*	dele per et pone *in*
124	9	*tranſiit*
ibid.	18	pag 229
ibid.	24	*Iberiam*
ibid.	26	*Can hi* vero
ibid.	34	*utramque*
145	1	*ad eos*
ibid.	30	*Subſcriptione*
ibid.	34	*ſive*
148	31	*a S.* Bernardo
149	2	*munia*
ibid.	22	*Pontifices*
150	13	*præeminentia*
151	35	continuaverint in Galliis
159	16	fides *et* integritas
162	28	*Terraconenſis*
184	28	*nomine*
204	30	*poſt* plures
215	3	*Aquinatem*
220	29	Suæ

INDEX.

Pag.	Lege.
1 verbo (accuſatio)	*refragantes*
Sub. litt. B. lin. 1	*transfertur*
Sub. litt. D. lin. penult	privilegia
litt. M. verbo (Mellifontenſis)	*electiani*

Proſecutio.

ERRATA.

PROSECUTIO.

Pag.	lin.	Lege.
4	17	*pungit*
22	4	*ſerentis*
26	34	Adriano I.
poſt pag. 36		pag. 37
39	11	*abjicere*
55	34	*externum*
poſtpaginam 58		pone 59
70	32	*in Hiberniâ*
75	penult.	*Perſonatum*
80	22	*exemptionem*
93	5	initium
109	15	imprimis
118	18	prorsùs
120	31	apponendam
121	9	avocaverit
ibid.	23	poſt Sint. pone *et*
125	26	*aculeis*
ibid.	*ibid.*	inſultantis

SENTENTIA.

Pag.	lin.	Lege.
1	20	2° et 3°
3	26	cap. *cum* inter
7	5	*quantum.*

Noviter detecta Errata adjungenda prioribus.

In Præfat pag. 3 lin. 22 nullam corrige *nullum.*

Jus Primatiale.

Pag.	lin.	Errat.	Corrige.
29	9	oppellabant	*appellabant*
32	29	(relatis etſi	*relatus (etſi*
34	ult.	rovoret	*revocet*
37	31	Scribet	*Scribit*
47	1	alia	*alias*
49	13	eupheme	*Ephemeridem*
ibid.	26	immunitione	*imminutione*
65	13	Conſentirat	*Conſentiret*
102	9	fierat	*fieret*
109	8	Regis	*Reges*
124	25	diſt	*diſt 4*
149	34	plenitudo	*et plenitudo*
178	14	diſtiterunt	*Deſtiterunt*
179	10	dubius	*dubijs*
194	3	hibernia	*Hiberniam*
204	33	poſtan. 719	adde 722 *et* 745

Proſecutio.

Pag.	lin.	Errat.	Corrige.
3	18	pluers	*plures*
8	27	induerunt	*induerent*
9	2	fragantem	*fragrantem*
39	6	exprobat	*exprobrat*
44	34	an. 10	*an.* 1°
45	3	Documentis	*et Documentis*
68	18	Si dubio	*Sine dubio*
78	1	Caliſti 21.	*Caliſti 2.*
79	27	addaeendo	*adducendo*
97	34	florentis	*florentes*
99	29	habe	*habere*
103	12	Caricinoma	*Carcinoma*
106	14	refellet	*refellit*
ibid.	35	Poxtifex	*Pontifex*
116	5	Gloſs cap	*Gloſs in cap*
118	9	nominalem	*non nominalem.*

In Sententiâ pag. 3 lin. 30 agnoſcant corrige *agnoſcunt.*